



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

urn:nbn:de:hbz:466:1-40262



Handwritten symbols and numbers in the top left corner, including a grid-like pattern and vertical lines.

allein

PAT

1 P

A V R V S
M R I T V V M,
E . V
N T A R I A
B R I C A S
T B R E V I A R I I
A N I,

Reuerendo P. D.

AVANTO MEDIOL.
Congreg. Clericorum Regularium
um Congreg. Consultore:

*causa historica, vel mystica, ex maio-
ris, Obligatio, & exquisitus vsus, ad-
us S. Rituum Congregationis, quam*

quinta Editione variè locupletata.
uens. Cum septem Indicibus.

P R I M V S Paderbornæ.
I S I E S V



N T V E R P I Æ,
FFICINA PLANTINIANA
LTHASARIS MORETI
M. DC. XXXIV.

Handwritten marks and symbols, possibly a library or archival stamp, located in the upper left corner. The marks include a stylized 'K' or 'L' followed by a grid of vertical lines, and another similar mark below it.

Th. 2153.

PAT

1 P

THESAVRVS
SACRORVM RITVVM,
SEV
COMMENTARIA
IN RVBRICAS
MISSALIS ET BREVIARII
ROMANI,

Auctore adm. Reuerendo P. D.
BARTHOLOMÆO GAVANTO MEDIOL.
Præposito Prouinciali Romano Congreg. Clericorum Regularium
S. Pauli, & S. Rom. Rituum Congreg. Consultore:

In quibus origo cuiusque Ritus, Cause historica, vel mystica, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vfus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quam breuissimè explicantur.


Ab Auctore recognita, & in hac quinta Editione variè locupletata.

Appendices dabit pagina sequens. Cum septem Indicibus.

Collegii **TOMVS PRIMVS** SOCIETATIS IESV Paderbornæ.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI
M. DC. XXXIV.



A P P E N D I C E S.

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis per singulos dies.
De mensuris cuiusque sacræ Supellectilis ad Missam congruentio-
ribus.

De nitore, & munditia practica eiusdem sacræ Supellectilis.

Concordia Martyrologij Romani cum Breuiario Romano, in qui-
bus discordare videntur.

Profodia verborum dubiorum in Missali, Breuiario, & Martyrolo-
gio Romano.

Ordo perpetuus recitandi diuini Officij, & Missæ celebrandæ.

*Et in gratiarum actionem de toto Opere, enarratur in calce Tomi II. Vita
cum rebus gestis S. PAULI Apostoli.*

Et probatur, S. BARTHOLOMÆVM Apostolum esse NATHANAELEM.

DON IULIUS CAVALCANVS

Cong. Cler. Reg. S. Pauli Præpositus Gen.

CVM Opus R. P. D. Bartholomæi Gauanti Visitatoris Generalis nostræ
Congregat. cui titulus est, COMMENTARIA IN RVBRICAS MIS-
SALIS, ET BREVIARII ROMANI, duo eiusdem Congregationis erudi-
ti ac sapientes viri recognouerint, atque in lucem dari posse probauerint,
potestatem facimus, vt in publicam vtilitatem typis mandetur, si & ijs,
quibus id competit, ita placuerit. In quorum fidem, &c. Dat. Mediolani
in Collegio nostro SS. Apost. Pauli & Barnabæ, die 14. Iulij 1627.

D. Iulius Caualcanus Præpositus Generalis.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Episcopus Bellicastren. Vicefg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Pal. Apost. Mag. Ord. Præd.

CANDIDO LECTORI

ANDREAS BROGIOTTVS.



Ecce Sibyllæ folia, in quibus scribebantur oracula, & quæ auris cælestibus afflari olim solita fuisset, Poëtæ suis fabulis memoriæ prodiderunt, tam citò per antrum spargebantur, quàm citò per Urbem, atque hinc per Orbem vix typis missa, ex officinis Bibliopolarum volitarunt eruditissima Commentaria in Rubricas Missalis & Breuiarij Romani, à R. P. D. Bartholomæo Gauanto Clerico Regulari S. Pauli diligentissimè elaborata. Fuerit dignitas planè cælestis Rituum Sacrorum, quorum traditur accuratissima cognitio: fuerit nobilitas præclarissimi Ordinis, qui aurea veluti Catena, dum gemmas sacrarum eruditio- num in vnus Voluminis aureo tamquam monili conclusit, illustriores effecit: fuerit demum vtilitas, seu necessitas præstantissimi Operis, plenissimique sacræ delectationis, quæ vniuersos panè Ordines Reipublicæ Christianæ, vt emerent, ac lectitarent, pellexit: illud cerè vero est verius, tam felicibus auspicijs in lucem Opus prodidisse, vt prodire iterùm homines sapientissimi, non cupiant solum, verùm rogitent etiam vehementiùs; rara Operum felicitate, his præsertim temporibus, in quibus librorum superfluens copia legendi satietatem innexit. Quorum ego honestissimæ postulationi ita occurrendum existimaui, vt nouis, supra trecentas, præclarissimis Annotationibus ditatum Opus, ijsque Romanâ lænce non semel examinatis, illustrioris Tituli nouum præferat in fronte decus. Ac quemadmodum in eo congestæ conclusæque sunt Christianæ pietatis, & diuini cultus, pretiosissimæ opes, vt vix quidpiam in hac parte desiderare aliud religio hominis solertissimi possit; non secus, vt rerum opulentissimæ dignitati nominis præstantia responderet, *Theſaurus Sacrorum Rituum* deinceps appelletur.

Sed Theſauri, qui vel in publico Ciuitatis, vel in Cæsaris loco inueniretur, dimidium esse Cæsaris, dimidium Inuentoris naturalem æquitatem secuti Romani Principes præclaris Constitutionibus olim statuerunt: opportunè ad rem meam, atque ex animi sententia; An melius optari quidpiam à me poterat, quàm vt Theſaurus hic à me inuentus, ipso vel Iure Cæsareo, Summo deberetur Pontifici, ac integerrimo eiusdem Nepoti; quorum alterum rerum Sacrarum Arbitrum supremum, alterum proximum Ministrum cælestis providentia Ecclesiæ suæ dedit? Curæ igitur secundæ huius excudendi Operis omnis prorsus expertes sunt cura, cum nouæ Epistolæ nuncupatoriæ, tum exquirendi Sacri Principis, cui possent hæ iterùm dicari. Priorem enim partem *VRBANI VIII. PONT. MAXIMI*, alteram esse Francisci Cardinalis Barberini, non loci possessio, in quo inuentus Theſaurus est, sed Maiestas nominis, quo inscriptus est, apertissimè demonstrat.

Si quæ mihi pars Inuentori obueneret, ea demum tota eorundem est, quibus ego iam pridem, & mea, & me ipsum lubentissimè deuoui. Vale candidè Lector, & Theſauro in compendium misso sospes fruere.

VRBA-

VRBANO VIII. PONT.
MORIBVS OPTIMO, REBVS GESTIS MAXIMO,

Ecclesiasticæ libertatis assertori studiosissimo,

Cuius lingua mellea, cuius calamus lacteus
Omnium linguis, omnium calamis tantum sui laudis influxit,
vt in litteratorum Senatu Sapientiâ Princeps
æquè ac in Principum cœtu Maiestate Primarius habeatur.

Quem innumeris Animi, Corporis & Fortunæ dotibus ornatum

Vrbs nihil suspicere solita suspexit:

Nunc earum vsu Sacerdotij fastigium ornantem
Orbis terrarum vniuersus, terram despiciens, humillimus adorat.

Cuius animus in Ecclesiæ hostes generosus
optatam in Christiana Republ. concordiam tuetur.

Qui Petri Nauis clauum sapienter ad eò tenet,
vt omnes in ea felicitatis portum tenere videantur.

Et quoniam Apes mellis copia aureum sæculum retulerunt,
in eius Imperio diuinitus accepto
nihil viri prudentes desiderandum agnoscunt
præter Æternitatem.

Ι Ε Ρ Ο Ν Ο Μ Ο Φ Υ Λ Α Κ Ι

& acerrimo Vindici, Romanoque,

Commentaria in Rubricas Missalis, & Breuiarij Romani,

Bartholomæus Gauantus Clericus Regularis S. Pauli,

& Sacræ Rituum Congregationis

eiusdem VRBANI auctoritate

minimus Consultor

grati animi ergo

D. S. D.

a 3

AD

AD BENIGNVM LECTOREM.



DE Sacris Ritibus , & de ijs præcipuè , qui ad Missam & Horas Canonicas attinent , scripsere ad hanc diem non pauci , tum antiqui tum recentiores , grauissimi & sapientissimi viri : sed liberè dicam quod sentio , nemo rem nostram in hoc genere pertractauit integrè . nam alij vt potissimùm Hæreticos arguerent ; alij , vt mysteria depromerent è ritibus , quos supponunt : ritus autem ipsos vel obsoletos referunt , vel nostros imminutè , vel additis aliorum ritibus superfluè , vel subobscurè significant : de Missa tantùm alij , alij de Festis , alij de Horis Canonicis tantùm , & vnà omnes omnia quidem illustrarunt , sed ea colligere cuique difficillimum . certè litteralem Rubricarum Romanarum sensum nemo hætenus est profecutus . Quare optarunt plurimi , è quibus , honoris ergò , nominandi sunt , Siluius Antonianus , Robertus Bellarminus , Scipio Cobellutius , Iulius Roma , Franciscus Boncompagnus , S. R. E. Cardinales , doctrinâ , pietate & moribus præclarissimi , Neapolio Comitulus Perusinus Episcopus virtutum gloria clarus , & alij Ecclesiæ administri , vt Volumine breuiori , quoad eius fieri posset , ea omnia comprehenderentur summatim , quæ in Missali & Breuiario Romano continentur ; & ea præsertim , quæ videntur sufficere ad communiorum Sacerdotum instructionem , & ad integram tum Missæ tum Horarum Canonicarum disciplinam perdiscendam : indicata cuiusque ritus origine Christiana (ne à Gentilibus aut Hebræis edocti videamur) tum allata causa , siue historica , siue mystica solidiori : tum demonstrata obligatione , quæ culpa obstringamur ; denique vsu proprio , & exquisito cuiusque ritus in re dubia explanato . Iisdem ergo suadentibus Principibus viris , morem gerere cùm ego cuperem , arduum hoc negotium multis abhinc annis sum aggressus , & omnem moui lapidem tum legendo , tum à peritioribus sciscitando , tum disputando in vtramque partem , tum postremò hæc eadem scripta sacre Rituum Congregationis examini , quod fuit rigorosum , subiiciendo ; acerrimis ingenio,

genio, iudicio, prudentia, & in omni doctrinarum genere peritia clarissimis designatis Iudicibus, Ioan. Garzia Millino, Tiberio Muto, Aloyfio Caietano, S. R. E. Cardinalibus, Dominis meis Illustrissimis, & toto orbe celeberrimis; ita, vt, Deo dante, mihi metipfi satisfecerim (utinam alijs) & optatum finem sim assecutus præfenti Volumine.

Originem autem cuiusque ritus velut indice commonstramus, quoad eius fieri potest, vel auctore certo, si est, nominato; vel commemorato eo, qui ante alios de ritu meminit. quo faciliè videre est, qua ætate erat in vsu. & in hanc causam adiecimus Indicem Summorum Pontificum, quorum Decretis aut inuectus, aut firmatus fuit ritus, adnotato iuxta anno quo quisque obiit: Sacrorum item Conciliorum in Opere citatorum, & quo anno celebrata fuerunt: necnon aliorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, penes quos mentio est de ritibus nostris.

Causas historicas eas vocamus in ritibus, quæ ad litteram, vt aiunt, dedere ritum. mysticæ sunt eæ, quæ sensum reddunt, vel Allegoricum, vel Tropologicum, vel Anagogicum; quas ferè nunquam (nisi tacentibus alijs) ex nostro ingenio, sed ex Maiorum, vt par est, auctoritate congerimus; citato tantum auctore primo, à quo ceteri deinceps acceperunt. neque tamen omnes, quas legimus, causas præsertim mysticas allegamus, solidioribus contenti, & grauioribus.

Obligationem definient Theologi doctiores, & probabiliorem sequemur sententiam in re controuersa. Modernos potiùs citamus quàm antiquos, & eos, qui præ manibus hodie sunt Sacerdotum; tum quia & hi citant antiquiores, tum quia iidem multa decernunt, quæ antiquos fugerunt, occasione fortè tunc temporis non data. Significamus autem, ommissa disputatione, quid sit agendum, vt propositæ breuitati consulamus; & quæ hæctenus in controuersiam venere, tum de Missa, tum de Horis, putamus omnia fuisse in hoc Volumine commemorata.

Ad vsu cuiusque ritus proprium enuntiandum, vsi sumus antiquiori-

quioribus libris, Missalibus Vaticanis M. S. tum Decretis sacrae Rituum Romanae Congregationis, quae à multis desiderata sunt, tum ijs regulis, quae, me quoque praesente, & saepius urgente, datae sunt ab ijs, qui Clementis & Urbani Octauorum auctoritate Recognitioni Missalis & Breuiarij Romanorum praesuerunt.

Totius Operis ordo is erit, vt à Missa incipiamus, tamquam à nobiliori parte: deinde, ita nos collaudante Cardinale Bellarmino, ordine Rubricarum seruato, recitatioque earumdem Textu, addamus ad singula verba, vbi est opus, Commentaria & Notas. hoc enim pacto nihil nos effugiet. addemus tandem Appendices non inutiles, ne à Clero (quantum in nobis est) desiderari quidquam possit in ordine ad Missam, & Canonicas Horas. Ecclesiastico stylo, & faciliori vtemur, docente nos Hugone Victorino, qui scripturus & ipse de Sacris Ritibus ait: Communibus verbis, rebus ipsis de quibus agitur cognatis, opus explicare congruentius duximus, quàm Schematum varietatibus inuoluere, & res per se fulgidas decolorando verba colorare. Peritiores autem benignos implo-ramus Lectores, quos etiam liberos cum Innocentio III. optamus correctores, vt quae minùs affecuti sumus, ea nobis indicent, meliora suppeditantes; & illud interea non denegantes, quod oprabat idem sanctus Pontifex in fine librorum de Mysterijs Missae, vt apud misericordissimum Iudicem pro peccatis Auctoris deuotas preces effundant, siue Missam, siue Horas Canonicas recitaturi, ad Deum Optimum Maximum & praepotentem accesserint.

Vale benigne Lector.



INDEX AVCTORVM

*Quos nouit Commentariorum Auctor scripſiſſe
de Sacris Ritibus.*

A

- A**lbinus Flaccus, ſeu Alcuinus de Diuinis Officijs.
Albertus Magnus de Officio Miſſæ.
Alexander Sperellus Obſeruaciones ſcripſit Italicè pro celebr. Miſſæ.
Alphonſus de Medrano inſtructionem Hiſpanè ad Officium diuinum.
Alphonſus Rodriguez de Myſterijs Miſſæ Hiſpanè, in Tomo 2.
Amalarius Fortunatus Cardinalis de Eccleſiaſticis Officijs, & de Ordine Antiphonarij.
Andreas Caſtaldus Cærimoniale Cleric. Regul. & Praxim Cærimoniarum.
Angelus Carezanus de Miniſtro Miſſæ Italicè.
Angelus Contus Capuccinus de Myſterijs Miſſæ Italicè anno 1625.
Antonius Demochares de Sacrificio Miſſæ, & ibi quoque de Ritibus.
Antonius Litteratus in Summa habet multa de Miſſa & Horis Canonicis.
Antonius Poſſeuinus Tractatum de Miſſa.
Antiquitatum Liturgicarum tres libros ſcripſit incertus Auctor impreſſos Duaci 1605.
Auguſtinus Epiſcopus Pientinus primus auctor Pontificalis, & Cærimonialis Romani.

B

- B**enedictus Herbeſtus Rationarium Horarum Canonicarum.
Bernardus de Parentinis Elucidarium omnium difficultatum Miſſæ, & Cærimoniarum.

- Berno Augienſis de Officio Miſſæ.
S. Bonauentura de Myſterijs Miſſæ.

C

- C**hriſtophorus Marcellus Cærimoniale Papæ.
Conradus Brunus de Cærimonijs.
Cornelius Schultingius Bibliothecam Eccleſiaſticam de diuinis Officijs.

F

- F**lorus Magiſter Expoſitionem Miſſæ.
Franciſcus Agricola de Sacerdotum officio.
Franc. Samarinus de Miſſa & Officio.
Franc. Titelmanus de Myſter. Miſſæ.

G

- G**abriel Albaſpina de Veteribus Eccl. ritibus.
Georgius Polaccus Aphoriſmos Italicè de Sacris Cærimonijs.
Germanus Conſtantinopol. Theoriam Eccleſiaſticarum rerum.
S. Gregorius Papa librum Sacramentorum, Antiphonarum; quorum duplex eſt editio, Romana, & à Pamela edita.
Eiuſdem Appendix M. S. Vaticana.
Grimoldus Abbas librum Sacramentorum.
Gulielmus Durandus Rationale diu. Officiorum.

H

- H**enricus Diſſen in Officium Miſſæ.
Henricus Gorichen de Miſſis Votiu, & Proceſſionibus.
S. Hieronymus Comitem, ſeu Lectio-narium, tum Epiftolarum, tum Euangeliorum totius anni.

b

Hæro-

Hieronymus Cantonus Ordinarium
diuinorum Officiorum Hispanè.
Hildebertus Cenomanensis Carmen
de Ritu Missæ.

Honorius Augustodunensis Gem-
mam animæ.

Hugo Victorinus Speculum Eccl. &
de Cærimonijs, Officijs, &c.

I

Iacobus Iunterbeeck de Casibus
variorum dubiorum circa Mis-
sam.

Iacobus Pamelius Liturgias Latino-
rum.

Innocentius Tertius de Mysterijs Missæ.

Io. Alcocer de Cærimonijs Missæ
Hispanè.

Io. Baptista Monachus Cassinas Ex-
positionem Missæ.

Io. Baptista Rubeus de Diu. Officijs.

Io. Baptista Scortia de Sacrificio
Missæ.

Io. Beechoffen quadruplicem Exposi-
tionem Missæ.

Io. Beleth. de Diuinis Officijs.

Io. Brunefuich de Missæ Officio.

Io. Burchardus Ordinem Celebra-
tionis Missæ.

Io. Cocleus Speculum Missæ.

Io. Iacobs Compendium Cærimon.
Missæ Hispanicè.

Io. De lapide Resolutorium dubio-
rum Missæ.

Io. Lopez de Sacrificio Missæ Hi-
spanè.

Io. Serranus Expositionem Missæ my-
sticam.

Io. Stephanus Durandus de Ritibus
Eccles.

Io. Superantius de Mysterijs Missæ.

Ioseph Vicecomes de Apparatu ad
Missam in Volumine 4. obserua-
tionum.

S. Isidorus Hispalensis de Ecclesiasti-
cis Officijs.

Iudocus Clictouæus Elucidatorium
de Missa, & alijs.

Iulius Cæsar Bulengerus de Vestibus
sacris.

Iuo Carnotensis de Rebus Ecclesiasti-
cis Sermones.

L

Lactantius Radfoldus de Myste-
rio Missæ.

Liturgiæ S. Petri, S. Iacobi, S. Mar-
ci, S. Basilij, S. Ioan. Chrysof-
t. S. Simeonis Syracusani ante an-
num 800.

Ludouicus Ciconiolanus Directo-
rium Offic. diuini.

Ludouicus Richeomus de Missa.

M

Marcus Antonius Ghenare Ri-
tum celebrandi Missam.

Martinus Stephanus Manuale de
Cautelis in Missa obseruandis.

Matthias Kimchius Directorium Sa-
cerdotale.

Maximus Monachus de Ecclesiastica
Mystagogia.

Melchior Huelamus Discursus Hi-
spanè de Cærimonijs Missæ.

Michaël Sydoniensis de Mysterijs
Missæ.

Michaël Timotheus Quæst. 300. in
diu. Offic. & 600. in Missam.

Micrologus de Ecclesiasticis obser-
uationibus à Io. quodam scriptus
fuit.

Missalia Varicana, Vallicellana M. S.
& Breniaria cum Canone M. S.
Collegij Aniciani, seu Gregoriani
de Vrbe, antiquissima.

Musæus Massiliensis citatus à Gen-
nadio scripsit librum Sacrament.
circa A. 490.

Mutius Cappuccinus Summarium
mysteriorum Missæ, & de Officio
Defunctorum, Italicè.

Nico-

Nicolaus Aurificus de Cærimo-
nijs Missæ.
Nicolaus Cabasilas Expositionem
Missæ.
Nicolaus de Ploue Tractatum Sacer-
dotalem.

Ordo Romanus auctorem habet
Gelasium, ex Baronio A. 692.
licet plenior exierit sub Stephano
Papa, Pipino, & Carolo Magno, ex
Hittorpio in Præfatione ad libros
à se collectos de Diu. Officijs.

Paganinus Gaudentius de Ritibus
veteris Ecclesiæ.

Paris Crassus Cærimoniale Bono-
niense.

Petrus Ciruelus Commentaria in
Missale antiquum.

Petrus Cluniacensis Nucleum de Sa-
crificio & ritibus Missæ.

B. Petrus Damiani de Domin. vo-
bis cum.

Petrus Lopez de Ritu Missæ Hispanè.

Petrus Mathæus de Rubeis Annot.
in Rub. de Defectibus Missæ.

Petrus Opmeer de Officio Missæ.

Petrus Ruiz Cærimoniale Toleta-
num.

Rabanus Maurus de Institut. Cle-
ricorum.

Radulphus Tungrensis de Canonum
obseruantia circa diu. Officia.

S. Remigius Antifiodorensis de Offi-
cio Missæ.

Rupertus Abbas de Diu. Officijs.

Stephanus Eduensis de Sacramen-
to Altaris.

Thomas Alvarez in Rubr. Bre-
uiarij Rom. 1629.

Tydeus Bonamicus de Formandis
crucibus.

Valens Quaresima de Cærimo-
nijs Missæ.

Vetustus Codex de Missa editus ab
Hittorpio.

Walafridus Strabo de Rebus Eccle-
siasticis.

Willelmus Lindanus Apologiam &
Expositionem Liturgiæ Græcæ san-
cti Petri.

Zacharias Andrianus de Sacrifi-
cio Missæ.

Obiter de sacris Ritibus alij, tum
Theologi, & præsertim in 3. par.
S. Thomæ; tum Canonistæ, Iuo,
& Burchardus, & alij; tum Sum-
mistæ v. Missa, & alijs titulis; tum
Controuersijs addicti contra Hæ-
reticos, quorum propè infinitus est
numerus.

In Canonem verò Missæ scripserunt,
Egidius Romanus.

Gabriel Biel.

Iacobus Ianfonius. Iacobus Iunter-
beec. Odo Cameracensis.

De Valore Missæ,

Iacobus Iunterbeec.

Ioannes Montagnolus.

Paulus Fraxinellus.

Et alij Scholastici cum Summistis.

I N D E X
S V M M O R V M P O N T I F I C V M,

*Qui sacros Ritus vel instituerunt, vel restituerunt, vel Decreto
firmarunt, vel amplificaverunt, & in his Commentarijs citan-
tur, iuxta Chronologiam Roberti Cardinalis Bellarmini.*

S. Alexander I. obiit anno 132	Eugenius IV.	1447
Alexander II. 1073	S. Eusebius.	311
Alexander III. 1181	S. Eutychianus.	284
Alexander IV. 1261	S. Fabianus.	254
Alexander VI. 1503	S. Felix I.	275
S. Anacletus. 112	S. Felix IV.	530
S. Anastasius. 402	S. Gelasius.	496
S. Anicetus. 175	S. Gregorius I.	604
Benedictus VIII. 1024	S. Gregorius II.	731
Benedictus XI. 1304	Gregorius III.	741
S. Bonifacius I. 424	Gregorius IV.	843
Bonifacius III. 607	S. Gregorius VII.	1086
S. Bonifacius IV. 614	Gregorius IX.	1241
Bonifacius VIII. 1303	Gregorius XI.	1378
Bonifacius IX. 1404	Gregorius XIII.	1585
S. Cælestinus I. 432	Gregorius XV.	1623
Cælestinus III. 1198	S. Hilarius.	468
S. Calixtus I. 227	Honorius I.	638
Calixtus II. 1124	Honorius III.	1227
S. Clemens I. 103	S. Hormisdas.	523
Clemens VI. 1352	S. Innocentius I.	417
Clemens VIII. 1605	Innocentius III.	1216
S. Damasus. 385	Innocentius IV.	1254
Donus. 678	Ioannes VIII.	882
S. Euaristus. 121	Ioannes XIII.	972
	Ioan-	


Ioannes XVI.	995	S. Sergius.	701
Ioannes XXII.	1335	S. Siluerius.	540
S. Iulius I.	352	S. Siluefter.	336
S. Leo I.	461	S. Simplicius.	482
S. Leo II.	684	S. Siricius.	398
Leo III.	816	S. Sixtus I.	140
S. Leo IV.	855	S. Sixtus II.	261
S. Leo IX.	1055	S. Sixtus III.	440
Leo X.	1521	Sixtus IV.	1484
S. Linus.	81	Sixtus V.	1590
S. Marcus.	337	S. Soter.	179
Martinus V.	1431	S. Stephanus.	260
S. Melchiades.	314	S. Symmachus.	514
Nicolaus I.	867	S. Telesphorus.	154
Nicolaus III.	1280	Theodorus.	649
Paulus II.	1471	S. Victor.	203
Paulus III.	1550	Vigilius.	555
Paulus IV.	1559	S. Vrbanus I.	233
Paulus V.	1621	Vrbanus II.	1099
Pelagius I.	560	Vrbanus IV.	1264
S. Pelagius II.	590	Vrbanus VI.	1389
S. Pius I.	167	VRBANVS VIII. re-	
Pius II.	1464	gnat.	
Pius V.	1572	S. Zacharias.	752
S. Pontianus.	238	S. Zepherinus.	221
Sabinianus.	606	S. Zofimus.	419



INDEX CONCILIORVM,

*Quorum decretis vel firmantur vel indicantur sacri Ri-
tus, de quibus in his Commentarijs.*

A Gathense celebratum anno 506	Milleuitanum.	416
Ancyranum.	Moguntinum.	813
Antisiodorense.	Nannetense.	1125
Aphricanum.	Narbonense.	589
Aurelianense I.	Nicænum.	325
Aurelianense III.	Oxonienſe.	1222
Baſileenſe.	Palentinum ſub Urbano VI. ante an- num	1389
Braccarenſe I.	Placentinum.	1095
Braccarenſe III. circa ann.	Rhemenſe.	814
Cabilonenſe II. ſub Carolo Magno. ante annum	Romanum II.	372
Carthaginenſe II.	Rotomagenſe.	682
Carthaginenſe III.	Salęguſtanum.	1022
Carthaginenſe IV.	Senonenſe.	1528
Chalcedonenſe.	Synodus VI.	681
Claramontanum.	Synodus VII.	787
Colonienſe.	Synodus VIII.	869
Constantienſe ſub Io. XXIII.	Toletanum I.	447
Constantinopolitanum.	Toletanum III.	610
Constantinopolitanum VI. ſive ſexta Synodus.	Toletanum IV.	633
Coyacenſe	Toletanum VII.	664
Ephelinum.	Toletanum XII.	681
Florentinum ſub Eugenio.	Treuerenſe.	386
Gerundenſe.	Triburienſe.	895
Hipponenſe.	Triburienſe II.	1030
Ilerdenſe.	Tridentinum.	1563
Laodicenum.	Turonenſe II.	579
Lateranen. ſub Leone XIII.	Turonenſe III. circa	810
Matiſconenſe.	Turonenſe IV.	1055
Mediolanenſe III.	Valenſe I.	337
Mediolanenſe IV.	Valenſe II.	442
	Viennenſe.	1311



III

d

IN-

INDEX
I N D E X
AUCTORVM ET SCRIPTORVM,

Quorum opera vti sumus in his Commentarijs.

A bdias Babylonius floruit circa	Archidiaconus.	1290
annum	60	Armillæ auctor.
Abraham Bzouius.	1630	Arnoldus Wion Ligni vitæ auctor.
Acta Mediolan. Ecclesiæ.	1590	1600
Ado Viennensis.	898	S. Athanasius.
Adrianus Turnebus.	1564	370
B. Albertus Magnus.	1280	S. Augustinus.
Alcuinus.	780	433
Alexander Alensis.	1245	Augustinus Barbosa.
Alexander Sperellus.	1621	1628
Aloysius Lippomanus.	1556	Augustinus Tornielus Congregat.
Alphonfus de Torres.	1600	nostræ.
Alphonfus Villegas.	1580	1620
Amalarius Fortunatus Card.	830	Aurelius Cassiodorus.
S. Ambrosius.	397	560
Ammianus Marcellinus.	380	Baptista Platina.
Anacletus Siccus Congregationis	1629	1480
nostræ.	1629	Bartholomæus ab Angelo.
Anastafius Bibliothecarius.	860	1583
Anastafius Nicænus.	688	Bartholomæus Cassanæus.
S. Anastafius Sinaita.	599	1520
Andreas Castaldus.	1625	Bartholomæus Pifanus.
Andreas Cretenfis.	580	1400
Angelus Caninius.	1558	Bartholomæus Vgolinus.
Angelus Carezanus.	1613	1600
Angelus de Clauasio.	1484	S. Basilius.
Angelus Rocca.	1610	370
Annonius, seu Aimonius.	990	Beatus Rhenanus.
S. Anselmus Cantuariensis.	1100	1547
Anselmus Ryd.	1520	V. Beda.
S. Antoninus.	1459	730
Antonius Cordubensis.	1560	S. Benedictus.
Antonius Daza.	1621	525
Antonius Demochares.	1550	Bernardinus Bustus.
Antonius Gallonius.	1610	1480
Antonius Litteratus.	1611	S. Bernardus.
Antonius Molina.	1600	1153
		Berno Augiensis.
		1014
		Bessarion Cardinalis.
		1455
		S. Birgitta.
		1273
		Blafius Palma Cong. nostræ.
		1625
		S. Bonauentura.
		1260
		Breuiarium Toletanum.
		640
		S. Burchardus Wormatiensis.
		1025
		Carimoniale Papæ.
		1520
		Carimoniale Cler. Regul. S. Pauli.
		1607.
		Cæfar Card. Baronius.
		1609
		Cæfar Franciottus.
		1625
		Cæfarius Arelatensis.
		500
		Calendarium Ciftertiense.
		1617
		Canon Græcæ Miſſæ S. Petri.
		69
		Caro-

Index Auēt. & Script.

Carolus à Basilica Petri Congregat. nostræ.	1616	Elpis Boëtij vxor.	510
Carolus Bouius.	1560	Emmanuel Rodericus.	1605
B. Carolus Magnus.	813	Emmanuel Sâ.	1585
Catechismus Romanus.	1568	Ennodius.	520
Cherubinus Casatus Congregat. nostræ.	1610	S. Ephræm.	340
Christophorus Giarda Congregat. nostræ.	1625	S. Epiphanius.	406
Chronica Augustiniana.		Elaias Abbas.	654
Chronica Germanica.		Euodius.	418
Chronica Spirensis.		Eusebius Casariensis.	328
Chronicum Moguntinum.		Euthymius.	1120
Clemens Alexandrinus.	194	Ferdinandus Salazar.	1610
S. Clemens Papa.	103	Festus.	
Codex vetustus Missæ apud Hit- torpium.		Flaminius Parisius.	1590
Cœlius Rhodiginus.	1520	Fl. Lucius Dexter.	444
Columella.		Florus Magister.	825
Compendium Bullarij Fl. Cherub. 1623.		Franciscus Longus Breu. Chronol. 1620	
Congreg. Pœnitentiariæ Mediol.		Franciscus Sammarinus.	1570
Conradus Brunus.	1500	Franciscus Suarez.	1615
Constantinus Caetanus Abbas. 1627		Franciscus Titelmannus.	1523
Constantius Presbyter.	400	Franciscus Toletus.	1596
Corippus Poëta Aphricanus.	565	Franciscus Turrianus.	1584
Cornelius Iansenius.	1570	S. Fulgentius.	529
Cornelius Schultingius.	1599	Gabriel Albaspina.	1620
S. Cyprianus.	260	Gabriel Biel.	1490
S. Cyrillus Alexandrinus.	438	Gabriel Pennottus.	1625
S. Cytillus Ierosolymitanus.	380	Gabriel Vasquez.	1600
S. Datus Episcopus Mediol.	543	Galenus.	
Didacus Murilius.	1625	Gemma anima.	1220
S. Dionysius Areopagita.	120	Georgius Codinus.	1340
Dionysius Carthusianus.	1460	Georgius Nicomediensis.	1000
Directorium Chori.	1540	Georgius Polaccus.	1620
Director. diuini Officij ante annum 1557		S. Germanus Constantinopol.	730
Dominicus Graulina.	1628	Gilbertus Genebrardus.	1580
Dominicus Sorus.	1560	Glossâ in Ius Canonicum.	
Dorotheus Panicarius Congregat. nostræ.	1628	Goropius.	
S. Eligius.	665	Gratianus Decretorum Collector. 1151	
		S. Gregorius Nazianzenus.	370
		S. Gregorius Nyssenus.	380
		S. Gregorius Papa.	604
		Gregorius Sayrus.	1600
		S. Gregorius Thaumaturgus.	240
		S. Gregorius Turonensis.	596
		Grimol-	

Index Auct. & Script.

Grimoldus Abbas. circa	800	Io. Baptista Possuinus.	1600
Gulielmus Alanus.	1580	Io. Baptista Rubeus.	1600
Gulielmus Durandus.	1270	Io. Baptista Scortia.	1616
Gulielmus Eysengrein.	1566	Io. Beletus.	1153
Gulielmus Lindanus.	1585	Io. Bellarinus Cong. nostræ.	1625
Gulielmus Sirletus.	1585	Io. Burchardus.	1490
Henricus Henriquez.	1595	Io. Carthagena.	1600
Heribertus Ros-weydu.	1628	Io. Cassianus.	434
Hermannus Contractus.	1040	S. Io. Chrysostomus.	407
Hefychius.	600	S. Io. Damascenus.	730
S. Hieronymus.	420	Io. Diaconus.	867
Hieronymus Cantonus.	1606	Io. Iacobs.	1621
Hieronymus Magius.	1570	Io. Langhecrucius. post an.	1580
Hieronymus Onuphrius.	1625	Io. Lopez.	1606
Hieronymus Pradus.	1600	Io. Lorinus.	1625
Hieronymus Rubeus.	1570	Io. Maior.	1510
S. Hilarius.	370	Io. Nauclerus.	1500
Hilduinus Abbas.	830	Io. Pechanus.	1292
Homobonus de Bonis Congregat. nostræ.	1625	Io. Petrus Besutius Congregat. no- stræ.	1580
Hostiensis nomine Henricus.	1250	Io. Petrus Moneta Congregat. no- stræ.	1625
Hugo Cluniacensis.	1000	Io. Rioche.	1500
Hugo Victorinus.	1136	Io. Scotus.	1300
Humbertus Cardinalis.	1054	Io. Serranus.	1626
Hyacinthus Petronius.	1628	Io. Stephanus Durandus.	1590
Iacobus Castellanus.	1600	Io. Tabiena.	1518
Iacobus Pamelius.	1580	Io. Trithemius.	1494
Iac. Philippus Bergomas.	1494	Io. Turcremata.	1468
Iacobus Valentia.	1490	Io. Zonaras.	1110
S. Ignatius martyr, & Episcop.	101	Iodocus Cliftonæus.	1520
Ignatius Braccius.	1625	R. Ionathas. ante Christum natum.	
Ignatius Portalupus Congregat. nostræ.	1625	Ioseph Pamphilus.	1580
S. Ildephonsus.	667	Ioseph Scaliger.	1570
Innocentius ab Ecclesia Congre- gat. nostræ.	1625	Ioseph Vicecomes.	1625
Innocentius III.	1216	S. Irenæus.	184
Ioachimus Perionius.	1554	S. Isidorus Hispalensis.	633
Io. Alcocer.	1612	S. Isidorus Pelusiora.	442
Io. Ant. Gabutius Congregat. no- stræ.	1618	Iulius Cæsar Bulengerus.	1620
Io. Azorius.	1600	Iulius Cæsar Scaliger.	1550
Io. Baconus.	1346	Iulius Nigronus.	1615
Io. Baptista Constantius.	1606	Iuo Carnotensis.	1114
		S. Iustinus Martyr.	150
		Laurentius Surius.	1578

c

Liza-

Index Auct. & Script.

Lazarus Baiffius.	1537	Ordo Gallicanus . ante Microlo-	
Leonardus Lessius.	1615	gum.	
Liturgiæ, S. Petri, S. Marci, S. Ila-		Ordo Romanus.	497
cobi, S. Basilij, S. Ioan. Chry-		Origenes	230
lostomi.		Otho Frisingensis.	1146
Lucas Wadingus.	1627	Palladius.	383
Ludouicus Ciconiolanus.	1540	Panormitanus.	1435
Macrobius.		Paris Crassus.	1540
Magnus Etymologiftes Græcus.		Paschasius.	480
Manuel.	1180	S. Paulinus Nolanus.	431
Marcellus Francolinus.	1585	Paulus Arefius.	1625
Marcus Ant. Genuefis.	1600	Paulus Burgenfis.	1430
M. A. Marfilijus Columna.	1580	Paulus Comitulus.	1625
Marcus Vlyfippon. minor.	1560	Paulus Diaconus.	770
Maria Parmæ Princeps.	1570	Paulus Fraxinellus.	1625
Martinus Bonacina.	1625	Paulus Piafecius.	1611
Martinus Braccarenfis.	572	Petrus Antifiodorenfis.	1240
Martinus Cofentinus, feu Polonus.		Petrus Canifius.	1597
	1320	S. Petrus Chryfologus.	500
Martinus Nauarrus.	1586	Petrus Comeltor.	1160
Matthias Guarguantus Congregat.		B. Petrus Damiani.	1070
noftre.	1629	Petrus Galefinius.	1580
S. Maximus Taurinenfis.	450	Petrus Lombardus.	1164
Melchior Huclamus.	1597	Petrus Lopez.	1608
Menologium.	886	Petrus Matthæus de Rubeis.	1626
Michaël Sidonienfis.	1549	Petrus de Natalibus.	1490
Michaël Timotheus.	1580	Petrus Nauarrus.	1590
Micrologus.	1080	Petrus Opmeer.	1570
Miffale Ambrofianum.	1618	Petrus Paludanus.	1330
Moyfes Ægyptius. Anno mundi		Petrus Paulus Parifius.	1518
2670		Petrus Ribadeneira.	1614
Mufæus Maffilienfis. circa	490	Petrus Ruiz.	1600
Mutius Capucinus.	1626	Pifanellæ Auctor.	1325
Nicephorus Calixtus.	1310	Plato. ante Chriftum.	
Nicetas Dauid.	860	Plinius.	
Nicolaus Cabafilas.	1250	Plutarchus.	
Nicolaus de Plouc.	1560	Polydorus Virgilius.	1495
Nicolaus Lyranus.	1322	Pompeius Vgonius.	1586
Nogerus Abbas.	868	Pontius Diaconus.	260
Octauarium Romanum.	1624	Poffidius, feu Poffidonius.	450
Odo Cameracenfis.	1128	Pratum Spirituale.	630
Odo Floriacenfis.	900	S. Proclus Conftantinopolit.	440
Onuphrius Panuinius.	1567	Procopius Historicus.	560
S. Optatus Mileuitanus.	368	Prudentius.	406
		Puccius	

Index Auēt. & Script.

Puccius Cardin.	1548	Tertullianus.	220
Rabanus Maurus.	855	Theodoretus.	460
Radulphus Tungrensis.	1400	Theodorus Balsamon.	1191
Redēptus Barazanus Congregat. nostræ.	1610	Theodorus Lectōr. circa	500
S. Remigius Antifiodorensis.	876	Theodulphus Aurelianensis.	835
S. Remigius Rhemenfis.	545	S. Thomas Aquinas.	1265
Rituale Romanum Pauli V.	1614	Thomas Caictanus.	1534
Robertus Bellarminus.	1620	Thomas Sanchez.	1608
Robertus Rex Franciæ.	977	Thomas Waldensis.	1430
Ruffinus Aquileienfis.	400	Tobias Corona Congregat. nostræ.	1625
Rupertus Abbas.	1110	Tydæus Bonamicus.	1620
Rutilius Benzonius.	1600	Varro. ante Christum.	
Sanctes Pagninus.	1524	Venantius Fortunatus.	570
Sedulius Poëta.	430	Victor Vticensis.	484
Seuerinus Binius.	1600	Victorianus Præmolus	1629
Seuerus Alexandrinus.	600	Victorianus Voconius. inter	400.
Seuerus Sulpicius.	419	&	600
Sidonius Apollinaris.	486	Vincentius Gallus Congregat. no- stræ.	1625
Sigebertus.	1112	Vincentius Sorianus.	1613
Siluester Prierates.	1515	Virgilius. ante Christum.	
Simeon Metaphrastes.	670	Vranus scriptor vitæ S. Paulini, & contemporaneus.	440
Socrates.	440	Vsuardus.	778
Sozomenus.	440	Walafridus Strabo.	849
Stephanus Eduensis.	950	Zacharias Andrianus.	1576
Stephanus Proythhinus.		Xyltus Senensis.	
Suetonius.	144		
Synesius Cyreneus.	402		



INDEX TITVLORVM.

Commentaria in Rubricas Missalis diuiduntur in quinque partes, & partes in titulos plures.

Prima pars continet Rubricas generales primi ordinis, & titulos viginti.

Secunda pars continet ritum seruandum in celebratione Missæ, & titulos decem & septem.

D E Duplici. i. pag. 4	D E præparatione Sacerdotis celebraturi. i. pag. 81
De Semiduplici, & Simplici. ii. ibid.	De ingressu Sacerdotis ad Altare. ii. 101
De Feria, & Vigilia. iii. ibid.	De principio Missæ, & Confessione facienda. iii. 107
De Missis Votiuus sanctæ Mariæ, & alijs. iv. 7	De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis. iv. 112
De Missis Defunctorum. v. 10	De Oratione. v. 119
De Translatione Festorum. vi. 14	De Epistola, Graduali, & alijs vsque ad Offertorium. vi. 123
De Commemorationibus. vii. 15	De Offertorio, & alijs vsque ad Canonem. vii. 131
De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis. viii. 20	De Canone Missæ vsque ad Consecrationem. viii. 142
De Orationibus. ix. 24	De Canone post Consecrationem vsque ad Orationem Dominicam. ix. 153
De Epistola, Graduali, Alleluia, & Tractu, ac de Euangelio. x. 31	De Oratione Dominica, & alijs vsque ad factam Communionem. x. 158
De Symbolo. xi. 35	De Communione, & Orationibus post Communionem dicendis. xi. 172
De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone. xii. 40	De benedictione in fine Missæ, & Euangelio S. Ioannis. xii. 175
De Communione, Orationibus post Communionem, Ite missa est, vel, Benedicamus Domino, de Benedictione, & Euangelio sancti Ioannis. xiii. 44	De his quæ omittuntur in Missa pro Defunctis. xiii. 180
De ordinanda Missa ex supradictis Rubricis. xiv. 47	De his quæ addenda sunt in Missa, quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est sanctissimum Sacramentum. xiv. 185
De Hora celebrandi Missam xv. 48	Ordo Missæ, & partium eiusdem additio, iuxta ordinem temporum. xv. 187
De his quæ clara voce aut secreto dicenda sunt in Missa. xvi. 51	
De ordine genuflectendi, sedendi, & standi in Missa priuata, & solemn. xvii. 52	
De Coloribus Paramentorum. xviii. 58	
De qualitate Paramentorum. xix. 63	
De præparatione Altaris, & ornamentorum eius. xx. 71	

Mysti-

Index Titulorum.

Myſtica expoſitio Miſſæ ſecundùm ordinem totius vitæ Chriſti, quam repræſentat. xvi.	189	Dominicam de Paſſione. vi.	236
Canonis expoſitio litteralis. xvii.	194	De Dominica de Paſſione, & Hebdomada maiori. vii.	240
<i>Tertia pars defectibus circa Miſſam adhibet remedia titulis duodecim.</i>			
D E defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus. i.	pag. 197	De Feria quinta in Cœna Domini. viii.	246
De defectibus materiæ. ii.	ibid.	De Feria ſexta in Paraſceue. ix.	252
De defectu panis. iii.	198	De Sabbato ſancto. x.	263
De defectu vini. iv.	200	De die ſancto Paſchæ uſque ad Feſtum Trinitatis. xi.	273
De defectibus formæ. v.	202	De Feſto Trinitatis, & Dominicis poſt Pentecoſten. xii.	279
De defectibus Miniſtri. vi.	203	De Rubricis Proprij Miſſarum de Sanctis. xiii.	284
De defectu intentionis. vii.	204	De Benediſtione Candelarum, & Proceſſione in Feſto Purificationis B. Virginis. xiv.	285
De defectibus diſpoſitionis animæ. viii.	206	De Feſtis, in quibus cantandæ ſunt duæ Miſſæ in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis. xv.	288
De defectibus diſpoſitionis corporis. ix.	207	De Rubricis Miſſarum communis Sanctorum. xvi.	291
De defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus. x.	209	De Rubricis Miſſarum Votiuarum in ſine Miſſalis. xvii.	294
De Rubricis præceptiuis, & directiuis. xi.	216	De Rubricis Miſſarum pro Defunctis. xviii.	300
De alijs obligationibus Sacerdotum circa Miſſam. xii.	220	De Rubricis Benediſtionum. xix.	302
<i>Quarta pars complectitur Rubricas proprias & titulos decem & nouem.</i>			
D E Rubricis Miſſarum de Aduentu. i.	pag. 227	<i>Quinta Pars Appendices addit quinque. hæc ſunt:</i>	
De Quatuor Temporibus Aduentus. ii.	228	T Abulæ locorum pro uſu Tabellarum ſequentium. pag. 309	
De Natali Domini, & Feſtis ſequentibus. iii.	229	Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis.	310
De Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam. iv.	232	De menſuris proprijs ſacræ ſupelleſtilis ad Miſſam congruentioribus.	316
De Dominicis à Septuageſima uſque ad Feriam iv. Cinerum. v.	233	De nitore & munditia prædictæ ſacræ ſupelleſtilis.	323
De Feria quarta Cinerum uſque ad		Profodia Verborum in Miſſali Romano.	328

Index DECRETORVM *sacræ Rituum Congrega-*
tionis, & super negotia Episcoporum, in ordine ad
Missam, post Missalis recognitionem, ordine tem-
porum seruato quo fuerunt sancita.

- 1 **P**otest celebrari pro Defun-
ctis ritu de Requiem in Fe-
stis, insepulto corpore. 23. Maij
1603. pag. 12
- 2 In Rogationibus maioribus,
si Processio terminatur ad Eccle-
siam sancti Marci, ibi dicenda est
Missæ de eodem Sancto. eadem
die. 275. 289
- 3 Cineres aridi, non in mo-
dum luti, sunt distribuendi. eo-
dem die. 237
- 4 Missæ de Annuntiatione
B. Virginis non est celebranda à
Feria 5. maioris Hebdomadæ vs-
que ad Feriam 3. Paschæ. 9. Maij
1606. 262. 289
- 5 *Gloria in excelsis* cum *Credo*
omittitur in Votuis pro re graui,
quando dicuntur cum paramen-
tis violaceis. 19. Maij. 1607. 24
- 6 Quæ sit res grauis, decla-
rauit S. Congregatio. eadem die.
ibid.
- 7 Cereus Paschalis certis tan-
tùm diebus accenditur. eadem
die. 273
- 8 Tolerantur Missæ de Re-
quiem in Festo Duplici, quod
non est de præcepto, pro volun-
tate testatorum implenda. 1. Se-
ptembris 1607. 13
- 9 Quæ sint Festa solemniora,
in quibus non potest celebrari in
Oratorijs priuatis & priuilegia-
tis. 17. Nouemb. 1607. 78
- 10 Ante Parochialem non
sunt pulsandæ campanæ à Con-
fratrijs Diocesanis in Sabbato
sancto. 9. Feb. 1608. 270
- 11 Communio Cleri facien-
da est in Cœna Domini. 27. Se-
ptemb. 1608. 247
- 12 Missæ Defunctorum cer-
to die dicendæ, eo impedito,
transferuntur in sequentem. eo-
dem die. 12
- 13 Sabbato sancto non sunt
pulsandæ campanæ ante Cathed-
ralis signum. 21. Martij 1609.
270
- 14 Abbates, & alij non pos-
sunt benedicere paramenta Ec-
clesiarum non sibi subditarum.
24. Augusti 1609. 307
- 15 Clavis Hostiæ repositæ in
Feria 5. Cœnæ Domini non de-
bet dari laico. 30. Ianuarij 1610.
249
- 16 Canonici tenentur ad can-
tandam Missam de die, vt lu-
crentur distributiones. 25. Iunij
1611. 10
- 17 Commendatario, seu eius
Procu-

Index Decretorum.

- Procuratori, non datur liber
 osculandus in Missa. 17. Septem-
 bris 1611. 125
- 18 Inferiores Episcopo non
 debent sumere paramenta pro
 Missa de Altari. 7. Iulij 1612. 86
- 19 Diaconus non debet pa-
 cem dare laicis, neque Domino
 loci. 5. Iulij 1614. 171
- 20 Non debent Regulares in
 Canone nominare Antistites suos
 Generales. 12. Nouemb. 1615.
 145
- 21 Regulares debent Crucem
 ferre cum velo, seu panno. 14. Ia-
 nuarij 1617. 65
- 22 Duplex Officium fit de
 Sancto, cuius Reliquia fit insignis,
 & approbata. 3. Iunij 1617. 39
- 23 In Festo Corporis Christi
 Eucharistia in Processione feren-
 da est manibus, non humeris.
 2. Iunij 1618. 280
- 24 In Oratione *A cunctis*, no-
 mina Patronorum sancti Mi-
 chaëlis, vel sancti Ioannis Bap-
 tistæ præponi debent Apostolis.
 22. Augusti 1620. 299
- 25 In Parasceue, si incidat Fe-
 stum Annuntiationis B. Virginis,
 non tenentur fideles ad Missam
 audiendam. 19. Februarij 1622.
 262
- 26 Nec in eodem die distri-
 buenda est Eucharistia alijs quàm
 infirmis. eodem die. ibid.
- 27 Missa Rosarij prohibita
 fuit, concessa tantum Ordini
 Dominicanorum. 25. Iunij 1622.
 291
- 28 Missæ certis Regularibus
 concessæ non possunt ab alijs di-
 ci, etiam in ipsorum Regularium
 Ecclesijs. 19. Nouembris 1622.
 215
- 29 Vfus annuli in Missa pro-
 hibetur Protonotarijs non par-
 ticipantibus, & quibuscumque
 alijs Doctoribus. 11. Februarij
 1623. 96
- 30 Qui habet onus celebra-
 di Missam de Rosario (exceptis
 Dominicanis) possunt aliam di-
 cere de beata Virgine. 6. Maij
 1623. 295
- 31 In Festo Stigmatum sancti
 Francisci color albus adhibetur.
 9. Decemb. 1623. 60
- 32 Facultas concedendi vsum
 pileoli in Missa spectat ad Pa-
 pam. 31. Ianuarij & 24. Aprilis
 1626. 102
- 33 Non potest omitti alte-
 ra Missa ex duabus cantandis
 de Festo, & de Feria. 16. Maij
 1626. 219
- 34 Celebrans, qui distribuit
 Cineres, Candelas & Palmas, de-
 tecto capite distribuat. 18. Iulij
 1626. 238
- 35 In Missa Feriæ quartæ
 Temporum, occurrentis in die
 octaua Natiuitatis beatæ Virgi-
 nis, Præfatio ferialis dicitur.
 12. Decemb. 1626. 42. 290
- 36 Non potest induci consue-
 tudo

Index Decretorum.

- tudo contra Riturum cantandi Missam Conuentualem de die, ob Votiuam, seu pro Defunctis. 16. Ianuarij 1627. 10
- 37 Signum, quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis. 13. Martij 1627. 160
- 38 In Altari pro certis diebus priuilegiato non potest dici Missa de Requiem in Festo Duplici de praecepto. 24. Aprilis 1627. 13
- 39 Non possunt Protonotarij benedicere paramenta. 17. Iulij 1627. 307
- 40 Ad Missam Vicarij Generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo Cappellani. 7. Augusti 1627. 76
- 41 *Communicantes* infra Octauam Ascensionis contingit separari à propria Præfatione. 28. Augusti 1627. 44
- 42 In Festis primæ classis non dicitur Oratio, *Deus refugium*, iussa dici à Maioribus per annum. 28. Augusti 1627. 29
- 43 In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ fit reuerentia Cruci infra gradus capite semper aperto. eadem die. 178
- 44 In diebus, quibus prohibetur fieri de Festo Duplici, non possunt dici Missæ Votiuæ, neque de Requiem. eadem die. 9
- 45 In Parasceue non immititur particula in Calicem cum signis Crucis consuetis, neque se signat cum Calice Sacerdos. eadem die. 260. 261
- 46 Litaniæ maiores, si occurrant in die Paschatis, transferuntur in Feriam tertiam sequentem. 25. Septembris 1627. 275
- 47 Missæ sancti Gregorij pro Viuis & Defunctis impressæ, quindecim Auxiliatorum, de Patre aeterno, prohibitæ fuerunt. 8. Aprilis 1628. 296. 302
- 48 Missæ Rosarij, & de Monte Carmelo, non nisi certis Regularibus sunt concessæ. eadem die. 295
- 49 Reliquia insignis est caput, brachium, crus, & ea pars integra, in qua passus est Martyr. eadem die. 39
- 50 Non prohibentur triginta Missæ sancti Gregorij pro Defunctis. 28. Octobris 1628. 14
- 51 Annuli vsus in Missa prohibetur Canonicis Cathedralium. 20. Nouemb. 1728. 96
- 52 Cappellani Monialium Breuiario vrentium non Romano dicere possunt Missam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium, sed cum Missali Romano. eadem die. 215
- 53 Sæpius decretum est, Episcopos carere facultate delegandialijs benedictionem paramentorum,

Index Decretorum.

torum, & earum rerum in quibus vinctio non adhibetur.	307		
54 <i>Teste Ioan. Alcocer in suo Cerimon.</i> Si ob terræ frigiditatem populus veniat ad Ecclesiam tar- dè pro solempni Missa, decreuit sacra Congregatio præstare, quòd recitetur tardiùs Hora Tertia, quàm quòd cantetur Missa de Festo post Sextam.	49	56 <i>Eodem teste</i> , eadem de- creuit, Celebrantem & ministros sedere posse, dum cantantur E- pistola & Graduale.	56
55 <i>Eodem teste</i> , eadem con- cessit insignioribus Regularium Ecclesijs vñum Planetarum plica- tarum.	69	57 In Feria quinta & sexta maioris Hebdomadè non fit Pro- cessio Sacramenti extra Eccle- siam. Congregat. Cardinalium super negotia Episcoporum, 6. Augusti 1591.	248
		58 In Feria sexta Parasceues non potest fieri nocte Processio cum sanctissima Eucharistia. Ea- dem 22. Martij 1596.	262



d

IN-

INDEX VERBORVM ET RERVM
quæ in hoc Tomo primo continentur.

A.



- BACVS**, vide *Credentia*.
*Abbat*es non genuflectunt ad Confessionem. 55
Abbatibus quando data *Mitra*. 94
Baculus eorum qualis. 65. 95. *Abbas* exemptus non nominatur in *Canone*. 144
Ablutio digitorum *Sacerdotis* saltem sumatur à *ieiunio*. 208
Absolutio *Defunctorum* quid. 182. dicta est *solemnis Oratio*. 183. quo ritu. *ibid.* qua ratione fit in *Commemoratione omnium Defunctorum*. 291
Acerra, vide *Nauicula*.
Acolythi in *Euangelio* stant semper 55. 129. *Ceroferary* dicti. 106. sint pares *statura*. *ibid.* non sedent ad *Epistolam*. 57. qua ratione incensant *Sacramentum* in *Processione eiusdem*. 249
Actio & *Canon* *idem*. 43
Adam *Græcè* sonat numerum. 235
Adoratio cum genuflexione non prohibetur tempore *Paschali*. 53. an unico *genu*. 149
Aduentus in *Ferijs* excludit *Alleluia*. 47. de *ieiunio*. 50. *omittitur* *Dalmatica* cum *Tunicella*. 69. à quo *Aduentus* institutus. 227. partim est *lætitie*, partim *mæroris*. *ibid.* de *Quatuor Temporibus eiusdem*. 228
Anea *vasa* quomodo *purganda*. 324
Aër, vide *Velum calicis*, *Manipulus*.
Agnus Dei in *Missâ* *unde*. 161. *cur* *ter* *dicitur*. *ibid.*
Ait Dominus omnipotens, *cur* in *fine* *Lectionum*. 31
Aba, *Podêris*, *Tunica*, *Linea tunica*, *Camisia*, *Linea Dalmatica*, *sunt* *idem*. 90. *post Amictum Romani* *eam* *induunt*, *Ambrosiani* *ante*. *ibid.* *quomodo* *vestienda*. *ibid.* *quid* *significet* *allegoricè*. 98. *anagogicè*. 97. *moraliter*. 98. *forma eiusdem*. 316
Albus *color* *quid* *significet*. 59. *quando*, & *cur* *adhibetur*. *ibid.* *etiam* in *Festo Stigmatum S. Francisci*, *ex nouo Decreto*. 60
Alcuinus *auctor* *Missarum* *Votuarum*, & *quomodo*. 9
S. Alexander *Papa* *decreuit* *lectionem* *Epistola* & *Euangelij* in *Missâ*. 31. 35. *Auctor* *est*, *Qui* *pridie*. 148. *Vnde* & *memores*. 154. *Passiones* *iussit* *legi* in *Hebdomada* *maiori* *ordine* *quo* *scripta* *suerunt*. 244. & *aquam* *sale* *mixtam* *benedici*. 304
Alleluia *unde*. 32. *quid*. *ibid.* *cur* *immutatum*. 33. *extra* *tempus* *Paschale* à *quo* *dici* *iussum*. *ibid.* *geminatur* *post* *Epistolam*. *ibid.* *quando* *omittitur*. 34. in *funere* *Defunctorum* *dicebatur*. 181
Almutia *cum* *Planeta* *vel* *Pluuiali* *non* *debent* *deferri*. 66. *neque* *poni* *super* *Altare*. 77
Altare *quid*. 71. *unde*. *ibid.* à *quo* *primum*. *ibid.* *cur* *lapideum*. 72. *consecratum*. *ibid.* *ornatum*. 73. *ubi* *celebrant* *proprie* *Episcopus*, *ne* *ibidem* *celebretur* *eo* *die*. 77. *nec* *ubi* *Papa*. 78. *nec* *ubi* *Legatus*. *ibid.* *Altaris* *osculum* *quid*. 112. in *medio* *fit*, *non* in *latere*. *ibid.* *neque* *fit* *signum* *Crucis* *cum* *manu* *super* *eo*. 113. *cur* *ante* *orationem* *illud* *fit*. *ibid.* *Altaris* *cornu* *sinistrum* *dextræ* *pars* *dicitur*, & *è* *contra*. *ibid.* *Altare*

Index verborum & rerum.

- Altare* nonies osculatur Sacerdos in Missa regulariter, decies ad summum. 175
- Altaria* quando nudanda. 250. quo ritu. ibid.
- Altaris Dedicatio*. 294. Altari consecrato assistit Angelus. 72. 294. Altaria plura in Ecclesia conceduntur. ibid. non est aspergendum, si in eo expositum est Sacramentum. 305. Altare privilegiatum pro Defunctis. 13. 221
- Altaris incensatio* quid. 116. initio Missae. ibid.
- Altarium* forma. 316. qua ratione mundanda. 323
- Ambo*, vide *Pulpitum*.
- Ambrosiana Missa* Graecis vestigijs firmius haeret quam Romana. 188
- S. Ambrosius* composuit Gradualia. 32. auctor dicitur Pax Domini. 161. item Praconij Paschalis. 266
- Amen* in fine Orationis quid. 30 à quo. ibid.
- Amictus* quid. 90. varia nomina. ibid. non est Orale. ibid. Crux in medio eius. ibid. quid significet allegoricè. 98. anagogicè. 97. moraliter. 98. forma eiusdem. 316
- Ampulla*, *Hamula*, *Gemelliones* quid. 77. earum forma. 318
- Amula* vini est. 77
- Amylum* non est triticum. 198
- Anabolagium*, vide *Amictus*.
- S. Anacletus* dicitur auctor Dominus vobiscum. 19. Pax vobis. 121
- Analogium*, vide *Pulpitum*.
- Anastasius* Papa stare iussit ad Evangelium. 53
- S. Andreas* cur nominatus in Oratione Libera nos. 159
- Angeli* omnes in Praefatione quomodo nominantur. 41. cur ante consecrationem. 42. assistunt Altaribus consecratis. 72. 294. assistunt Missae. 196
- Angelicus Hymnus*, vide *Gloria in excelsis*.
- Annetta*, vide *Palla*.
- Annulus aureus*. 96. benedictus. ibid. Episcopalis quid. ibid. in quo digito gestandus. ibid. quali gemma decorandus. ibid. eiusdem significatio. 97. 100. quibus vetitus in Missa. 96. forma. 312
- Annuntiationis B. Virginis Festum* quomodo celebrandum in Hebdomada maiore. 262. 289
- Antimensæ*, vide *Ara*.
- Antiphona*, vide *Intritus*. quandoque inchoatur flexis genibus. 305
- Antistitis* nomine an vocetur in Canone Generalis Regularium. 145
- Antitypa corporis Christi* quid. 118
- Apex*, vide *Mitra*.
- Apostolorum* *Votiva Missa* cur excludit Orationem A cunctis. 28. Apostoli auctores Hymni Angelici. 22. eorum Symbolum initio erat in usu in Missa. 36. idem iusserunt stare ad Evangelium. 54. eorum *Votiva Missa* cur in Feria quarta. 9
- Applicatio sacrificij* qualis. 1. 5. diuidi qualiter non possit. 223. 225. incerta prohibetur. 222. anticipata qua liceat. ibid. pendet à Pralato potius in Regularibus. 224. qua ratione secunda die Nouembris. 291
- Aqua* in Calicem fundenda cur benedicitur. 133. infunditur. ibid. quantà. 134. in Missa Defunctorum non benedicuntur. ibid. an conuertatur in Sanguinem. 202
- Aqua benedicta & incensum* circa Defunctos sunt correlatiua. 184. eiusdem benedictio. 303. cum sale. ibid. quo auctore. ibid. qui effectus, qui ritus. ibid. in Dominica. ibid. post Tertiam aspersio eiusdem. 304
- Ara* quid. 72. tabula itineraria. ibid.

Index verborum & rerum.

- viaticum. ibid. quanta esse debet.* 71. *S. Barnabas cur in Canone post Stephanum.* 156
Antimense dicitur. 72. *quando compressus est Ara nimius usus.* 73. *S. Bartholomaeus nominabatur in Oratione, Libera nos.* 159
non est supponenda Sacramento altius in Altari exposito. 281. *forma eiusdem.* 317
Arca illustrationis, vide Pyxis.
Arcula ad sputum apud Altare. 79. *quomodo purganda.* 323
Argentea quomodo mundanda. ibid.
Amariorum Sacramenti, vide Tabernaculum.
Arundo serpentes necat. 265
Aspersio aqua circa Altare & personas qua ratione fiat. 305. *circa res benedicendas.* 303
Assistens libro debet amouere librū in Altaris incensatione. 118. *in Canone quid agat.* 143. *in danda pace quid.* 171
Attentio ad ea que leguntur qualis. 57
S. Augustinus auctor Praeconij Paschalis. 266. *item Orationis pro viuis & defunctis.* 300. *eiusdem Mitra & baculi forma.* 95. 96
Aurichalcea supellex quomodo mundanda. 324
Auriphrygium circulare, vide Mitra.
- B.
- B** *Aculus pastoralis, virga, pedum, ferula, capuita, cambuca, cambutta, idem.* 95. *eiusdem partes tres. ibid. significatio.* 97. 100. *qua manus gestatur, & quomodo.* 96. *forma.* 322.
Baculus Abbatialis velum habet, & cur. 65. 96
Baldachinum, umbella, mappula super Altare. 79. *quomodo hasta sint distribuenda in Processione.* 249. *eiusdem forma.* 321
Balthens, vide Cingulum.
Baptismus quid significat. 268
Barba speciebus vini aspersa, quid agendum. 213
S. Barnabas cur in Canone post Stephanum. 156
S. Bartholomaeus nominabatur in Oratione, Libera nos. 159
Basilica, vide Ecclesia.
Benedicamus Domino cur. 45. *quando dicendum. ibid. versus Altare dicitur.* 173
Benedicite omnia opera, &c. in fine Missae. 178
Benedicti à Sacerdote sibi formant signum Crucis à fronte ad pectus in fine Missae. 176. *etiam Ministri.* 179
Benedictio an à Christo facta signo Crucis. 149
Benedictio. 302. *origo.* 303. *Episcopalis à quo, & quo ritu.* 180. *Sacerdotalis in fine Missae unde.* 46. *quo ritu.* 176. *non datur presente Episcopo sine licentia.* 177. *petitur à Papa solum ante Missam à celebraturo.* 108. *non datur benedictio communicatis intra Missam.* 168. 181
Benedictiones Palmarum. 241. *Candelarum.* 286. *Cinerum.* 237. *Cerci Paschalis.* 265. *in hac non potest addi nomen nouum Principis.* 266. *Fontis baptismalis.* 268. *incensi.* 116. *sponsorū.* 298. *à quo hec iussa. ibid. habitus Sacerdotalis pro benedictione.* 303. *ritus. ibid. benedictio diuersarum rerum.* 306. *aqua.* 303. *vestium Sacerdotalium non potest delegari ab Episcopo.* 87. 307. *an sub mortali benedicenda.* 87. *à quo benedicenda. ibid. 307. an interrogandum sit de benedictione.* 210
Benedictus qui venit, &c. à quo additum. 42. *quando cantatur in Missa solemnī.* 142
Benedictus VIII. iussit Roma dici in Missa Symbolum Constantinopolitanum. 37
Birretum ne ponatur super Altare. 77. nec

Index verborum & rerum.

- nec super Missale, neque super Calicem. 86
- Birrus lacernus, vide Mozzezza.
- S. Bonifacii Episcopi & Martyris de Sacerdotibus & Calicibus preclara sententia. 83
- Bonifacius I. iussit dici Gloria in excelsis in Cena Domini. 246
- Buccelle, vide Particula.
- Burchardus scripsit Ordinem celebrandi Missam. 2
- Bursa Corporalium dicitur Pera. 85. qualis. ibid. an sit benedicenda. 84. in ea Corporale omnino gestandum ad Altare. 85. forma eiusdem. 317
- C.
- Celestinus I. auctor Introitus. 20. Tractus. 34. Gradualis. 32. Offertorij 40. Communionis. 45. Psalmorum ante Missam. 82
- Carimoniale Congregationis S. Pauli à quo. 105. & qua auctoritate editum. ibid.
- Carimoniaris quo loco procedit in Missa. 106. ubi stare debet in Missa. ibid. assistit ad librum. 142
- Calcei in pedibus Celebrantis & ministrorum mundi sint. 87
- Caliga quid. 93. sandalia, solea, cambagi, pedules, compagi, campobi, idem. ibid. significatio. 97. 98. forma. 321
- Calix unde dictus. 83. argenteo usus est Christus. ibid. alter ex Agatha ab eodem adhibitus. ibid. varia eius nomina. ibid. ligneus in usu erat. ibid. vitreus. ibid. argenteus. & aureus. ibid. à quo. ibid. non aureus, nec ex aurichalco. ibid. stanneus potius adhibendus. ibid. octangularis forma fuit. ibid. cum imaginibus in eodem. ibid. cum nomine Episcopi. ibid. gemmatus. ibid. cum capsula. ibid. consecratus. 84. quamdiu durat consecratio. ibid. à latere Hostia locabatur. 134. cooperitur ad cautelam. ibid. semel ad mysterium. 157. eleuatio Calicis. 152. recentior quam Hostia. ibid. Velatus calix quid. 103. forma eiusdem. 317. qua ratione lauandus. 323
- Callistus quomodo auctor Quatuor Temporum. 228
- Cambagi, vide Caliga.
- Cambuca, Cambutta, vide Baculus.
- Camisia, vide Alba, & superpellicium.
- Campana. 76. varia nomina. ibid. quid. ibid. à quo. 77. eius benedictio. ibid. qui eam pulsatur, qua veste induendus. ibid. ad quid pulsatur. ibid. quando fileant. 246. ne pulsentur alia in Sabbato sancto ante campanas Cathedralis Ecclesie. 270. neque in Dicecesante Parochiale. ibid.
- Campanula pulsanda auctor in Missa. 151. qua ratione pulsatur ad Sanctus. 138. 142. ad eleuationem Sacramenti duobus modis pulsatur. 151. qui congruentior. ibid. in Missa solemni pulsari potest cum campanis maioribus. 153. pro communiione populi an liceat pulsare. 167
- Campobi, vide Caliga.
- Candelabra à quo. 75. quid. ibid. quomodo collocanda super Credentia. 106. non ultra sex in linea in Altari. 75. forma eorumdem. 317
- Candele ad Missam necessaria. 75. quid significant. ibid. an una sufficiat. 76. an sebacea. ibid. ne sit in numero superstitio. ibid. ad eleuationem Sacramenti una aut dua ardeant. ibid. canthari cerostati qui. ibid. quo ordine extinguantur in Altari post Missam. 178. in Missa Defunctorum quales. 182. quando à Clero accendantur. ibid. cum Cruce processionali. 65. 184

Index verborum & rerum.

- Candelarum benedictio à quo.* 286. ad quid. *ibid.*
Canonici tenentur ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. 10. neque possunt eam omittere ob *Missam Voiviam*, seu pro *Defunctis*. *ibid.* neque potest introduci consuetudo in contrarium. *ibid.* parati ad *Confessionem* stant in *Missâ* solemnâ. 55. *Missam* celebrantes solemnem an possint pro alio sacrificium offerre cum stipendio. 221
Canonis varia nomina. 43. quis auctor. *ibid.* *Canonis actio* prima quinque gestus continet. 143. imaginem *Crucifixi* secum habet. *ibid.* incipit à *T.* *ibid.* *Crucis signa* quinquies quinque in eo fiunt. *ibid.* *expositio Canonis litteralis.* 194
Cantare, & dicere Missam, idem, sapius. 218
Canthari cerostati, vide Candela.
Canticum trium puerorum cur omittitur in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes. 279
Capitolanum quid. 240
Cappa, vide Pluviale, & Planeta.
Cappella quid. 78. nomina varia. *ibid.* *Cubiculum.* 79
Cappellani unde. 78. quales *Missas* celebrent in *Ecclesijs Monialium* non *Romanarum.* 215
Caputa, vide Baculus.
Caput apertum in Altari. 102. & quando liceat uti pileolo. *ibid.* quis dispenset. *ibid.*
Caracalla in Clerico quid. 87
Cardinales ubique iurisdictione quamdam habent. 108. quid servandum coram eis in *Missâ* privata. *ibid.* 112. 162. 177.
S. Cassius qua hora celebrabat. 49
Casula, vide Planeta.
Catechizare quid. 267
Catechumenus quid. *ibid.*
Celebritas, vide Festa Sanctorum.
Cellula, vide Missa loca.
Cereus Paschalis cur à Diacono benedicatur. 265. quid significat. *ibid.* aliud nomen Principis addi non debet. 266. quibus diebus ardet. 273
Ceroferrari, vide Acolythi.
Charissimi cur initio Epistolarum. 31
Chirotheca, & manica. 94. significatio. 97. 99. forma. 321
Chorus quid. 49. varia nomina. *ibid.* arceantur laici ab eo. 172
Christi virtutes in vestibus Episcopi denotantur. 97. eiusdem vita & mors ordinatè in *Missâ* representatur. 189
Christus an signo Crucis benedixerit Hostiam, & Calicem. 149. in cœnatoria veste instituit *Eucharistiam.* 58
Christus natus die Dominico. 230. unde veniet ad iudicium. 122. in *Cruce* respiciebat occasum. *ibid.* subditur *Sacerdoti.* 154. templum est quadraginta sex annis instauratum. 235
Ciborium paruum, vide Pyxis.
Cidaris, vide Mitra.
Cincticulum, vide Manipulus.
Cineres quid. 237. quo ritu distribuuntur. *ibid.* & seq.
Cingulum, Zona, baltheus, idem. 90. benedicendum est. 86. quando amittitur benedictio. *ibid.* significatio anagogica. 97. allegorica. 98. tropologica. 99. forma eiusdem. 317
Cingulum brachiale, vide Manipulus.
Clavis Sacramenti in Feria 5. Cœna Domini cui datur. 249
S. Clemens instituit vestes Sacerdotales iussu B. Petri 58. lavari Corporalia in proprio vase. 86. dicitur auctor initij *Canonis.* 143. item, Dominus vobiscum. 19. *Benedictionis frugum.* 307
Clemens VI. diuisit Missam à benedictione candelarum in Septuagesima. 286
Clocha,

Index verborum & rerum.

- Clocha*, vide *Campana*.
Codo, vide *Campana*.
in Cœna Domini Hymnus Angelicus
a quo. 22. an celebrari possint plures
Missæ. 247. *Communio Cleri faci-*
enda. ibid.
Cœna pura, vide *Parascene*.
Cœnaculum, vide *Ecclesia*.
Collegiata Ecclesiæ onus. 217. *Collegia-*
te nomine non veniunt Ecclesiæ Re-
gularium. 217. 220
Colores vestium quinque. 58. *mutatio*
colorum qua regula fiat. 63. *quan-*
do cœpit. 58. *color castaneus in usu*
quis. ibid. *quis color in Festis Trans-*
lationum, &c. 60
Comes S. Hieronymi quid. 31
Commemoratio Sanctorum in Canone
cur. 147. 156
Commemoratio vinorum & Defunctorum
in Missa qualis. 145. & seq.
Commendatario non datur liber Euan-
gelij osculandus. 125
Commissionis peccatum in Missa maius
est quam omissionis. 215
Commune Sanctorum quid. 291
Communicantes à quo. 147. *quando*
variatur. 44. *aliquando dicitur sine*
sua Præfatione. ibid. *quid significet*.
 194.
Communio quid. 45. *à quo*. ibid. *quan-*
do cantanda. ibid.
Communio Sacerdotis necessaria. 164.
quando populi est facienda. 167. *non*
est danda pars Hostiæ, quæ aliàs su-
perfit, cuiuscumque. 168. *danda est in*
ore. ibid. *manus communicandi qua-*
liter componenda. ibid. *quibus diebus*
communicandum. ibid. *an maior gra-*
tia sub utraque specie quàm sub al-
tera sumentur. 165
Communio Cleri & populi in Missa so-
lemni. 172. *Cleri in Cœna Domini*.
 247. *à quo hæc instituta*. ibid. *stolam*
assumant Sacerdotes. 172. 247. *non*
in Parascene. 262. *an quilibet alios*
communicare possit. 167
Compagi, vide *Caligæ*.
Concilia de ritibus habes in proprio In-
dice.
Concio post Euangelium, vel Symboli.
 130. *Stola Concionatori datur*. 91.
non Rome. 130. *præmittatur lumen*
bonæ famæ & bonorum operum. 128.
ubi Celebrans concionaturus sedeat.
 130. *quo habitu utatur*. ibid. *signat se*
initio Concionator. ibid. *auditores*
stabant. ibid. *pro Defunctis Concio*
fit post Missam. 183
Confessio, vide *Ecclesia*.
Confessor quid. 292. *nulla mentio Con-*
fessorum in Canone. 43. *quando cœ-*
pta eorum Festa. 44
Confessoris inopia quæ dicatur. 206
Confiteor Deo, &c. à quo. 110. *nullius*
Sancti addi potest nomen, præter so-
litos. 111
Conopeum Tabernaculi quale. 79. 317
Consecratio Altaris quoadiu durat. 72
Consecratio pro benedictione quando-
que sumitur. 104
Consecrationis Eucharistia debitus or-
do quis. 199. *an omnia verba forma-*
rum necessaria. 203 *cur quinque ver-*
ba in prima forma. 149
Contactus rerum sacrarum quibus ve-
titus. 84
Corona clericalis quid significat. 87
varia forme. ibid.
Corona Sacerdotalis gloria, vide Mi-
tra.
Coronides lignæ Altaris prohibentur,
 73.
Corporale, & varia nomina. 85. *quid*.
ibid. à quo. ibid. *quæ materia*. ibid.
plicatur & ratio. 86. *significatio*. ibid.
benedictio. ibid. *non tangendum ab*
omnibus. ibid. *nec in vase communi*
lanan-

Index verborum & rerum.

lanandum. *ibid.* eiusdem crux acupicta quam partem respiciat Altaris. 103. non extra bursam circumferendum. 85. ad altare fertur post Ψ . Et incarnatus est. 130. forma Corporalis. 317. qua parte anni amylo imbuendum. 325

Corpus Christi templum 46. annis edificatum, & quomodo. 235. eiusdem Festum à quo. 280. in eius Festo deferatur manibus, non humeris. *ibid.* Processionis ritus. *ibid.*

Cotta, vide Superpellicem.

Credentia mensa est. 106. qualiter ornanda. *ibid.* qua in ea locanda. *ibid.* forma eiusdem. 316

Cruces in vestibus Sacerdotalibus à quo. 90. in quibus. *ibid.* exosculande. *ibid.*

Cruces velande quando. 240. genustendendum ei qua in Altari maiori est à quibus. 106. in triduo ante Pascha ab omnibus. 250

Crucifixi imago ante Canonem. 143. & in Cruce Altaris. 74

Crucis signum ante omnem actum. 109. fit manu dextra. *ibid.* plena manu. *ibid.* à sinistra in dextram. *ibid.* cum inuocatione Trinitatis. *ibid.* sinistra ubi locanda. *ibid.* fit ad Introitum. 113. in fine Hymni Angelici. 114. Symboli. 126. ad Euangelium, initio. 125. super oblata. 135. quomodo formandum, non per quatuor puncta. *ibid.* in fine Sanctus. 138. in Canone formatur quinquies quinquies. 143. bis, & ter. *ibid.* post consecrationem cur fiat signum Crucis super species. 154. descripta à Crasso ad ea Per ipsum, &c. non probatur. 157. cum Patena quomodo fiat. 160

Cruce pectoralis, Philacteria, Encolpium, idē. 94. significatio varia. 97. 99

Cruce Processionalis à quo tempore in-

ducta. 65. eiusdem imago quam partem respiciat. *ibid.* 184. à Subdiacono defertur. 184. cum velo à Regularibus. 65

Cruce super Altare sit. 74. benedicta. *ibid.* aurea fuit apud antiquos. *ibid.* altior candelabris. *ibid.* cum imagine Crucifixi. *ibid.* etiam in Altari, ubi asseruatur iugiter Eucharistia. *ibid.* & ubi Icon Crucifixum representat. 75. eidem cur inclinatur. 114. dum incensatur, quando sedet Chorus. 57. eiusdem forma. 317

Cubiti super Altare in consecratione & consumptione Eucharistie. 164

Cussinus, puluinar, sub Missali quid. 76. eius forma. 319

D.

Dalmatica ubi primò inuenta. 67. Diaconis data. *ibid.* erat habitus Sacerdotum. *ibid.* Reges ea vsi sunt. *ibid.* Diaconorum Romanorum tantum vestis. *ibid.* eiusdem vsus. *ibid.* Pectoralis Tunicula dicta. *ibid.* eiusdem forma. *ibid.* significatio. *ibid.* non adhibetur in diebus luctus. *ibid.* 68. forma eiusdem. 318

Dalmatica Episcopi quid. 94. significatio. 97. 99. forma. 321

S. Damasus instituit Gloria Patri in Missa. 21. approbavit Comitem S. Hieronymi. 31. instituit Alleluia in Missa. 33. Symbolum Constantinopolitanum. 37. presertim in Festis Angelorum. 38. Confessionem ante Missam. 110

Dedicatio Ecclesie quid. 293. à quo Festum cum Octaua. *ibid.* Dedicatio Altaris. 294. & quid significat. *ibid.*

Defectus in Missa quando collecti in Missali. 197. in pane. 198. vino. 200. forma. 202. intentione ministri. 204.

Index verborum & rerum.

204. dispositione animæ. 206. inopia
Confessarij. *ibid.* necessitas *urgens*
quæ. *ibid.* dispositione corporis. 207. in
ministerio ipso. 209. & seqq.
- pro Defunctis in Calendis orandum. 11.
Feria secunda. *ibid.* non tempore Pa-
schali. Missa de Requiem. 12. sepe-
liendi cum Missa. *ibid.* etiam in Do-
minicis & Festis. *ibid.* quid, si in Pa-
schæne aut in Pasche die obeunt.
ibid. Anniversaria dies. *ibid.* tertia.
13. septima. *ibid.* trigesima. *ibid.*
Missa S. Gregorij quæ, quomodo di-
cenda. 14. non Missa de Requiem in
ijs diebus quibus Festum Duplex.
12. nec ijs quibus de Duplici non po-
test fieri. *ibid.* toleratur in quibus-
dam casibus. *ibid.* de viuis in Missa
defunctorum nulla mentio. 18. post Pri-
mam vel Nonam Missa cantatur.
50. eorum memoria in omnibus Mis-
sis. 155. multa omittuntur. 181. quæ-
do Concio sit habenda. 183. candela
ad Euangelium, elevationem, & ab-
solutionem. 182. Oratio Fidelium vl-
tima semper. 13
- Defuncto Papa, Cardinale, Episcopo, cur
prima dicitur Missa. 301. an pro Sa-
cerdote eadem. *ibid.* in die tertio, &c.
pro prædictis quæ Missa. *ibid.*
- Defunctorum in Purgatorio preces pro
viuis non iuuant. 18. cadauera oscu-
labantur antiqui. 184. asperguntur
& incensantur. *ibid.* & cur. *ibid.* be-
nedicitur incensum. *ibid.*
- Defunctorum Missæ imitantur tridua-
nam Christi sepulturam. 181. 300.
Introitus, Offertorium, Communio
sunt extra ritum communem alijs
Missis. *ibid.* in Defunctorum om-
nium Commemoratione quibus appli-
candum est sacrificium. 291
- Defunctorum oratio generalis in Missa
de viuis habet panultimum lo-
cum. 18. in Missa Defunctorum vlti-
mum. 13
- Deo gratias unde. 32. cur in fine Episto-
lae. *ibid.* quando non dicitur. *ibid.* cur
in fine Missæ. 45. cur in fine vltimi
Euangelij. 176
- Denotio cum præsumptione in addendo
aliquid in Missa lethalis est. 215
- Diaconi Alba, Amictus, & Cingulum
à quo data fuerit. 67. Stola item. 70.
qualis. *ibid.* assumens Stolam Dia-
conus osculatur Crucem. 71
- Diaconus & Subdiaconus quando pa-
res procedunt. 106. & vnus item post
alium. *ibid.* ad Altare quando pares.
119. & vnus post alium. 118. genufle-
ctit Cruci Altaris. 106. non diducit
manus ad Oremus. 112. non oscula-
tur Altare, nisi pro pace. 115. non
respondet Sacerdoti quæ à Choro di-
cuntur. 123. orat, osculatur manum
Celebrantis ante Euangelium. 128.
an peccet cantans Euangelium pec-
cati reus. *ibid.* eius est Calicem com-
ponere in Altari. 139. tradere Cali-
cem Celebranti. *ibid.* cum eodem of-
ferre. *ibid.* eleuare pyxidem in obla-
tione. *ibid.* retinere pedem Calicis in
incensatione. 140. nulli laico dat pa-
cem. 171. Missalis cura illi magis in-
cumbit. 174. benedicit Cereum Pa-
schalem. 265. incensat alios. 141. quo
ordine. *ibid.* alia munera in Missa, in
tota secunda Parte. eiusdem munus
in Processione sanctissimi Sacramen-
ti. 186. 249. in aspergione Aqua bene-
dictæ. 305. in benedictione Cinerum,
Candelarum, Palmarum, vide in suis
locis & titulis.
- Dicere Missam significat cantare. 218
- Dicterium, vide Pulpitum.
- Digitorum, pollicis & indicis extensis
ad quid. 148. iunctio. 150. ablu-
tio vino & aqua fit. 166. extra
Mis-

Index verborum & rerum.

- Missam cui danda.* 208
Diptychi quid. 155. *Diptycha.* ibid.
Dispositio animae ad Missam corporis. 206. 207
Domine non sum digna à Monialibus non debet dici. 168
Dominica privilegiata occurrens in die Octaua duas tantum habet Orationes. 27
Dominica praconia. 282. *cur nulla o-mittitur.* 283. *Gaudete & Latate cum Dalmaticis.* 69. *Vacans quae.* 229. *Vaga quae dicuntur.* 233. *post Epiphaniam quale Officium Dominicarum.* 232. *in Quadragesima.* 239. *post Pascha.* 275. *post Pentecosten.* 281. *in nona post Pentecosten cur Euangelium legitur de destructione Ierusalem.* 282. *Dominica Palmarum varia nomina.* 240. *Dominica tertia mensis pro Communione.* 168
Dominicale, vide Linterm.
Dominicum, vide Ecclesia.
Dominus vobiscum unde. 19. *quid.* ibid. *ante Euangelium.* 35. *post Symbolum.* 40. *diuiniissima salutatio.* 120. *cur extensis & statim iunctis manibus dicitur.* ibid. *septem vicibus in Missa.* ibid. *ter non versus populum.* ibid. *bis in fine Missae.* 173. *Dominus, non Deus, dicitur.* 19
Domnus & Dominus differunt. 128
Dona nobis pacem à quo. 161
- E.
- E**cclesia Collegiata onera. 217. *tenentur ad duas Missas cantandas, de Festo, & de Feria.* 218. *vbi sunt Canonici.* ibid. *Ecclesia Regularis onus minus est.* 219
Ecclesia praecipua quae. 69
Ecclesia varia nomina. 293
Eliemofynarum arcula pro Missis amonenda. 223
Elevatio Hostiae & Calicis quid. 150. *genus flectitur ab omnibus.* 56
S. Eligius auctor benedictionis candelarum. 286
Encolpium, vide Crux pectoralis.
Enim in forma à quo additum. 149. *omissio lethalis.* 217
Ephod-bal, vide Rocchetum.
Epiphania Vigiliam habet sine ieiunio. 7. *continet quatuor miracula.* 232. *in ea annuntiat Pascha.* ibid. *habet Octauam.* ibid.
Episcopi Vicarij Apostolorum. 39. *Catholicis, id est Romane Ecclesiae.* ibid. *eorum vestes.* 93. *Dalmatica vsi de licentia Papa.* 94. *significatio vestium anagogica.* 97. *tropologica.* 98. *in Ecclesis Regularium audiunt Missam ut in proprijs.* 108. *quinam in Canone nominandus Episcopus.* 144. *ter benedicit populo.* 180. *pro eo tenetur aliquando applicare Sacrificium.* 223 *anniuersaria dies creationis Natalis dicitur.* 297. *colenda.* ibid. *tam electionis quam consecrationis.* ibid. *quae Missa, quo ritu.* ibid. *Confessio, osculum Euangelij, & benedictio coram Episcopo sunt correlatiua.* 177
Epistola quid. 31. *à quo inissa legi.* ibid. *Pauli, Apostolorum, & Prophetarum.* ibid. *per annum ordinauit Epistolas S. Hieronymus.* ibid. *de nouo Testamento in Dominicis.* ibid. *à quo legitur in Missa solempni.* 127. *quo loco.* ibid. *cur ante Euangelium.* 31. *Lector eam cantat.* 127. 131
Et cum spiritu tuo quid. 121
Et incarnatus est quando in Missa solempni, genus flectitur. 54
Et pro vel in Rubricis. 177
Erit firmamentum in terra, Psal. 71. *explicatur.* 150
Euangelij codex in Concilijs. 128
Euangelista cum Apostolis comparatur. 38
Euan-

Index verborum & rerum.

- Euangelium in fine Missa unde.* 46.
quale. ibid. & seq. & cur. ibid. ritus eiusdem legendi. 176
Euangelium quid. 35. à quo legi iussum. *ibid. pars Missæ præcipua. ibid. caput omnium que sunt in Missa. ibid. per annum distributa Euangelia à S. Hieronymo. ibid. in fine Euangelij varij responsum modi. ibid. ad Euangelium statur.* 54. ad Aquilonem legitur. 124. benedictio antequam legatur. 125. osculum in fine. *ibid. à quo osculandum. ibid. si plures Prælati, à quo. ibid. si æquales, cur nullus osculatur. ibid. quando. ibid. quo ritu. ibid. an à laicis. ibid. an à Vicario Apostolico. ibid. an à Commendatario. ibid. luminaria adhibentur & thus.* 128. in edito loco cantatur. 129. Tribunal, Ambo, Pulpitum dicitur. *ibid. Euangelij textus incensatur. ibid. contra Altare versus populum quid. ibid. rursus de osculo in fine.* *ibid.*
S. Euaristus Benedictionis nuptiarum auctor. 298
Eucharistia latens adoratur, non nisi patens incensatur. 118. datur cum temperatis epulis. 134. an utraque species causet maiorem gratiam. 165. quando infunditur gratia in sumptione. *ibid. reseruanda pro infirmis, & renouanda. ibid. potest distribui à quocumque Celebrante, & quando.* 167. si remaneat in Altari in fine Missæ. *quid.* 169. in Processione deferenda manibus, non humeris. 280. scutum pro humeris quale. 321
Eucharistia Hierarchica, vide Symbolum.
Eulogie, vide Oblatio.
Eusebius Papa decreuit Corporale ex imo. 85
Eutychianus auctor Offertorij. 40. benedictionis frugum. 307
Excommunicati Missa minus valet. 206.
Exultet iam angelica à quo compositum. 266

F.

F *Acere est sacrificare.* 191
Fauon, vide Manipulus.
S Felicitas in Canone que. 157
Felix I. decreuit Reliquias Sanctorum in Altari. 72
Felix IV. Dedicacionem Ecclesie iussit. 293. & anniuersarium diem consecrationis Episcopi. 297
Femine non ministrent Missæ. 101. in Ecclesia sedent in parte sinistra. 141.
Feria secunda tentatus fuit Christus. 239
Feria tertia Christus baptizatus. 236
Feria quarta cepit Christus ieiunium suum. ibid. traditus fuit. 228. ieiunio ideo destinatur. *ibid.* 245
Feria sexta Magi adorarunt Christum. 232
Feria quarta Dom. 4. Quadragesimæ Missa est Scrutinij. 239
Feria 5. in Quadragesima erant festiua sine Officio. quis dedit Officium. ibid.
Feria 5. in Cena Domini Officium. 246.
Feria 5. Pentecostes Missa eadem cum Dominica. Missa. 279
Ferula, vide Baculus.
in Festo Sancti, de quo non fit Officium, dicitur Gloria in excelsis. 24
Festa SS. Stephani, Ioannis, Innocentium. 231
Festa Sanctorum, Natalitia, Festiuitates, Celebritates, Solemnitates. 285. à quo, & ad quid. *ibid.*
Filioque procedit quando additum. 36
Flectamus genua. 54. 56. an duo flectenda. 123. ad Diaconum ea verba spectant. *ibid.*

Index verborum & rerum.

- ibid. *Flectere genua est peccatorum.* 121.
Flores in Altari laudantur à S. Hieronymo. 79
Fontis baptismalis benedictio. 268
Forma consecrationis. 202. defectus in ea. ibid.
Fratres cur initio Epistola. 31
Frugum benedictio quo auctore. 307
Fulmine tacta venenata censentur. 212
- G.
- G** *Alca, vide Mitra.*
Gelasius composuit Gradualia. 32. Tractus. 34. Praefationem. 41. ordinavit Canonem. 44. addidit Hanc igitur. 148. creditur auctor ordinis Romani. Vide Indicem primum. abstulit Romae Lupercalia. 286. extendit ordinationes ad Sabbata multa. 229
Gemelliones, vide Ampulle.
Genus flectere quid. 53. ad quid. ibid. quando in Missa privata. ibid. quando in solemnibus. 54. & seq. quando duobus genibus. 56. Celebrans non genusflectit, Diacono dicente Flectamus genua. 54. cur idem genusflectit ad Adiuvam nos usque ad finem, in solemnibus, non in privata. ibid. ad Et incarnatus est, quando genusflectitur in solemnibus. ibid. quoties in fine Missae genusflectendum, remanente Sacramento in Altari. 169. poenitentiam facere, est genusflectere, in Liturgia S. Petri. 53. ad ea, Et Verbum caro factum est, cur. 176. Ministri genusflectunt ad benedictionem Sacerdotis. 179.
Gloria in excelsis dicitur Hymnus Angelicus. 22. qui auctores. ibid. quando dicitur. ibid. non in Votivis. 23. nec in Votivis S. Mariae, nisi dicantur in Sabbato. ibid. non in Regulijs. 24
- Gloria, laus, & honor, quis auctor. 244*
Gloria Patri, & c. à quo 21. quando omittitur. ibid.
Gloria tibi Domine quid. 35
Graduale, Gradale, & alia nomina. 32. qui auctores. ibid. significatio. ibid. usus in Paschate. ibid. cur in Feria secunda, quarta, & sexta Quadragesime. 238
Gradus in Altari qualis. 318
Graci quando primo celebrarunt Missam. 21
*S. Gregorius I. Missalis auctor. 2. Gradualium. 32. restituit Alleluia. 33. Sequentia Defunctorum auctor. 300. Offeritorium composuit. 40. ultimus Canon addidit verba, post eum nemo alius. 44. quoniam verba. 148. Communionis auctor, quae dicitur ante Orationem ultimam. 45. quomodo auctor Orationis Dominicae in Missa. 158. Praeceptis salutaribus, & Libera nos, addidit. ibid. 159. conciliauit pacem in orbe Dominica 2. post Epiphaniam. 232. addidit quatuor dies Quadragesime. 234. lotionem pedum firmavit. 252. adorationem Crucis instituit in Parasceue, 256. Litaniarum maiores. 275. Stationes ordinavit. 283. Festum Dedicationis Ecclesiae decrevit. 293
Gregorius Junior, id est Secundus, auctor Officiorum in Ferijs quintis Quadragesime, & ieiunij in usum. 239.
Gregorius IV. auctor Festi S. Trinitatis. 280
Gregorius V. I. I. firmavit Decreto Quatuor tempora Quadragesime. 239
Gregorius X. I. dicit iussit Symbolum in Festis SS. quatuor Doctorum Latinorum. 38
Gremiale quid. 97. non est Succisatorium. ibid. forma. 322
*Hama**

Index verborum & rerum.

H.

H *Ama* quid. 77
Hamula, vide *Ampulla*.
 Hanc igitur quando variatur. 44. au-
 ctor. 148. cum palmis apertis supra
 Calicem. ibid.
 Hebdomada maior, Indulgentie, Peno-
 sa, Sancta, Authentica, Vltima,
 idem. 240. pro Defunctis in ea oran-
 dum. 12
 S. Hieronymus ordinator Epistolarum
 & Euangeliorum per annum, appro-
 bante Damaso. 31
 S. Hilarius addidit Hymno Angelico.
 22. verius, illum conuertit in Lati-
 num. ibid.
 Hora celebrandi cur ab aurora ad me-
 ridiem. 48. Tertia, Sexta & Nona
 obseruantur in Missa solemn. 49. 50.
 Tertia dicitur sacra. 49. aurea. ibid.
 quid, si tarde veniat populus. ibid.
 sublata sunt privilegia contra debi-
 tam celebrandi horam. 50. Priuile-
 giat qua hora possunt celebrare. 48
 Hofanna dicitur bis. 42
 Hostia quid. 132. modica, mundissima,
 in modum denarii, rotunda, integra.
 ibid. cum imagine Crucis in altera
 tantum parte. ibid. dicitur oblationis
 corona. ibid. ubi precise locanda in
 Altari. 133. celenatio in Missa. 149.
 numquam tegitur Palla. 151. quo-
 modo frangenda. 160. an eiusdem
 pars possit dari alteri. 211. Hostia
 quadraginta horarum non cuique
 danda est. 168. de instrumento ad
 Hostias conficiendas. 324
 Hostia consecrata dubia quomodo tra-
 ctanda. 1214
 Hostie, vide Particula.
 Humeralis, vide Amictus.
 Humiliate capita vestra Deo quomodo
 dicitur. 175

Hymnologia Catholica, vide *Symbo-
 lum*.

Hymnus Angelicus, vide *Gloria in
 excelsis*.

Hypante, seu *Hypapante*, quod Fe-
 stum. 285

I.

S. Iacobus quomodo primus Apосто-
 lorum Missam fecerit. 4

Ieiunium Christi quando coeptum, &
 desijt. 236. ieiunium Feria 4. est ce-
 lebre. 245

Ieiunium prohibetur in Dominicis. 6. fit
 in Sabbato, & apud Hebraeos. ibid.
 ante Missam est necessarium. 208.
 non ieiuno Sacerdoti duo in Missa
 conceduntur. ibid. immemor cibi
 sumpti, an possit celebrare. ibid.

S. Ignatius addidit, Benedictus qui
 venit, &c. 42

Ignatius Braccius laudatur. 64. 88. 89.

Imagines quando velandae. 240

Impropria continent verba Graeca &
 Latina, non Hebraea. 257

Incentatio Altaris initio Missae. 116.
 Celebrantis post Euangelium. 130.

Oblatorum. 140. cur in modum Cru-
 cis & circuli fiat. ibid. & sexies.
 141. incensantur omnes. ibid. quo or-
 dine. ibid. laicorum & papuli quali-
 ter fit. ibid.

Incensum an benedicatur ad Oblata in
 Parasceue. 259. incensum benedi-
 ctum & Aqua benedicta pro De-
 functis adhibentur. 184. non benedi-
 ctur pro incensando Sacramento.
 153.

In Christo Iesu Domino nostro, cur
 in fine Epistolae. 31

Inclinatio capitis ad nomen Papae, an
 etiam in Canone. 144. ad Pereum-
 dem Christum Dominum nostrum,
 vno in loco tantum, & cur. 155

c 3

In

Index verborum & rerum.

- In diebus illis, initio *Lectionum veteris Testamenti.* 31
Infirmas Sacerdotis quanam excusat ab onere Missarum. 222
Infula, vide Planeta, Mitra.
Ingressa quid, vide Introitus.
 In illo tempore quando omittitur. 35
S. Innocentius I. auctor Pax Domini. 161. & pacis dande. 162. iussit referuari *Hostiam in diebus Parasceues.* 246
Innocentius III. auctor Dona nobis pacem. 161. *Orationis A cunctis.* 25
Innocentius VII. iussit dici Symbolum in Festis S. Ioannis Baptista, & S. Laurentij, quando in Dominica occurrunt. 39
 In principio cur in fine *Missae.* 46
 cur Deo gratias ultimo loco respondetur. 176
Instructionum de nitore Ecclesiae in Aeternis Med. Eccles. quis auctor. 80.
 quanam ea sint. 323
Intentio Ministri in consecratione, & defectus eiusdem. 203
Intorticia cur extinguantur post elevationem Missae sollemnis. 153. quando non. *ibid.*
Introitus quid. 20. à quo. *ibid.* alij sunt regulares, alij irregulares. *ibid.* cum signo Crucis inchoatur. 113. Cantores illius non genuflectunt ad Confessionem. 55
S. Ioannes nominatus post consecrationem quis, an Baptista, vel Evangelista, vel Marcus. 156. *Ioannis Baptista Missa quando habet Credo.* 38. 39
Ioannes XIII. campanam benedixit. 77.
Ioannes XXII. addidit Dona nobis pacem. 161. auctor *Festi Trinitatis.* 280.
S. Isidori mitra, & baculus. 95. 96
Ite missa est à quo. 45. quando dicitur. *ibid.* ad quid. *ibid.* versus populum. 173
Iudica me Deus à quo in Missa. 110. quando omittitur, & cur. *ibid.*

K.

K *Yrie eleison unde.* 21. cur ante *Orationem primam.* *ibid.* quid significat. *ibid.* cur novies. *ibid.*

L.

L *Aici in Missa sollemni, quando stent, sedcant, &c.* 57
Lampas ante Altare ardeant. 80
S. Laurentij commemoratio post Missam. 179. à quo tempore. *ibid.* quando habet *Credo in Missa.* 38. 39
Lauretana in aede B. Virginis semper dicitur Gloria in excelsis in votivis B. Virginis. 24
Laus tibi Christe quid. 35
Lectionarium S. Hieronymi. 31. *Evangeliarium.* 35
Lectiones sine titulo quid significant. 253. 267.
Lectorium, vide Pulpitum.
Legatus à latere ubi celebravit, ibi ne alius celebret. 78
Leges rubra quid. 1
S. Leo I. auctor Orate fratres. 137. *Prefationum.* 41. *incensationis oblatorum.* 140. *Hanc igitur.* 148. *Sanctum Sacrificium.* 154. *Ite missa est.* 45. & *Benedicamus Domino.* *ibid.* decrevit ieiunium in mense Decembri pro hieme. 229. in Septembri pro Autumno. 283
S. Leo II. iussit dari pacem. 162. auctor *Collectae votivae Apostolorum.* 295.
S. Leo IV. cur non meminit Cinguli. 91. auctor *Collectae Apostolorum votivae.* 295
 Leo

Index verborum & rerum.

- Leo IX.* in Officio novem Lectionum
iussit dici Hymnum angelicum. 22
Libera nos quaesumus à quo. 159. alta
voce quando. 260
*Liber Evangeliorum in medio Conci-
liorum.* 128
Liber Missalis necessarius ad Missam.
82. aperitur & clauditur à Celebran-
te. 104. 173. in Missa solenni à mi-
nistris. 174. quibus datur osculandus.
125.
*Liber mysteriorum, vide Missale. Liber
Sacramentorum.* ibid.
Ligneus sonitus à quo, & quid. 76. 251
Linea, vide Rocchettum.
Linea Dalmatica, vide Alba.
*Linea vestes, & panni quomodo mun-
dandi.* 325. quomodo mutandi. ibid.
Linguae tres in Missa. 33
Linosfima quid significet. 91
*Lintea ad manus tergendas quando mu-
tanda.* 325.
Linteamen, Linteolum, vide Linteum.
*Linteum pro Communione populi, Lin-
teamen, Linteolum, Dominicale, Sin-
don.* 167. forma eiusdem. 318
S. Linus auctor Communicantes. 147
Litania quid. 269. 275. nihil addatur.
269. maiores quae. 275. Missa quae.
276. minores. ibid. cum abstinentia.
ibid. occurrentes maiores in Paschate
transferuntur. 275
*Locus sacer, non violatus, necessarius ad
Missam.* 71
Lorum, vide Mitra.

M.

Magistri Carimoniarum locus in
procedendo ad Missam. 106
Magorū adoratio Feria 6. contigit. 232
*S. Mamertus auctor Litaniarum mino-
rum.* 276
Mandatum quid, à quo. 251
Manica, vide Chirotheca.
*Manipulus, Mappula, Sudarium, Cin-
gulum brachiale, Fauon, Phanon,
Mantile, Mappa parua, Lin-
teum cincticulum, Aer, Palla lino-
sima, idem.* 91. quo loco induitur.
ibid. simbria addita. ibid. Crux in
eius medio. ibid. cur in laeva gestatur.
ibid. ligandus infra cubitum. ibid.
numquam cum Pluviali defertur.
66. significatio allegorica. 98. anago-
gica. ibid. tropologica. 100. quid signi-
ficet in Subdiacono. 70. Episcopo da-
tur ultimo loco. 96. & initio Missa.
ibid. forma eiusdem. 318
Mantile, vide Manipulus.
Mantilia pro purificatoris. 84.
Manutergium quid. 77. ne supra cali-
cem feratur. ibid. duplex pro mani-
bus in Sacristia. 179. forma. 318
Manuum ablutio ante Missam. 83.
iunctio manuum. 107. pollice dextro
super sinistro. ibid. extenso & iun-
ctio. 112. ante benedictionem. 135. su-
per Altare. 113. elevatio ad hume-
ros. 121. osculum manus. 115. ablutio
post oblata. 136. depositio super Al-
tare. 138. extensio super oblata. 148.
post consecrationem. 154. ablutio post
Communionem in Missa non nisi E-
piscopo. 171. iunguntur manus super
Altare septies. 175. ablutio manuum
post Missam. 179. extra Missam
iunguntur ad Orationes. 185
Mappa triplex Altaris. 73. Palla di-
citur, & Sindon. ibid. benedicenda.
ibid. significatio. ibid. forma earum.
318.
Mappa parua, vide Manipulus.
*Mappa pro Communione, vide Lin-
teum.*
*Mappula, vide Manipulus, Balda-
chinum.*
*S. Marcus Papa Symbolum Nicenū in
Missa post Evangelium dici iussit.* 36
S. Ma-

Index verborum & rerum.

- S. Maria Virgini Sabbatum dicatur.* 7. à quo Officium in Sabbato.
ibid. eiusdem Votivæ Missæ auctor.
ibid. differentia ritus inter Festivam in Sabbato, & Votivam Missam de B. Virgine. 23. Oratio de Spiritu sancto frequens in eiusdem Missis.
 28. Oratio de B. Virgine in Vigilijs, & frequentissima per annum. 26. eiusdem Annuntiationis Festum quæ ratione in Hebdomada maiori. 289
Martyres in Communi Sanctorum speciales habent Missas in tempore Paschali. 292
Martyrium, vide Ecclesia.
S. Mathias post consecrationem nominatur. 156. & post Stephanum cur. *ibid.*
Matutinum cum Laudibus ante Missam dicitur. 82
S. Melchisedech candelabra in Altari poni insit. 75
Memento in Missa ne dicatur alta voce. 52. est Oratio priuata. 146. admittit excommunicatos. *ibid.* non debet fieri in momento. *ibid.* traditur praxis. 145
Minister necessarius ad Missam. 101 unus saltem. *ibid.* non femina. *ibid.*
Ministri cantantes in peccato, vel seruientes, an peccent. 128
Misereatur vestri dicitur uno communicato. 167
Missæ vox Latina, antiquissima, valde significatiua. 3. Missæ accidunt octo in genere. 1. ab Hebrais ducit aliquam originem. 3. à Græcis sex nomina dantur illi. *ibid.* quinque significat. *ibid.* Collectio & Dominicum eadem cum Missa. *ibid.* varia nomina apud SS. Patres. *ibid.*
Missæ definitio ex omnibus causis. *ibid.*
Missæ Apostolorum quibus constaret. 20. à S. Petro data forma. 2. & ab eo prima Missa celebrata. 3. breuis initio. 20
Missæ à Græcis quando cepta dici. 21. longior quàm Latina. 188
Missæ locus. 71. nomina varia locorum. 78. non in mari, ne que in flumine celebranda. *ibid.*
Missæ sollemnis Cerimonie in Missali minutiores multa desiderantur. 105. in diebus profestis tolerantur aliqui defectus. *ibid.*
Missæ finis ibi fit ubi & initium. 173. in fine Missæ quid agendum cum Prælati. 178
Missæ Defunctorum detrahuntur multa. 181. si fiat Communio intra eam, nulla datur benedictio. *ibid.* oscula prohibentur. 182
Missæ de Ferijs privilegiatis quam Præfationem habeant, si occurrant infra Octauas in Festis habentibus propriam Præfationem. 42
Missæ Hora, vide Hora.
Missæ partes quando addita. 188
Missæ inchoata quando repeti possit. 216. quando interrumpi. *ibid.* concordet cum Festo loci, licet discordet ab Officio Celebrantis. 215
Missæ sollemnis, & eius nomina varia. 105. Conuenientialis cum Officio concordet. 10. post aliquam Horam Canonice cantanda est. 49. eius Rubricæ strictioris sunt iuris. 217
Missæ sollemnis coram Sacramento præscribitur. 185. & seq.
Missæ priuata coram eodem. 186
Missæ pro Oratione 40. Horarum quæ. 185.
Missæ de die non potest omitti à Canonicis ob Votivam, seu pro Defunctis. 10.
Missæ dua, de Festo & Feria privilegiata, omnino cantanda. 5. 216. quibus diebus. 289. à quibus. 220. cur non

Index verborum & rerum.

- non dua, de die infra Octauam, & de Feria maiori. 5. 6. neque in Festo occurrente in Dominica. 16. neque de Festo, & de die infra Octauam. 5
- Missæ certa concessa quibusdam non possunt dici ab omnibus, nec in illorum locis. 215. Rosarij permittitur Prædicatorum Ordini, non alijs. 291. pro obligatione Missæ de Rosario celebrandæ, alia Missæ de B. Virgine dici potest. 295. multa non approbata, & quæ. 296. quindecim Auxiliatorum. ibid. de Patre eterno. ibid. S. Gregorij pro viujs & defunctis. ibid.
- Missæ 30. S. Gregorij non sunt prohibita. 14. quomodo celebrandæ. ibid.
- Missarum reductio prohibita & moderatio quacumque. 226. onus perpetuum qua ratione fiat. 225
- Missarum obligationes & onera ratione loci. 220. temporis. 221. ritus. 223. beneficij seu officij. ibid. stipendij. 224. vacatio a Missa quotidiana quando. 222
- Missæ valor an infinitus. 145. quomodo applicandus. ibid. Missæ plures vno die quando dici possint. 221
- Missam inceptam supplere quis potest. 211. & tunc quomodo Sacrificium applicet. 224
- Missæ debet dici cum A. B. C. D. E. 220.
- Missæ Votiuæ potest compensari cum Missæ diei currentis. 223. item Missæ de Requiem. ibid.
- Missæ cum Ordinationibus. 229
- Missæ Parochialis sine cantu est priuata, non propriè Conuentualis. 49
- Missæ breuiores nunc quàm antiquitus. 188. qua breuitate dicenda. 220
- Missæ expositio mystica iuxta ordinem totius vitæ Christi. 189
- Missalis nomen unde. 2. alia nomina. ibid. quis auctor. ibid. ordo & partes. 47. sine eo non fit Missa. 82. quomodo deferatur ad Altare à ministro. 101. forma eiusdem. 318
- Mitra, Apex, Sertum cum gemmis, Corona Sacerdotalis, Corona gloriæ, Pileus, Galea, Tiara, Infula, Cidaridaris, Phrygium, Lorum, Auriphrygium circulare. idem. 94. forma. 95. significatio anagogica. 97. tropologica. 100. Mitra S. Siluestri. 95. S. Augustini. ibid. S. Isidori. ibid. quando data Abbatibus. 94. forma propria. 321
- More solito non semper significat totum ritum, sed partem eius primariam. 259. 260
- Mozetta, Birrus lacernus, idem. 108. indicat iurisdictionem. ibid. cum Rocchetto nudo plenariam. ibid.
- Mundandus est qui alijs prædicat. 124
- Munditia suppellectilis sacra fusè describitur. 323
- N.
- N**. In Oratione A cunctis quid. 25
- in Canone quid. 145. 155. in Missis defunctorum. 302
- Natalis Domini habet certum diem. 230. tres Missas. ibid. qua ratione celebrantur. ibid. qua hora. 50. si prima ante mediam noctem ex privilegio, quomodo ieiunus erit Celebrans. 230. an omnes tres ante diem celebrari queant. ibid. An vna ex tribus satis, & qua. 231
- Natalis Episcoporum dies qui. 297
- Natalitia Sanctorum, vide Festa.
- Naucula & Acerra, idem. 115. forma eiusdem. 316
- Necessitas vrgens ad Missam qua. 206
- Nicanus Symbolum in Missa a quo. 36
- Nicolaus I. iussit dici Gloria in excelsis in Cæna Domini. 22
- Niger color quando adhibendus. 63
- f
- Nola,

Index verborum & rerum.

Nola, vide Campana.
Note in Passione † C. S. quid. 244
Nuptia qua non benedicenda. 60

O.

Oblatio populi in *Missâ* quando.
 135. quomodo. *ibid.* in *Missâ*
 noua. *ibid.* non datur benedictio in fi-
 ne. *ibid.*
Oblationis Corona, vide Hostia.
ad Occidentem orabant Hebræi. 122
Octaua est prorogatio Festi. 4. 285
cur aliquorum tantum Octaua cele-
bratur. ibid. ritus. ibid. mystica cau-
se. ibid.
Octaua Natiuitatis Domini. 231. San-
 ctorum Stephani, Ioannis, Innocen-
 tum. *ibid.* Epiphania. 232. Pascha-
 tis. 274. Ascensionis. 277. Penteco-
 stes. 279. Corporis Christi. 280
Octauarium Romanum. 285
Oculorum eleuatio nouies in Missâ.
 175.
Offertorium quid. 40. *Offerenda, idem.*
ibid. à quo. ibid.
Omissio in Missâ minus peccatum
quam commissio. 215
Omnium Sanctorum Festum non inclu-
dit Trinitatem. 60
Oraculum, vide Missæ loca.
Orale non est Amictus. 90 quid. *ibid.*
Orandum ad Orientem septem de cau-
sis. 122
Orans populus acclinis esse debet. 123.
quando genus sexus orare debet. 53. &
tempore Paschali. *ibid.*
Orarium, & Orarius, vide Stola.
Orate fratres à quo. 137. quoritu. *ibid.*
Oratio, Benedictio, idem. 24. *Collecta.*
ibid. breuis esse debet. ibid. Auctores
Orationum. ibid. numerus in Missâ
quis. 27. tres tantum in *Semidupli-*
bus. ibid. non quatuor in Dominicis
& Ferijs Quadragesima. 29. non vl-

tra septenarium. 27. septem ad libi-
 tum quomodo intelligantur. 28. *Vna,*
ex Romana traditione. 25. *Due sub*
una conclusione dantur. 19. non in
Missâ pro gratiarum actione. ibid.
qualitas Orationum. 25. & seq. ordo
earum quis. 18. pro *Defunctis penul-*
timo loco ponitur. ibid. de beata Vir-
gine sepius. 26. à *Superioribus indi-*
cta pro re graui, quo loco dicitur. 29.
an semper. ibid. pro seipso Sacerdo-
te coram Prelato proprio omitten-
da. 25. *A cunctis quis. auctor. ibid.*
quando mutatur. 28. illud *N.* quid
 significat in ea. 25. anteponitur no-
 minibus *Apostolorum, si dignitas Pa-*
 troni postulet. 299. *Omnipotens, &c.*
qui viuorum dominaris, quis au-
ctor. 300. tres addita à *S. Petro*
qua. 20. si due coincidunt, qua mu-
 tanda. 19. ad *Patrem & Filium,*
 numquam ad *Spiritum sanctum, di-*
 riguntur *Collecte.* 30. varia con-
 clusio. *ibid. in ea tamen mentio Tri-*
 nitaris. *ibid. breuior conclusio quan-*
 do sit. *ibid.*
Oratio Dominica à quo in Missâ. 158.
cur alta voce. 159. an extra *Can-*
onem sit. ibid. additur praludium. 158
Oratio nulla est frustra in Missali.
 299.
Oratio sollemnis pro Defunctis, vide Ab-
solutio.
Orationes ante Missam qua. 82. vn-
 de. *ibid. ad indumenta.* 89. vsus
 earum an necessarius sub peccato. 82.
 89. post *Missam qua.* 179
Orationes secretae. 40. post *Communi-*
onem Collecta dicuntur, & benedi-
ctiones. 4. titulus earum, *Ad com-*
plendum. ibid. cuni extensione ma-
nuum dicuntur omnes in Missâ tan-
tum. 121. iunctis manibus extra
Missam. 185. *Oratio ultima in Qua-*
drage-

Index verborum & rerum.

- Dragesima unde.* 174. *Orationes iaculatorie in Missa.* 52
- Oratoria priuata quando non admittant Missam, etiam posito privilegio ibidem celebrandi.* 78. *à quo deputanda.* 71. *in Oratoris Regularium qui possunt celebrare.* 78
- Oratorium, vide Ecclesia.*
- Ordinationes in Sabbatis Quatuor Temporum à quo.* 229. *in Sabb. Sities.* 239. *cum ieiunio & Missa unde.* 229
- Ordo Romanus à quo, vide Indicem primum.*
- Oremus ante Orationes quid.* 121. *ante Offertorium.* 40. *cum extensione & iunctione manuum.* 112. *dicitur Indictio Orationis.* 121
- O sacrum conuiuium explicatur.* 133
- Oscitantes digito pollice sibi os signant signo Crucis.* 275
- Oscula rerum dum dantur, & recipiuntur.* 115. *manuum.* *ibid.* *textus Evangelici.* 125. *cur ab vno tantum liber Euangeliorum osculatur.* *ibid.* *Altaris osculum nonies fit in Missa.* 175. *omittuntur oscula manus & rerum coram Sacramento.* 186. *& in Missa Defunctorum.* 182
- P.
- P***alatium Episcopi non est domus priuata.* 71. *in eo Missa dici potest.* *ibid.*
- Palla quid.* 84. *Corporalis pars.* *ibid.* *à quo.* *ibid.* *materia eiusdem.* *ibid.* *cur Animata.* 85. *non benedicatur separatim à Corporali.* 86. *duplicis Palle usus non communis esse debet omnibus.* 85
- Palla Corporalis, vide Corporale.*
- Palla linostrima, vide Manipulus.*
- Pallium Altaris.* 73. *an benedicendum.* *ibid.* *velum dicitur.* *ibid.* *pallia auro texta sub Hormisda.* *ibid.* *tabula lignea ad ea extendenda.* *ibid.* *significatio.* *ibid.* *Crux in medio fit.* *ibid.* *forma eiusdem.* 318. *quomodo recon- dendum.* 326
- Palmarum benedictio.* 241. *Processio.* 243. *mysteria.* 245
- Panis, materia Sacramenti, qualis.* 198. *defectus in eo.* *ibid.* *benedictio eiusdem à S. Petro.* 306. *distribuebatur in fine Missæ.* 174
- Papa in Missa priuata quas habet pre- rogatiuas.* 108. *vbi celebrat ipse, non celebrat alius.* 78. *Papæ nomen quid significet.* 144. *nominatur in Canone.* *ibid.* *an possit concedere Missam in solo pane.* 202. *eiusdem Creatio, Co- ronatio celebranda.* 297. *Romani- bant Episcopi in hanc causam.* *ibid.* *ad eius nomen caput inclinatur.* 122. 144. *Stola vititur extra Sacramenta- lia vt proprio habitu.* 130
- Paramenta pro Sacerdote numquam in Altaris medio ponuntur.* 86. *neque sumuntur de Altari.* *ibid.* *quæ vsui non sunt, comburantur.* 210
- Parascene cœna pura.* 252. *à quo.* *ibid.* *ritus.* *ibid.* *cur ea die non conse- cratur.* *ibid.* *cessant officia Sacer- dotis.* 253. *Passio in nudo pulpito cantatur.* 254. *an eodem die, si acci- dat Festum, Missa sit audienda.* 262. *an item communicandus sit po- pulus.* *ibid.*
- Paratoria, id est capsæ Calicum.* 83
- Parenthesis in Oratione Secreta Dedi- cationis Ecclesie quid importet.* 293
- Parochus tenetur aliquando applicare Sacrificium pro omnibus.* 223. *an in Festis possit stipendium accipere ab alio pro Missa.* 221
- Particula, Hostia, Buccella, idem.* 103. *an facta oblatione Calicis re- cipi possit particula consecranda.* 216. *ab imo Hostia præcidi debet*
f 2 par-

Index verborum & rerum.

- particula in Calicem mittenda.* 161
Paschale tempus est Remissionis. 275
Paschatis elogium. 273. in *Dominica celebratur.* 274 à quo. *ibid.* *Octava à quo.* *ibid.* *Pascha petrum, seu competentium, vide Dominica Palmarum.*
Passio à quo legi iussa. 244. in *nudo pulpito.* 254. *legitur cum lumine in Altari, excepta Parasceue.* 245.
Nora C.S. quid significant. 244.
Passio Christi indicatur in vestibus Sacerdotalibus. 98
Pastophorium, vide Tabernaculum.
Patena. 84. *ex qua materia.* *ibid.* *que forma.* *ibid.* *vas sacrum.* *ibid.* *subtus Corporale absconditur.* 133. *in manu Subdiaconi velatur.* 139. *pars interior respiciat Subdiaconum.* *ibid.* *non tenetur ab eo in Missa Defunctorum.* 140. *non adhibetur pro Tabella pacis.* 171. *neque sub mento communicantium.* 172
Patronus quem locum habeat in Oratione A cunctis. 299. *Votiva Patroni an excludat A cunctis.* 29
S. Paulinus campanarum auctor. 77
S. Paulus quando Romam est ingressus. 9. *eiusdem Epistole tantum legebantur.* 31. *orat genibus flexis tempore Paschali.* 53. *institutor diei Parasceues.* 252. *Votiva Conuersionis eius quomodo dicatur.* 295
Pax Domini, &c. à quo. 161. *datur pax cum osculo Altaris.* 162. *cum amplexu.* 170. *per genas sinistras.* *ibid.* *cum osculo.* 162. *cum Tabella sacra.* *ibid.* 171. *nequaquam cum Patena.* *ibid.* *auctor huius ritus dandi pacem.* 162. *non datur in Missis Defunctorum.* 163. *ad ea verba, Pax Domini, standum est, & cur.* 55. *de ordine & ritu dandi pacem.* 171. *quibus danda in Missa priuata.* 162
Pax, vobis, vide Dominus vobiscum. dicitur tantum cum *Hymno Angelico.* 120
Peccatorum genera nouem. 189
Pectoris tunica quid. 111. *vide.* *ibid.*
Pedules, vide Caliga.
Pedum, vide Baculus.
Pedum ablutio in Feria 5. Cena Domini. 251
Pelagius I. instituit Hora nona Missam celebrari in ieiunijs. 50. *memoriam Defunctorum in Missa decreuit.* 155
Pelagius I. nouem Praefationes approbavit. 41
Peluicula qualis. 319
Pentecostes quid. 278. *in Dominica celebratur.* *ibid.* *septem hebdomada ante, & septem dies post eam.* *ibid.* *de Quatuor temporibus eiusdem.* 279.
Feria 5. Officium idem cum Dominica. *ibid.* *Octauam habet.* *ibid.* *quando terminatur.* *ibid.*
Peplum sudarium, vide Velum Calicis.
Pera, vide Bursa.
Per Christum Dominum nostrum quinques in Canone. 148. 157. *cur abbreviata conclusio.* 157. *cur vno loco tantum inclinatur caput ad haec verba.* 155
Persusio, vide Purificatio.
Per omnia saecula, &c. cur alitè. 138. *an sit principium Praefationis.* 41
Perspicilla deponuntur extra Corporale. 120
Petasus, vide Campana.
S. Petrus primus celebravit Missam. 3. *& quando.* *ibid.* *addidit Missa tres Orationes.* 20. *Liturgia eiusdem.* 2. 20. *quando Romam sit ingressus.* 9. *addidit enim forma consecrationis.* 149. *instituit Aduentum.* 227. *Roma Quadragesimam.* 233. *Pascha in Dominica.* 274. *Planeta S. Petri ubi.* 93. *Panis benedictio à S. Petro orta.* 306
Pha

Index verborum & rerum.

- Phanon, vide Manipulus.
 Phelonion, vide Planeta.
 Phrygium, vide Mitra.
 Phylacteria, vide Crux pectoralis.
 Pileoli v. sum quis concedat in Missa.
 102.
 Pileus, vide Mitra.
 S. Pius I. statuit penas effundenti Calicem. 213. an sint in usu. ibid. decrevit diem Paschatis. 274
 Pius V. addidit Symbolū Fesso S. Thoma. 38. concessit Regi Hispaniarum nominari in Canone in Hispania. 145
 Placeat tibi, &c. 175
 Planeta S. Petri. 93. S. Gordiani qualis. 58. Penula, Casula, Infula, Tunica, Cappa, Phelonium, idem. 93. forma eiusdem. 64. 93. 319. significatio anagogica. 97. allegorica. 98. tropologica. 99. Planeta plicata cur ministris datur. 69. cur deponitur a cantantibus Epistolam seu Evangelium. ibid. quibus Regularibus conceditur. ibid. eiusdem elevatio in Missa. 150. quomodo recondenda. 326
 Pluviale quid. 64. à quo. ibid. eiusdem usus. ibid. significatio. ibid. non benedicuntur. 66. forma eiusdem. 319. quomodo recondendum. 326
 Poculum mysticum, sanctum, vide Calix.
 Podèris, vide Alba.
 Penitentiam facere, est genusflectere. 53
 S. Pontianus Confessionis ante Missam auctor. 111
 Pontifices Summi, qui ritus decreverunt, vide Indicem secundum.
 Preceptis salutaribus moniti, à quo. 158
 Prefatio quid. 41. qui auctores. ibid. initium eiusdem. ibid. novem Prefationes approbatae. ibid. ordo earum. ibid. de B. Virgine à quo addita. ibid. in Ferijs privilegiatis qua dicenda. 42
 Pralati ad Confessionem non genuflectunt. 55. eorum locus ad Missam privatam. 108
 Preces quae in Secretis addi possunt. 52
 Priuilegium Minorum de Gloria in excelsis nullum. 24
 Processio quid. 65. vnde. ibid. multiplex. ibid. cum Cruce. ibid. cum velo ad Crucem à Regularibus. ibid. imagine Christi Olerum non aspiciente, qui sequitur. ibid. ante Missam qualis. 106. non cantat Celebrans in Processione S. Sacramenti. 249. Processiones nigrae quae, vide Litanie maiores. Processio septiformis. ibid. Processio Corporis Christi. 280. Processio cum cereis benedictis à quo. 286
 Prophetiae sine titulo leguntur. 267. ordo eas legendi in Sabbato sancto. 268
 Protonotarij non genuflectunt ad Confessionem. 55. eiusdem vetitus annulus in Missa. 96. non possunt benedicere paramenta. 307
 Psalmus pars Introitus. 20
 Psalterium totum olim ante Missam dicebatur. ibid.
 Psychia, vide Palla.
 Publica causa & gravis quae. 24. si celebretur in violaceis, non dicitur Gloria, neque Credo. ibid.
 Pulpitum Euangely, Tribunal, Ambo, & alia nomina. 129. 254. nudum pro Passione. 254
 Pulvinar, vide Cussinus. forma eiusdem. 319.
 Puluis & cinis simul quid. 238
 Purificatio & perfusio vino fit, & quae ratione. 165. 166. non in Calice in primis duabus Missis Natalis Domini. 208. communicati purificantur aqua & vino. 169
 Purificationis Festum cum Processione, &c. 285
 Purificatorium. 84. an benedicatur. ibid.

Index verborum & rerum.

- ibid. *Cruce in eius medio.* ibid. *forma eiusdem.* 319
Pyxis, Ciborium paruum, Arca illustrationis, Turris gestatoria, idem. 104. *an consecranda.* ibid. *ex qua materia.* ibid. *sine Corporali intus.* ibid. *quomodo purificanda.* 169. *quid si cooperta consecretur.* 205. *formae eiusdem.* 319
- Q.
- Q**uadragesima quid. 233. *cur coniuncta Paschati.* ibid. *ieiunium Paschatis est dicta.* ibid. *non adhibentur Dalmatica.* 69
Quadragesima sex annis edificatum templum corporis Christi quomodo. 235.
Quatuor Tempora à quo. 228. *quare.* ibid. *duae Lectiones in Feria 4.* ibid. *sex in Sabbatis.* ibid. *sexta Lectio semper de tribus pueris cum Oratione, sine Flectamus.* ibid. *Quatuor Tempora in 3. Hebdomada Adventus à quo.* 229. *Pentecostes cum latinita.* 279. *Quatuor Septembris à quo.* 283. *si in Festum incidant, est adhuc ieiunandum.* ibid. *Missae Quatuor Temporum cedit Missa infra Octavam.* 5. *que Praefatio in Missa de Feria infra Octavam B. Virginis, vel in die Octava.* 42. *in Collegiatis non omittenda, si occurrat in Festo.* 218
Quinquagesima quid, à quo. 233
Quinque verba consecrationis, cur hic numerus. 149
Qui pridie, &c. à quo. 148
- R.
- R**eges an in Canone nominandi. 144. *Rex Hispaniarum in Hispanijs recte nominatur.* 145
Regula illa, De eodem bis non fit mentio in Missa, explicatur. 298
- Regulares non Canonici non debent tibi birreto.* 101. *An teneantur cantare Missas duas, de Festo & Feria.* 219. *eorum Ecclesiae non sunt collegiatae.* 220. *tenentur se conformare intentioni Superiorum in applicatione Sacrificij.* 224. *eorum voluntatem potest irritare Superior etiam in applicatione Sacrificij.* ibid. *qualis eorum Cruce processionalis.* 65. *tenentur celebrare Festum Patroni loci, non Octavam.* 292
Reliquia insignis, ut dicatur Credo, que. 39
Reliquiae Sanctorum, necessariae in Altari. 72. *cur, ex S. Augustino.* ibid. *& approbatae.* ibid. *quid, si non sunt reliquiae?* 113. *earum incensatio in Altari qualiter fiat.* 116. *earum cultus.* ibid. *ubi locanda.* 79
Requiem aeternam non dicitur ad Lauabo. 136
Requiescant in pace. 45. *dicitur versus Altare.* 173. *semper in plurali.* 45. 185.
Res gratis que, vide Publica causa.
Reuerentia quoruplex dicitur. 101
Riccha, vide Rocchettum.
Rocchettum, Linea, Ephod, Supparius, Riccha, idem. 87
Rogationes, vide Litanie. Missa sine Gloria, Credo, cum Praefatione feriali, etiam in Litanis maioribus. 276.
Rosa aurea Pape. 235
Rosary Missa quibus concessa. 291. *vetusta.* ibid. *eius Festum quale.* ibid.
Rotunditas Hostiae, Patene, Calicis, quid. 132
Rubens color quid significat. 61. *quando adhibendus.* ibid.
Rubrica quid. 1. *generales quando ad dita Missali.* ibid. *praecipuus que.* 216. *directiva.* 220. *collector earum.* 2.
- R4-

Index verborum & rerum.

- Rubrica singularis restituta in Missali.* 178. *Rubricarum obligatio maxima, ex Tridentino.* 210
- S.
- S** *Abbas dicendi Trisagij auctor.* 257.
- Sabbatum dicatum B. Virgini.* 47
- Sabbatum sanctum.* 263. *ciusdem ritus.* *ibid.* non habet *Officium Vesperarum.* 272 *Vespera extra Chorum.* *ibid.* an alia *Missae* dici possint. *ibid.* quale in hoc casu *exordium* erit *Missae.* *ibid.* an *Communio laicorum* admittenda. 273
- Sabbatum in Albis.* 274
- Sabinianus auctor campanarum.* 76
- Sacerdotis nomen.* 82. *virtutes in vestibus notata.* 98. *dignitas coram Papa.* 111. *communicet cum Stola.* 172. 247. an sub *mortali.* 247. *obligationes & onera Missarum* nouerit, fuisse. 220. & seqq.
- Sacramenta integre sumenda à Celebrante, & quomodo.* 164. 211
- Sacramentale, vide Missale.*
- Sacrarium quid.* 215
- Sacrificij applicatio practica.* 145. *valor.* *ibid.* *portiones tres.* *ibid.* *quibus tribuantur.* *ibid.* *satisfactorium est, meritum, & impetratorium.* 146. *suppleri potest ab excommunicato, &c.* 211.
- Sal cur ante benedicatur quam aqua, & cur miscetur.* 304
- Sanctorum commemoratio in Canone.* 147. 196. *ante consecrationem cur.* 147. *Catalogus eorum à quo.* *ibid.* *quot nominantur.* *ibid.* non *Confessores.* 148. *qui ultimi in martyrio fuerunt, non sunt ultimi in nominatione.* *ibid.* non ideo *excluduntur alij Sancti à Canone.* *ibid.* *post consecrationem quindecim nominantur, octo viri, septem mulieres.* 156
- Sanctorum Missa in Festis proprijs admittit Gloria in excelsis, licet Officium non fiat.* 24
- Sanctus, Sanctus, &c. est Hymnus Angelicus.* 42. *Victorialis, Triumphalis, Cherubicus & primaeuus dicitur.* *ibid.* *quo auctore.* *ibid.* in *Missae* *solemni à Celebrante* non debet *omitti.* 142
- Sandalia quid.* 93. & *Sandalium.* *ibid.* *forma.* 321
- Sapientia titulus communis est Lectionibus Proverbiorum, Canticorum, & Ecclesiastici in Missa.* 31
- Scriptores de sacris ritibus, in Indice primo.*
- Scyphus aquae pro Missa.* 77
- Secala non est triticum.* 198
- Secretarum Tabella.* 76
- Secretò dicuntur multa in Missa, octo de causis.* 51
- Sedere quando conuenit in Missa.* 56 *qua ratione sedendum à Celebrante & ministris.* 119. *in qua parte.* 56. *quibus.* 57. *sedent in Choro ad incensationem Altaris & oblatorum.* *ibid.*
- Septuagesima tollit Alleluia.* 235. *quid & a quo instituta.* 233
- Sequentia, Prosa, Iubilatio, idem.* 14. *quis primus auctor.* 33. *qui alij.* *ibid.* *iungitur cum Alleluia.* *ibid.* *Auctor Sequentiae Paschalis.* *ibid.* 274. *Pentecostes.* 33. *Corporis Christi.* *ibid.* *Defunctorum.* 300
- Sequentia S. Euangelij quid.* 35
- Seraphim in Praefatione cuius generis.* 42.
- Sergius auctor Agnus Dei.* 161. & *Processionis cum Cereis benedictis.* 286.
- Sermo pro Defunctis quando fiat.* 183.

Index verborum & rerum.

- Sexagesima* quid. 234. à quo. 233. Col-
lecta cur de S. Paulo. 235
- Sic dicitur etiam in Missis B. Mariae,
explicatur. 23
- Sicut erat, &c. à Niceno additum. 21
- Signum Crucis, vide Crucis signum.
- Siluerius Papa velari Patenam iussit.
139.
- S. Silvester dedit Dalmaticas Diaconis,
67. & Manipulum. 70. dicitur au-
ctor Corporalis linei. 85. concessit
Dalmaticam Episcopis. 94. eiusdem
Mitra qualis. 95
- Simplicius Papa Ordinationes habuit
mense Februario. 229
- Sindon, vide Corporale, Lintum, Ve-
lum Subdiaconi.
- Sindones, vide Mappa.
- Sinistra super Altare in benedictione
quid. 135
- Siricius auctor Communicantes. 147
- Sixtus I. auctor Corporalis. 85. & me-
moria Defunctorum in Missa. 155.
auctor Sanctus, Sanctus, &c. 42
- Sixtus I I. decrevit Missam celebrari
in Altari tantum. 71
- Sixtus V. addidit Symbolum Festo
S. Bonaventurae. 38
- Solea, vide Caliga.
- Solemnitates, vide Festa.
- Sponsorum benedictio cum Missa. 298.
qui Missa ritus. ibid. communicare
debent sponsi. ibid. non omnes sponsi
benedicendi. 60. 298
- Standum in Missa solemnibus quando. 57.
ad Orationes. ibid. stare in storum
est. 121
- Stannea supellex quomodo mundanda.
324.
- Statio quid. 283. initium & finis Sta-
tionum. ibid.
- S. Stephanus Papa iussit in Dominicis
dici Gloria in excelsis. 22. vestes
sanctas Sacrificio destinavit. 87
- Sternutanti dicitur, Deus te iuuet.
275.
- Stipendia Missarum quae, & quando
peccatur in ipsis. 224
- Stola, Orarius, Orarium, idem. 91.
auro texta donata à Constantino. 58.
Diacono quis dedit. 70. Sacerdoti &
Diacono tantum data. 91 unde nomen.
ibid. forma. 92. significatio anagogi-
ca. 97. allegorica. 98. tropologica. 99.
usus eiusdem cum forma Crucis ante
pectus. 66. 92. non longe à collo tam-
quam iugum. ibid. parte dextra su-
per sinistram. ibid. cingulo est fir-
manda. ibid. ab Episcopo non duci-
tur in modum Crucis. 93. non danda
ministris more Sacerdotali. 68. neque
loco Plumalis, nisi Celebranti in mu-
nere Sacerdotali. 66. habitus Papa-
lis Stola. 130. Roma sine Stola con-
cionandum. ibid. forma eiusdem. 319
- Subbirretum mitrale. 321
- Subdiaconi propria vestis. 70. in Albis
olim ministrabant. 67. datus fuit illi
Manipulus, & cur. 70. in fine be-
nedicitur, non ante lectionem. 127.
si ministrat in peccato sine Manipu-
lo, non peccat. 129. non genuflectit
in Evangelio dum cantatur. 55.
129. quando illi cura Missalis in-
cumbit. 174. defert Calicem in sini-
stra. 139
- Subtile & Tunicella, idem. 67
- Subucula, vide Tunicella.
- Succentor quid. 244
- Succinctorium non est Gremiale. 97
- Succinctorium Papale quid. 317
- Sudariolum ad nares emungendas ex-
tra Altare sit. 77. quomodo portan-
dum. ibid.
- Sudarium, vide Manipulus.
- Supellex sacra quam veneranda sit;
quando oppignerari vendique possit.
327.

Index verborum & rerum.

- Superhumeral*, vide *Amictus*.
Superpelliceum. 88. significatio. *ibid.*
usius. *ibid.* *Cotta* dicitur. *ibid.* forma
illius. 89. 320.
Supparus, vide *Rocchetto*.
Sursum corda unde. 42. cuius casus.
ibid.
Suscepti qui dicantur in Missa. 145
Symbolum quid. 36. varia nomina. *ibid.*
initio recitabatur quod est Apostolorum.
ibid. tum *Nicanum*. *ibid.* negat
Baronius. *ibid.* deinde *Constantinopolitanum*
in Missa. *ibid.* *Ecclesiasticum* quale. 37.
post Euangelium à quo. *ibid.* *Rome* post *Benedictum VIII.*
ibid. dolet dici *Baronius*. *ibid.* quando
dicendum. *ibid.* & seq. non sufficit
concursum populi, ut dicatur. 39. ad
ea, Et in *Spiritum sanctum*, caput
non inclinatur. 126. signum *Crucis* in
sine. *ibid.*
Symmachus iussit *Hymnum Angelicum*
dici in Dominicis & in Festis Martyrum. 22.
eiusdem Hymni quomodo dicitur auctor. *ibid.*
- T.
- T**abella sacra ad dandam pacem
que. 162. cur adhibita. *ibid.*
cum velo. *ibid.* quando sit tergens
cum eodem velo. *ibid.* forma eiusdem.
 320
Tabella tres in Altari. 76. forma. 320
Tabella Aurora, Meridiei, Media noctis.
 310
Tabernaculum sanctissimi Sacramenti,
Pastophorium, Thalamus. 103. ad
formam columbe. *ibid.* armariolum
lignum. *ibid.* non vestitur colore
nigro. 79. forma eiusdem. 320
Tapetia quomodo mundanda. 326
Te igitur. 143. cur Canon incipit à T.
ibid.
Telestragula Altaris que forma. 320
- S. Telephorus auctor Hymni Angelici*. 22.
Tractus. 34. horam præscripsit
Missæ solemni. 49. *Quinquagesime & Quadragesime ritum* decrevit. 233
Templum, vide *Ecclesia*.
Thalamus, vide *Tabernaculum*.
Theodorus I. auctor Cerei Paschalis.
 266.
Thuribulum, Thymiamaterium, idem.
 115. quid significet. *ibid.* forma eiusdem.
 320
Thuriferarius quomodo gestet thuribulum,
& nauiculam. 106. quomodo ministret
Celebranti. 115. amouet librum de
Altari in incensatione. 118. 141. ante
Crucem processionalem præcedit. 184
Thus in maiori quantitate sit quam alia
aromata. 115. *thuris benedictio*. 116.
non benedicitur aliquando. 153. cur
pro Defunctis. 184
Thymiamaterium, vide *Thuribulum*.
Tiara, vide *Mitra*.
Tintinnabulum, vide *Campana*. forma
 eiusdem. 320
Titulus Ecclesiæ, vide *Patronus*.
Tonsura quid significet. 87. qualis ministrorum.
ibid.
Tractus quid. 34. auctores. *ibid.* dicitur
in concursu populi. *ibid.*
in Translatione Sanctorum an dicatur
Credo. 39
Translato Festo quomodo de eo canetur
Missæ, & quando. 15
Tribunal, vide *Pulpitum*.
Trinitatis Festum à quo. 280. an Octa-
ua sit Pentecostes. 279
Trisagion Græcum quo auctore à Latinis
cantatur Græcè in Parasceue. 257.
Tunicella Subdiaconalis, Subtile, Subtucula,
idem. 67. à quo data. *ibid.* significatio.
ibid. non adhibetur in diebus
ieiuniorum, Vigilijs exceptis. 68. Episcopus

Index verborum & rerum.

- scopus eam induit. 94. significatio anagogica. 97. tropologica. 99. forma. 321.
- Turris gestatoria, vide Pyxis.
- V.
- V**asculum, vas mysticum, vide Calix.
- Vas Hostiarum quale. 321
- Vas pro Calicibus lanandis. ibid.
- Vela quid. 248
- Velamen, Velamentum, & alia nomina, velum Calicis. 85. sericeum. ibid. an benedicendum. 84. significatio. 190. forma. 321
- Velare caput quid significet. 102
- Velum de Cruce Regularium pendens quid significat. 65
- Velum Subdiaconi sindon. 139. forma. 321
- Verba nuntiatiua in Rubricis sunt imperatiua. 219
- Vestes Sacerdotales à quo. 58. quales. ibid. non immunda, nec lacera. 86. benedicenda. 87. quomodo lauanda. ibid. omisso vnus vestis est lethalis. 93. significatio vestium Sacerdotalium Allegorica. 98. earumdem & Pontificalium Anagogica. 97. Tropologica. 98. cur multe sint. ibid. sex sunt Sacerdotis. ibid. quo ordine deponuntur in fine Missae. 179. non benedicta assuta benedicta, non ideo illa benedicta dicitur. 307. veteres comburenda. 210
- Vestis talaris, Caracalla, idem. 87. breuior quibus permittitur. ibid.
- Vicario Apostolico non defertur liber osculandus. 125
- Vicario generali celebrante quot candelae, quot ministri. 76
- S. Victoris Decretum de Paschate. 274
- Viduae nuptiae non benedicuntur. 60
- Vigilia Natalis Domini. 229. si in Dominica, quando cantanda Missa. ibid. Epiphania & Ascensionis sine ieiunio. 7. in Vigilia Ascensionis Missae tres. 276. Pentecostes cum ieiunio, & à quo. 277. ritus eiusdē. ibid. Baptismus in ea die sollemnis. ibid. dicitur Credo in Vigilia Natiuitatis & Epiphania. si in Dominica. 39. 231
- Vigilia Missa excludit Missam de die infra Oct. 5. quando dicitur in Sab- bato vice Dominica. ibid. Dalmatica in ijs adhibetur. 69. Vigilia S. Ioan- nis infra Octauam Corporis Christi an Missam habeat. 5. quam Praefatio- nem. 42. Vigilia sancti Ioannis & Apostolorum infra Octauam Corpo- ris Christi communem habent Praefa- tionem. ibid.
- Vigilia Sanctorum vnde. 284. à S. Am- bro시오 non abrogata. ibid. cur intro- ducta. ibid. sine Credo. 40
- Vinum pro Eucharistia. 200. defectus in eo. ibid. vinum ex aqua miraculosum est apta materia. ibid. quid de Cele- brante, qui vult non bibere vinum. 166
- Violaceus color quando adhibendus. 61. 62.
- Virga Pastoralis, vide Baculus.
- Viridis color & communis dicitur. 61. eius vsus. ibid.
- Vitrea quomodo purganda. 324
- Vmbellarum varia forma. 321
- Vmbo, vide Pulpitum.
- Voce clara qua dicenda in Missa. 51
- Vomitus Eucharistiae quando licitus. 214.
- Votiuua Missa quid. 7. non concordat cum Officio. 51. qua hora sollemnis di- cenda. ibid. Votiuuarum ordo, & qui- bus diebus. 9. non in Dominicis dicitur. ibid. non debent dici, quando pro- hibetur fieri Festum de Duplici. ibid.
- Votiuua de Cruce, & Passione, tempore Passionis, ut alia Votiuua. 110. de Apo- stolis cur Feria quarta. 9. de Assum- ptione,

Index verborum & rerum.

- ptione, Natiuitate & huiusmodi *Votina*, quaratione dicantur. 295. vice *Missæ de Rosario* quo dicenda. *ibid.* de alijs *Apostolis & Sanctis* quomodo *Votina* dicuntur pro varietate temporum. 296. in *Votina* pro gratiarum actione quotuplex *Oratio*. 19. 296. qua *Prefatio* in *Votinis* infra *Natiuitatē Domini*. 43. quod *Euan-gelium* in fine. 47. qualis *Votina* in *Aduentu & infra Octauam Pasche*, si dicatur. 296
- S. Urbanus I.* *Calices aureos & argenteos* iussit. 83
- Urbanus II.* *Officium B. Virginis* instituit in *Sabbato*. 7. *ieiunium autumnale* in *Septembri*. 283. *Prefationis de B. Virgine* auctor. 41
- Urbanus IV.* auctor *Festī Corporis Christi*. 280
- Urbanus VI.* *Iussit dici Symbolum* in *Missæ Doctorum*. 38
- URBANVS VIII.* *decreuit multa de celebratione Missarum*. 221. *bis in annō à Regularibus* legenda. 226
- Z.
- Z** *Acharias* iussit, ne *velato capite* celebretur. 102
- S. Zephyrinus* *vitreos* decreuit *Calices*. 83.
- Zona*, vide *Cingulum*.
- Zosimus* auctor *Benedictionis Cerei Paschalis*. 266



COM

NEA-

NEAPOLIO COMITOLVS
EPISCOPVS PERVSIAE,

*Instituta Clericorum Academia de sacris Ritibus, & Cantu Grego-
riano, annuoque reddito perpetuo de aere suo stabilita, Auctoris
horum Commentariorum opera vsus, & iisdem Commentarijs
in eandem causam ab Auctore ibidem in librum redactis, se-
quentia Carmina scripsit.*

LUCIDATIO RVBRICARVM
MISSALIS ET BREVIARII.

Natura, mater omnium,
Intus alit quæ parturit;
Emissa fetu, prouidet
Quo nutriantur vberem.
Videmus animantia
Ex utero vix edita
Appetere & exugere
Mammas genitricis suæ:
Quin illa, quæ sensu carent,
Hanc bonitatem sentiunt
Telluris, ex qua prodeunt
Errone pullo protinus;
Vt educant & procreent
Consimilem prolem sibi,
Sufficienter congrua
Prouisam & alimonia.
Natura, qui verus Deus,
Quarumque rerum statui
Conuenienter incubans
Gratuita non deserit;
Quæ generantur Spiritu
Sustentat, auget, promouet
Suauibus, miris modis,
Incognitis, & cognitis.
Spirante dudum Spiritu
Ex ventre nostræ Ecclesiæ,
Bartholomæi commoda
Obstetricante dextera,

Est Clericorum plurimus
Eductus vnico chorus
Fetu rudis, & indigens
Præcepto & alimonia.
Et ecce is idem Spiritus
Pauli nouis è Clericis
Doctorem alumnum protulit
Et rudium nutrimentum;
Qui explicatu congruo
Ineruditos imbuat
In Clericali munere,
Et ritibus Ecclesiæ.
Suscepta lucidatio
Pro curiosa indagine,
Futura doctis non minùs
Vt grata, sic perutilis.
Potatur ab infantibus
Lac, esca fit maioribus;
Vtrisque ministrat suum
Bartholomæus ferculum.

*Quibus Auctor Commen-
tariorum:*

Sunt verba quæ Clero dedi:
COMITOLVS aurum dedit
Formamque Coëpiscopis,
Qua Clerus edificat sacra.

COM-

1

COMMENTARIA IN RVBRICAS MISSALIS ROMANI.

PARS PRIMA.

^a Rubricæ ^b Generales ^c Missalis.



RUBRICÆ ^a.] Rubrica propriè, ex *Columella lib. 5. cap. 8.* est species quædam terræ rubri coloris, qua solent Artifices ducere lineas ad opera sua concinnanda: Antequam, inquit, explantes arbusculam, rubrica notato partem eius. Accipi etiam solet pro genere coloris à *Plinio lib. 35. cap. 6.* & *S. Isidoro Etym. lib. 19. cap. 17.* Hac autem terræ specie solebant antiqui librorum titulos, capita, & Indices notare, *Iuuen. Sat. 14.* & præsertim titulos & inscriptiones legum. Vnde ille: *Perlege rubras maiorum leges*, id est, Rubrica asperlas. Cùm itaque leges opportunè hoc loco præscribantur ad Missam celebrandam, & rubeus color in titulis & capitibus adhibeatur, idèd Rubricæ sunt appellatæ.

Et quidè leges ipsas Missalis, quàm paucissimas tamen, rubro colore scriptas vidi, & legi in Missalibus M. S. Bibliothecæ Vaticanæ antiquissimis, & deinceps in alijs multis apud Venetos impressis ante tempora Pij V. Sed vocem ipsam *Rubrica* non legi vsurpa-

tam in Missalibus, ante annum 1557. neque in titulum communem legibus Missæ, nisi à Pio V.

Nam separatim à Missalibus habebantur Rituales libri, seu Directoria, nomen autem vsurpabatur hoc modo, & quod præsertim videre est in Inventario Sacrarij seu Sacristiæ Pontificiæ tempore Bonifacij VIII. quod asseruatur in Bibliotheca Vaticana, & ibidem in *Volumine 4279. fol. 227.* à Magistro Cærimoniarum Urbani VI. scripta fuere hæc verba: *Rubrica Noua*, pro titulo libri. vbi etiam *fol. 228.* citat & nominat antiquas Rubricas. quare extra Missale vox *Rubrica* perantiqua est, & leges ipsæ antiquissimæ; quamuis alijs titulis (è quibus Ordo Rom. & quod à Græcis *πρωκδν*) varijs temporibus in lucem editæ. in Missali verò non nisi eo tempore, & modo, quo adnotauit.

^b *Generales.*] Distinguuntur hæc à proprijs de Tempore, de Sanctis, & alijs, de quibus infra. Generales autem complectuntur ea, quæ generatim accidunt Missæ; & octo ea sunt: Concordantia cum Officio; Discordantia ab eodem; Commemoratio, vt in eo-

A

dein;

dem; Ordo, tum partium Missæ, tum Missarum inter se; Varietas Temporis, Vocis, & Situs corporis; Apparatus Sacerdotum, & Altaris; Ritus priuatae Missæ, & sollemnis; Defectus in Missa occurrentes. De quibus in sequentibus agitur: nam in prima Parte Rubricarum de concordantia cum Officiis agitur in primis tribus titulis: ad Discordantiam spectant tituli tres sequentes. De Commemoratione habes in tit. 7. Ordo partium Missæ patet ab 8. vsque ad 13. Missarum verò inter se tit. 14. Varietas temporis traditur tit. 15. Vocis, tit. seq. & Situs corporis, tit. 17. Quæ attinent ad Apparatum, tit. 18. 19. 20. doceberis. in altera verò parte Ritus fusè describuntur in titulis 13. & Defectibus remedia adhibentur in postremis decem. certè generalium harum legum magna ex parte Collector, si minùs Auctor, fuit Ioannes Burchardus Papæ Carimoniarius, qui scripsit primus Ordinem exquilitum celebrationis Missæ: sine distinctione tamen Titulorum, seu Capitum; concordatque ferè in omnibus, etiam in verbis ipsis, cum ritu seruando in celebratione Missæ (de quo nos in altera Parte) & ibidem pro occasione data leges addidit aliquas à maioribus acceptas, de quibus nos in prima hac Parte agimus. additæ sunt aliæ, quæ, quando nullo certo auctore à nobis referantur, adscribendæ erunt traditioni, seu auctoritati Pij V. vel Clementis VIII. quod & de toto opere semel dixisse sit satis. Vfus autem imprimendi in Missalis initio, præter Ordinarium Missæ

(quod in centro Missalis vnà cum Canone semper est habitum) & tradendi distinctissimos & minutissimos ritus celebrandi, non est antiquior, quod viderim, anno 1542. quo prædictus Ordo Burchardi Venetijs initio Missalis primù dicitur in lucem editus.

[c. Missalis.] Deducta vox à Missa, de qua mox dicemus. Auctorem autem Missalis credit Amalarius lib. 4. cap. 31. fuisse S. Gregorium Papam. fortasse & vocabuli auctor fuit: sed quia Romani Missalis est mentio in libro Sacrament. S. Gregorij, ideò auctorem eum puto, quatenus illud meliorem ad formam redegit. Baronius enim docet in Annal. anno 102. quòd antiqua traditio sibi vendicet eam, quæ Latinis, vniuersæque Occidentali Ecclesiæ præscripta est sacra Missæ forma (quibusdam exceptis, quæ postea sunt addita, vel mutata) à S. Petro Apostolorum Principe: cum eius institutionis nullum aliud sit principium & originem demonstrare. Sanctus autem Clemens, quem acceperat à S. Petro, ritum offerendi Sacrificium, Missam nempe ipsam, Romanæ Ecclesiæ scriptis consignasse dicitur, ex Proclo Constantinopolitano Episcopo, citato à Baronio ibidem. Vocabatur etiam Sacramentale, quod nunc Missale, ex Lindano pro Liturgia sancti Petri cap. 22. Item Liber mysteriorum à S. Hieronymo, dum loquitur de S. Hilario in Catalogo Scriptorum. Liber Sacramentorum à Concil. Rhemen. apud Burchard. lib. 3. cap. 97. Libellus à Gregorio Turonen. libro 2. de Histor. Franc. cap. 22.

^d Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officij: de Festo Duplici, vel Semiduplici, vel Simpliciter: de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octaua: & extra ordinem Officij, Votina, vel pro Defunctis.

d Missa.]

d *Missæ*] Vox Latina est, & antiquissima, à vulgo potius introducta, multipliciter eiusdem rei significatiua.

Latina est, non Hebræa, velut alia voces, *Alleluia*, *Amen*, & eiusmodi, quas Græci Patres retinuerunt. ab Hebræis aliquam originem ducit: vnde *Baronius* anno 34. num. 59. à *Iacobo* usurpata vocem *Missæ*, id est, spontaneam oblationem, in Liturgia dicit. *Missæ* verò ab iisdem Græcis nunquam usurpatur; sed eam, *Liturgian*, publicum opus: vel *Ierurgian*, sacrum opus, apud *Ignatium* non semel; vel *Mystagogiam*, summum ministerium, *Nazianzenus* pluries: vel *Prosporan*, oblationem, *can. 3. Apost.* vel *Thysian*, Sacrificium, *idem can. 3.* vel *Teletin*, Mysterium, vocauerunt. lege *Duran. lib. 2. de Rit. cap. 1.* neque Latinus quisquam eam exarauit cum aspiratione, *Missæ*, vt Hebræi.

Antiquissima est. à *Clemète Epist. 3.* ab *Euaristo*, inquit *Burchardus tertio Decretal. cap. 27.* Certius autem à sancto *Ambrosio lib. 5. Epist. 33. dubitante Azorio lib. 10. cap. 18. quæst. 1. de Epistola Euaristi.* à vulgo potius introducta est vox, sumpto vocabulo à publicis illis verbis, quæ in fine dicuntur: *Ite missæ est*: ait *Azor. ibid. q. 1.*

Missionem autem significat (mitto, quod *Baronius* in Martyrologio prima Octobris docet, apud Francos significare quandoque per *Synechodochon* festiuitatem ipsam, de qua fit *Missæ*) sicut *Remissa* significat *Remissionem* apud *Tertull. libro 4. contra Marcionem c. 18.* & *Cyprian. de Bon. patient.*

Missio enim est, tum precum populi per Sacerdotem ad Deum, *Alcuinus de Diuinis Offic. cap. de Celebrat. Missæ*; tum Christi, qui missus est à Patre ad nos, *Duran. Ration. libro 4.*

cap. 1. tum eiusdem Christi à nobis ad Deum ad placationem, solutionemque inimicitiarum inter Deum & homines, *Rupertus Abbas lib. 2. de Diuin. Offic. cap. 20.* tum Catechumenorum, qui post Euangelium à Diacono dimittebantur, *Rabanus Institut. Cler. lib. 1. cap. 32.* tum fidelium, qui tamquam rei toti Sacrificio, veluti cuiusdam iudicio interfunt (vnde & *Canon Missæ Actio* dicitur) id est, causa in iudicium deducta ab Aduocato Sacerdote; peracta verò causa dimittuntur rei, *Duran. loco cit.* Dicta est etiam *Collectio*, & *Dominicum*, ex *Baron. anno 303.* quia colligebantur, vt ad rem *Dominicam*. Alia nomina *Missæ*, vltra 80. à SS. Patribus usurpata recenset *Ioseph Vicecomes de Missæ ritibus lib. 1. cap. 7.*

Quod ad rei definitionem attinet: *Missæ* significat verum sacrificium inuentum Christi, ab eodem institutum ijs verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod secum habet rem eternam sensibilem, quæ fit sacra, & mutationem patitur, & offertur Deo per legitimum Ministerium, certis ritibus & caerimonijs; vel ad delenda peccata; vel ad gratias agendas pro beneficijs; vel ad opem inuocandam; vel ad supremum Dei dominium proficendum: in quibus propria Sacrificij ratio consistit. *fusus Azor. lib. 10. cap. 18. quæst. 5. neque enim nostri est institutum mere Scholasticas quæstiones hic enodare.*

Primam verò *Missam* celebravit sanctus *Petrus* in die *Pentecostes*, ex *Coniecturis Anton. Democharis Tom. 2. de Sacrificio Missæ cap. 4.* quia, inquit, eo die Hebræi *Deuteron. 16.* offerebant oblationem spontaneam *Missæ*, quæ erat tritici. *Petrus* igitur eandem

4 Comment in Rubr. Missalis. Pars I. Tit. I. II. & III.

obtulit in pane azymo, in Cœnaculo Sion. Eadem docet *Pamelius Tom. 1. Liturg. Eccles. Latina.* neque dicas, Iacobum celebrasse primam, de *Consecrat. d. 1. cap. Iacobus*, ex Synodo *Sexta*; quia Petrus ordinem præscripsit, Iacobus euulgavit: quomodo

conciat Scriptores *Vvalden. lib. de Sacrament. tit. 12. cap. 28.* & de Petro absolutè docent *Clem. Epist. 2. Isidor. libro 1. de Offic. cap. 13.*

e *De Festo Duplici, &c.*] Quid sit Festum Duplex, &c. dicemus cum de Rubricis Breuiarij.

A.
De concordantia cum officio
I - IV

De Duplici. I.

Missa dicitur de Duplici illis diebus, quibus in Calendario ponitur hac nota, Duplex, & in Festis mobilibus, quandocumque Officium est Duplex. In Duplicibus dicitur ^f vna tantum Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, vt in proprijs Missis assignatum est. Quando dici debeat Gloria in excelsis, & Credo, inferius ponitur in proprijs Rubricis.

^f Vna tantum Oratio.] Vide infra tit. 9. de Orationibus, cur vna tantum.

De Semiduplici, & Simplici. II.

Missa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra Octauas. In Semiduplicibus tamen Festis, quàm Dominicis, & infra Octauas dicuntur plures Orationes, vt infra dicitur in Rubrica de Orationibus. ^g Infra Octauam dicitur Missa sicut in die Festi, ^h nisi propriam Missam habuerit: in Dominicis verò, sicut in proprijs locis assignatur. De Simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, vt suis locis ponitur.

^g Infra Octauam.] Octaua namque est eiusdem Festi prorogatio, teste *Radulpho Tungrensi de Canonum obseruat. Propos. 19.*

^h Nisi propriam Missam habuerit.] Vt infra Octauas Paschæ, Pentecostes, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli accidit.

De Feria, & Vigilia. III.

ⁱ **M**issa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octaua, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariae. In Ferijs tamen Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam si Duplex, vel Semiduplex Festum, ⁱ vel Octaua occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis ^k cantantur due Missæ, vna de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.

Missæ

Missæ de Feria fit mentio in Lectorio sancti Hieronymi.

i Vel Octaua.] Id est, dies Octaua. Quidam explicant de quolibet die infra Octauam, ita vt, occurrente Feria ex prædictis in die infra Octauam, dici debeant duæ Missæ, de Octaua, & de Feria: sed in Missali, in Vigilia SS. Petri & Pauli, quando occurrit in Sabbato (occurrente nimirum S. Leonis Festo in Dominica) item & in Vigilia Assumptionis B. Virginis, nõ præscribuntur duæ Missæ, de Octaua, & de Vigilia; ergo neque in alijs similibus Ferijs erunt dicende. Neque dicas, esse casum ijs locis omissum; tum quia in recognitione Missalis notata sunt diligentissimè, me præsentè, duæ Mil-

ssæ, quando debent dici, in proprijs locis: tum quia diuersa est ratio inter Festum, diem Octauam, & diem infra Octauam. Festum enim semel accidit in anno, dies Octaua est æqualis ferè ritus cum suo Festo; at dies infra Octauam sæpiùs occurrit, & sine iniuria omitti potest. de qua propria sequitur Rubrica *num. sequenti.*

k Cantantur duæ Missæ.] Idem habetur infra *tit. 7. num. 2.* Qua de re commodiùs, cum de Defectibus *tit. 11. num. 7. & seqq.*

Duarum autem Missarum, de Festo, & de Feria, meminit *Micrologus de Eccles. obser. cap. 48. & 58.* Cur altera post Tertiam, altera post Nonam, dicemus infra *tit. 15.*

2 *In Vigiljs autem que veniunt infra Octauam, 1 Missa dicitur de Vigiliacum commemoratione Octauæ: nisi eo die fiat Officium de aliquo Festo, quia tunc dicitur Missa de Festo, cum commemoratione Octauæ & Vigilia. Quòd si Vigilia occurrat in die alicuius Festi ex maioribus primæ classis, in Missa non fit commemoratio de eo, sicut nec in Officio.*

1 Missa dicitur de Vigilia.] In hoc casu discordat Missa ab Officio; quia Missæ propriæ de Vigilia conuenit, vt cedat ea Missa, quæ infra Octauas sæpiùs repetitur; populus etiam, qui ad Missam, non ad Officium conuenire solet, cum Missa de Vigilia ad lætum monetur, & animatur: eadem ratione, Feria Quatuor Temporum occurrente alicubi infra Octauam, Missa erit de Feria cum commemoratione Octauæ; quia Vigilia cedit Feriæ cuiusque Quatuor Temporum, *vt hic num. 5.* eademque est ratio de Feria secunda Rogationum infra Octauam.

Dubitari potest de Vigilia S. Ioannis Baptistæ infra Octauam Corporis Christi, quæ excludit Festa Semiduplicia: sed hoc non obstat, quia Semi-

duplex transfertur cum Officio & Missa, Vigilia verò non transfertur; & Missam tantum habens, non tollit Officium de Octaua, neque Missam de eadem, quæ sæpiùs infra Octauam dici solet. Communior autem fuit hæc sententia anno 1628. vt patet ex Kalendarijs diuersis eiusdem anni, quo occurrerunt Vigiliæ sancti Ioannis & SS. Apostolorum infra Octauam Corporis Christi, quòd nimirum Missa de Vigilia dicenda sit cum commemoratione Octauæ, iuxta præsentem Rubricam. Contra quam non vrgent ea quæ afferuntur; non auctoritas *P. Ruiz*, seu *Alcocer*, Missam de Octaua cum commemoratione Vigiliæ gratis præscribentium; non Castaldi grauantis præterea Collegiatas duabus Missis, de

6 Comment. in Rubr. Missalis. Pars I. Tit. III.

Octava, & de Vigilia; non aliorum congruentia ad sacram Congregationem delata: quia, *aiunt*, deperduntur Indulgentia concessa Octavae Corporis Christi, omissa de Sacramento Missa. An deperduntur in Festo Duplici infra eam Octavam occurrente? Neque quia concordare debet cum Officio Missa; quod non est verum, cum infra eandem Octavam possint dici Missae Votivae, & pro Defunctis, quocumque die non est Duplex. Neque quia Missa de Sacramento magis excitat ad pietatem populos, quam Missa de Vigilia, quae certè, *ex Alcuino in Parasceue*, excitat ad imitandas passiones Martyrum. Neque quia Officium Vigiliae cedit Festo Semiduplici, quod cessat infra Octavam Corporis Christi. Solutiores enim sunt leges Missae quam Officij; cessatque Officium Semiduplicis Festi, non Missa Votiva, neque Vigiliae. Nec denique vim faciunt ea verba post Missam de Festo Sacramenti, videlicet, *Infra Octavam dicitur hac eadem Missa:*

3 *Si festum habens Vigiliam celebretur Feria secunda, Missa Vigiliae dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium: excepta Vigilia Nativitatis Domini, & Epiphaniae.*

Ad Rubricam Breuiarij spectat huius Rubricae sensus, & est Radulphi Propos. 19. Sicut etiam ieiunium anticipatur, quod ab Hebraeis fieri solitum pridie Sabbati, in quo ieiunandum es-

set, testatur *Moses Aegyptius de Temp. cap. de Sabb. & cap. de Ieiunio*. neque Dominico die ieiunare debemus, *Distin. 76. cap. Vinam*, & passim dicitur à sanctis Patribus.

nam sensus est, non quòd quotidie dicatur, exclusis Votivis & de Requiem, quae à Rubricis eo tempore conceduntur, sed quòd eadem repetatur Missa, quando de Sacramento ea dicenda sit. Vide similia verba post Missam sancti Laurentij, Assumptionis & Nativitatis B. Virginis. Quae tamen verba non excludunt Missam de Vigilia, neque Votivam infra easdem Octavas.

Haec ex vi Rubricarum antiquarum. Si verò Octava Corporis Christi excipiat à maioribus expressè, uti par est, mihi quoque placebit. Quares ex praedictis: Cur in Cathedralibus & Collegiatis non dicuntur duae Missae, una de die infra Octavam, alia de Vigilia; sicuti infra Octavam Omnium Sanctorum, una dicitur de die infra Octavam, alia pro Defunctis, in Commemoratione omnium Defunctorum? at ecce disparitas. Potest enim in Missa Vigiliae fieri Commemoratio de die infra Octavam, de qua non potest fieri in Missa Defunctorum.

4^m *Missa Vigiliae in Adventu occurrētis, dicitur cum commem. Feriae Adventus, licet de ea non sit factum Officium, Vigilia Nativitatis excepta.*

[*Missa Vigiliae.*] Dicitur eadem Missa infra Octavam; quia propriae Missae ratione, quam supra diximus de Vigiliae cedere debet minus propria dici.

5 *Si in Quadragesima, & Quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicitur Missa de Feria cum commemoratione Vigiliae.*

Missae

Missæ in his casibus concordat integre cum Officio, & cessat ratio quam supra diximus, propriam Missam cedere debere Missæ non ita propriæ: neque populus eget monitione ad ieiunium, quod significatur per Missam propriam Quadragesimæ, seu Quatuor Temporum.

6 *Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non ieiunatur, sicut nec Vigilia Epiphania.*

Cur non ieiunatur in his Vigilijs? est de his, ob lætitiâ Natalis Domini, & Resurrectionis eiusdem. Dicimus non ieiunari, quia lex nulla

De Missis ⁿ Votiuus S. Mariæ, & alijs. IV.

Votiuus.] Largè hîc sumitur votum, pro voluntate, & desiderio. Missæ igitur, quæ pro voluntate dicuntur, Votiuæ nuncupantur; non tamen debet esse voluntas irrationabilis, puta, vt Sacerdos breuiorem celebret Missam, &c. Votiuarum autem Missarum est mentio in *Vita sancti Germani Antistodori. cap. 16. apud Sur. Tom. 4.*

1 **I**n Sabbatis non impeditis Festo Duplici, Semiduplici, Octaua, Vigilia, Feria Quadragesima, vel Quatuor Temporum, vel Officio alicuius Dominicæ quæ supersit, in præcedens Sabbatum translato, dicitur Missa de S. Maria secundum varietatem temporum, vt in fine Missalis ponitur.

2 *In Aduentu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea, cum commemoratione de Aduentu, nisi fuerint Quatuor Tempora, vel Vigilia, vt supra.*

Sabbatum dicatum esse constat beatæ Virgini Deiparæ. Missæ verò sanctæ Mariæ in Sabbato dicendæ auctor fuit Albinus, Caroli Magni Præceptor, qui, rogatu Bonifacij Archiepiscopi Maguntini, eâ instituit vnâ cum alijs, de Trinitate, de Angelis, de Spiritu sancto, & de Cruce, quæ adhuc sunt in vsu. Meminit huius ritus *Mirrologus cap. 60. Urbanus II. in Concilio Claramontan. 1096. Officium in Sabbato B. Virgini destinavit Radulphus Prop. 20. & à Monachis Ecclesiæ Occidentalis inductum esse hunc ritum anno 1056. scribit Baronius; Durandus autem in Ration. lib. 4. cap. 1. quinque affert causas. Prima est, &*

secundum eundem originaria, quod olim Constantinopoli, cum ante quamdam imaginem B. Virginis penderet velum quod eam velabat, in sexta Feria post Vesperas recedebat velum nullo mouente, & cælum versus deferebatur, ita vt à populo imago tota conspici posset; celebratis autem in Sabbato Vesperis, descendebat ipsum velum, & velabat imaginem, vt prius, vsque ad sequentem Feriam sextam. quo miraculo sancitum est, vt eo die semper de B. Virgine cantaretur. Altera est, quia in Sabbato post mortem Christi tota fides in sola Virgine mansit: quæ tamen ratio à modernis Theologis, & meritò, reprobatur.

Tertîa,

B.
De discordantia
ab officio
IV - VII.

Tertia, quia dies Sabbati est quasi ianua ad Dominicum diem, quo significatur æterna vita; Maria verò est Ianua cæli, & Porta lucis fulgida. Quarta est, vt coniungatur festiuitas Matris cum solemnitate Dominica, quæ est Filij. Quinta, vt sit festiuus dies ille, in quo Deus ab omni opere quieuit: quieuit autem in Maria, vt in Tabernaculo suo.

Et licet in Aduentu Rubrica præscribat Missam Conuentualem de beata Virgine, non excludit tamen priuatas Missas, imò à fortiori in ferialibus eas concedit; cum ea quotidie diceantur, quando non est Dominica, neque Duplex: & eo casu etiam in priuatis Missis dicitur Hymnus Angelicus, *ex tit. 8. num. 4.*

Ex prædictis orta est quæstio, An Missa de B. Virgine in Sabbato, ratione Officij de eadem, dicenda sit Votiuua. Affirmat Castaldus in *Praxi lib. 2. Sect. 6. cap. 4. num. 2.* cum Ruiz ibi citato: quia, inquit, Officium B. Virginis in Sabbato est ex voto Ecclesiæ. Potior esset ratio, si diceret, de ea tradi sub titulo de Missis Votiuuis, de quo nunc agimus. Negant alij, quia de ratione Votiuuæ Missæ est, quòd non correspondeat Officio, vt dicitur in-

frà tit. 15. num. 5. at hæc correspondeat Officio, ergo non est Votiuua. Sed quæstio est de nomine. Nam Votiuuum quidem dicitur, quod à voto habet originem; sed minùs propriè dicitur Votiuuum, quod in Sabbato ex antiquo voto Ecclesiæ dicitur. Hodie namque est in præcepto Officium cum Missa de B. Virgine in Sabbatis non impeditis, vt supra, & probamus *Tomo 2. Sect. 8. cap. 6. num. 1.* Propriè igitur illud est Votiuuum, quod est merè voluntarium, & ad libitum fit sine peccato: neque propriè Missa de B. Virgine in Sabbato, ratione Officij, quod est in præcepto, potest dici Votiuua. Titulus autem, de Missis Votiuuis, comprehendit omnes, etiam minùs propriè Votiuuas: vnde supra *num. 2.* facit Ecclesia de præcepto Votiuuam Missam de eadem Virgine in Sabbatis Aduentus, vbi cantatur Conuentualis Missa; quæ, cum non correspondeat Officio, Votiuua est, non tamen ad libitum, vt omitti queat, ob illud verbù dicitur; quod est præceptiuum. Et confirmatur; quia Missa de B. Virgine in Sabbato, ratione Officij Simplicis, debet cantari post Sextam, vt *infrà tit. 15. num. 2.* Votiuua autem post Nonam, *ibid. n. 5.* non ergo est Votiuua.

- 3 *Alijs diebus infra Hebdomadam, quando Officium fit de Feria, & non est resumenda Missa Dominica precedentis, quæ fuerit impedita, (exceptis Ferijs Aduentus, Quadragesime, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis Votiuuis, etiam in principali Missa quæ vocatur Conuentualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cum commemoratione Feriæ de qua factum est Officium. Quæ tamen Missæ, & omnes aliæ Votiuuæ, in Missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est Duplex, cum commemoratione eius, de quo factum est Officium, & commemoratione item Festi Simplicis, si*

de

de aliquo occurrat eo die feri commemorationem in Officio. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa p̄ cum Officio conueniat.

Ab Albino institutore Votiuarum Missarum alius decretus fuerat ordo: nam in Dominica dicebatur Missa de Trinitate, Feria secunda de Sapientia, Feria tertia de Spiritu sancto, Feria quarta de Charitate, Feria quinta de Angelis, Feria sexta de Cruce, Sabbato de sancta Maria, *Microlog. sup.* nunc autem Feria sexta & Sabbato immutatis, & remanentibus vt prius, in Feriam secundam translata est Missa de Trinitate, quæ est propior Dominicæ. Missa de Angelis & de Spiritu sancto Ferias inter se commutauerunt; Feria scilicet tertia data Angelis, quia natura proximiores Trinitati; Feria quinta Spiritui sancto, & sanctissimæ Eucharistiæ: illi quidem fortasse, quia die quinta creationis, aquæ, super quas Spiritus Dei ferebatur, omne reptile & omne volatile producerunt; huic autem, quia eo die instituta fuit à Christo Domino. Missa de Sapientia non est amplius in vsu; & Missa de Charitate suffecta est Missa Apostolorum Petri & Pauli, flagrantium præ alijs amore & charitate, vel quia ea Feria Romam sunt ingressi, *vt ab erudito viro se didicisse scribit Vicedom. lib. 3. de Rit. Missa cap. 18.* Denique Missa de Cruce, cui addita est alia de Passione, assignata fuit Feriæ sextæ, in qua Christus Cruci affixus fuit: cuius ritus auctores facit Monachos Occidentales *anno. 1056.* Cardinalis Baronius. Sed Alcuinum cenſeo potius assignasse certis diebus Missas Votiuas; quia Pelagius II. meminuit Præfationis de Trinitate, & sanctus Gregorius habet Introitum Mis-

sæ de eadem in suo Antiphonario.

[*Non est Duplex.*] Ergo in Dominicis dici poterunt Votiuæ? nequaquam: quia supra dicitur, *alys diebus infra Hebdomadam*, hoc est, à Dominica ad Dominicam, quando non est Duplex. & expressius dicitur hoc idem circa finem Missalis, in Rubrica posita inter Missas Votiuas post Missas de B. Virgine in hæc verba, *Alia Missa Votiuæ pro diuersis rebus, quæ dici possunt quacumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium Duplex*: eadem enim est omnium Votiuarum ratio. Vnde & præcedentes Votiuæ Missæ Ferijs particularibus (nulla Dominicæ) fuerunt assignatæ, in Rubrica ante easdem. Et de Dominica quidem, quia festiua est, congrua est Rubrica; de Duplici vero, tum quia Duplex solemnitatem habet, tum quia in Festis inferioris gradus pluralitas Orationum, & in præparatione grauarumve actione post Missam non duplicatæ Antiphonæ minùs incongruunt Missæ Votiuæ, quam in Festis Duplicibus; in quibus vna tantum Oratio dicitur, & prædictæ Antiphonæ duplicantur. Ex quo consequenter dicendum est, prohiberi Votiuas in ijs etiam diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo Duplici, argumento à fortiori sumpto, nempe infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria quarta Cinerum, in Hebdomada maiori, in Vigilijs Natiuitatis Domini & Pentecostes; & ita decreuit sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti 1627. Tamen pro re graui, de qua infra, poterunt cantari

B

Missa

Missæ Votivæ, etiam in Festis non maioribus, cantatâ item alterâ de die.

Neque putes huic Rubricæ derogari in Pontificali Romano, in ordinatione Presbyterorum, quibus in fine præscribitur, vt post primam Missam celebrent alias tres, de Spiritu sancto, de B. Virgine, & pro Defunctis; id enim intelligitur, salvis Rubricis Missalis: alioquin absoum esset, celebratâ primâ Missâ in Natali Domini, in tribus Festis sequentibus recitare Missas Votivas prædictas, & pro Defunctis, vt patet.

Dubitatum est, An exceptio Votiuarum in Dominicis intelligatur etiam, quando in die feriali fit Officium de Dominica anticipata post Epiphaniam, seu Pentecosten, seu infra Octauam Natiuitatis Domini. Sed verò verba Rubricæ sonant ipsummet diem Dominicum, qui colitur à populo, non autem Officium de Dominica.

p *Cum Officio conueniat.* Rubrica loquitur de priuatis Missis, nam Conuentualis Missa debet semper concordare cum Officio, *cap. Cum creatura. de Celebrat. Miss.* vbi verbum *mandamus* obligat ad mortale, *ex Bonacin. de Leg. disp. 1. quest. 1. punc. 7. §. 4. n. 7. cum communi; & in cap. Quidam. & in cap. Et hoc. de Consecrat. Dist. 1. Lege Azor. lib. 10. cap. 32. quest. 7. & nota, quòd neque omitti potest pro Missâ Defunctorum, in d. cap. Cum creatura.*

Ex quibus sacra Rituum Congregatio die 25. Iunij 1611. & die 28. Ianuarij 1612. decreuit, teneri Canonicos omnino ad cantandam Missam de die, vt lucrentur distributiones. & die 16. Ianuarij 1627. duo respondit. Alterum, quòd ob Missam Votiuam, seu pro Defunctis, non potest omitti Missa Conuentualis; quòd intellige, saluâ eadem hac Rubricâ de Votuis assignatis singulis diebus in fine Missalis, cum Officio de Feria, & pro Defunctis, *ut. seq. num. 1. & 2.* Alterum est, quòd neque potest introduci consuetudo in contrarium ritum. Et quoad illud primum perstitit in eadem sententia die 12. Iulij 1628.

Conuentualis igitur Missa erit semper de die, vel in feriali Officio erit Votiuâ, vt supra, secundum ordinem dierum assignatum in fine Missalis; non autem Votiuâ ad libitum Cleri, seu laicorum. Priuatâ verò Missæ poterunt dici Votivæ quæcumque in diebus non Duplicibus, neque Dominicis, non seruato dicto ordine dierum, arbitrio rationabili Celebrantis: non tamen conuenit, puta infra Octauam B. Virginis, dicere Votiuam de eadem; tum quia magè colitur B. Virgo cum Missâ de Octaua; tum quia secunda Oratio esset de eadem B. Virgine, cuius recitatur Officium; tum quia fit satis obligationi pro Missâ Votiuâ, si recitetur longior Missa Festiuâ.

De Missis Defunctorum. V.

19 **P**rima die cuiusque mensis (extra Aduentum, Quadragesimam, & tempus Paschale) non impedita Officio Duplici vel Semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, benefactoribus, & alijs. Si verò in ea fuerit Festum Simplex, vel Feria, quæ propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Domini-

minica precedentis, quæ fuit impedita, & infra Hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumitur: in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis dicantur duæ Missæ, una pro Defunctis, alia de Festo Simpliciter, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesijs non Cathedralibus, nec Collegiatis, dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis.

q *Prima die.*] Suffragiorum pro Defunctis in Calendis mentio est apud Alcuinum de Divin. Offic. qui excludit tempus Paschale, cap. de Exequiis mortuorum.

r *Dicantur duæ Missæ.*] Cur duæ Missæ in occurso cum Festo Simpliciter vel Feria prædicta? quia in Missa de Defunctis non potest fieri com-

moratio de Festo, neque de Feria; neque omitti debet semel in mense, quoad eius fieri potest, Missa principalis pro Defunctis in Collegiatis; neque item omitti Feria prædicta, vel Festum Simplex. Heu! negligitur hæc Rubrica, quæ tamen habet verbum *dicantur*; quod est præceptivum.

2 *Præterea*] *Feria secunda cuiusque Hebdomada, in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simpliciter, vel resumenda sit Missa Dominica precedentis, ut supra, in Missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro Defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, & totum tempus Paschale, & quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex; quibus temporibus non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis (nisi in die Depositionis defuncti, & in Anniversario pro Defunctis) neque pro eis fit commemoratio. Missæ autem privatae pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus, & Dominicis diebus.*

[*Feria secunda.*] Fecit enim eo die firmamentum Deus, quod & Cælum appellavit, quod defunctorum animas transferri quàm primùm hac eadem die petimus. Vide miram sanctæ matris Ecclesiæ pro defunctis sollicitudinem, quæ initio mensis & Hebdomadæ pro iisdem orat; quinimò eos purgantes honorat Feria secunda post diem Dominicum, quo Ecclesiæ triumphanti tributa iam solvit, sequentibus diebus militantem iuvat. Ortum habet hic ritus in Feria secun-

da à Monachis Gamungensibus, ex Petro Damiani 1056. & idem in Annual. notavit Baronius anno eodem.

r *Quadragesima.*] Ergone dicitur Officium Defunctorum in Quadragesima absque vlla eorundem Commemoratione in Missa? fit quidem Commemoratio in Missa, sed in tertia Oratione, quæ communis est vivis & defunctis. Cur autem non excipitur Aduentus? quia Feriæ secundæ non habent Missas proprias, ut in Quadragesima. & convenit, quia di-

citur in Aduentu Officium Defunctorum, cui respondet Missa.

u *Tempus Paschale.*] Mortuorum memoria mœstitiam habet, quæ non congruit lætitiæ summæ Paschali; & ad vnum Christum tunc est attendendum, *Duran. lib. 6. cap. 72.*

x *Nisi in die Depositionis.*] Non deberet corpus sepeliri defuncti sine Missa, *Durand. lib. 7. de Offic. mortuorum.* quod erat in vsu, teste *Tertull. lib. de Anim. c. 51. & Aug. 9. Confess. cap. 12. de Funere Monicæ matris.* Et omni tempore, cadauere præsentem, potest celebrari pro defunctis, nisi in Parasceue, quo die Corpus Christi immolari non debet, & eo casu differendæ sunt exequiæ in crastinum, in quo, post Missam Sabbati sancti, posset alia Missa celebrari pro defuncto. quod intellige iuxta patrios mores Durandi, vbi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa, & numquam sine ea, absque scandalo. Si quis autem in die Paschæ moriatur, corpus eius reseruetur in sequentem diem, ob reuerentiam Paschæ, *idem ibidem, & Rituale Rom. Pauli V.* In Dominicis & Festis Missam defunctorum insepulto corpore concedit sacra Rituum Congregatio, 23. *May 1603.* Festa hoc loco intelliguntur de præcepto æqualia Dominicis, non tamen magnæ celebritatis, vt verbis vtar Ritualis Romani, puta primæ classis; & esse debet præsens corpus in Ecclesia. Sed & Rubrica loquitur de Missa solemnem, non autem de priuatis, quæ etiam insepulto, hoc est, præsentem corpore in Ecclesia, non possunt dici in Dominicis, neque in Duplicibus.

y *Anniuersario.*] Anniuersaria dies Defunctorum habet vsu antiquissimum, *Clemens lib. 6. Const. Apost.*

cap. 48. & Tertull. de Cor. militis. vt sicut Sanctis ea dies prodest ad gloriam, ita defunctis ad salutem, *Amal. lib. 3. cap. 44.* Vnde, si contingat anniuersaria dies in Festo celebrari, debet mutari in præcedentem diem, vt citius defunctis consulatur, *Duran. loc. cit.* quæ ratio militat etiam in tertio, septimo, & trigésimo. Sed in sequentem diem non impeditam sapius transfudit anniuersarias pro defunctis, seu alias pro iisdem Missas, sacra Rituum Congregatio, die 27. *Septembris 1608. & die 19. May 1614.* Quomodocumque verò fiat mutatio (si de perpetua in alium diem mutatione agatur) ab eo faciendam putò, qui commutare potest vltimas voluntates, *ex Clem. Quia contingit. de Relig. dom.*

z *Quocumque die.*] Concilium Cabilonense *de Con. d. 17. isum.* quotidie vult orari & sacrificari pro Defunctis. *Sancta enim & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, 2. Mach. 12.*

a *Præterquam in Festis, &c.*] Ne minuatur solemnitas Festi Duplicis, & lætitiæ Paschalis, quam repræsentat dies Dominicus dierum princeps, *S. Ignat. Epist. ad Magnesianos.* adde consequenter, & à fortiori, neque in ijs diebus, in quibus de Duplici fieri non potest: quamquam in primo triduo maioris Hebdomadæ hortatur nos Constitutio Apostolica *libro 5. cap. 13.* ad orandum pro ijs qui perierunt. quæ verba impertare solent Sacrificium apud sanctos Patres. Sed potest etiam fieri Sacrificium sine Missa de Requiem pro Defunctis. Qua ratione ritus antiquus & nouus non discordant.

Sacra tamen Rituum Congregatio tolerari

tolerari posse censuit Missas de Requiem in Duplici Festo quod non est de præcepto, vt testatorum voluntates adimpleantur, 1. *Septemb.* 1607. & rursus 20. *Iunij* 1626. non ait, ad arbitrium viuorum, quod benè nota, sed pro implenda lege Defunctorum. Dixi, quod non est de præcepto: quia

etiam in Festo de præcepto, si cadat illud in diem assignatum pro Altari priuilegiato, puta Feriam secundam, extra quam priuilegium Altaris pro Defunctis est nullum, non potest adhuc Missa dici de Requiem, vt decreuit eadem sacra Congregatio die 24. *Aprilis* 1627.

3 In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die Depositionis, & in Annuario Defuncti, dicitur vna tantum Oratio, & similiter ^b in die Tertia, ^c Septima, ^d Trigesima, & quodcumque pro Defunctis solemniter celebratur: in alijs Missis, plures, vt de Ferijs & Simplicibus dicitur infra in Rubrica de Orationibus.

Oratio Fidelium erit vltima, *Burchard.* vbi plures dicuntur orationes.

^b In die Tertia.] Præter diem obitus, seu depositionis, & Annuario, qui celebriores reputantur, sollemnes habiti sunt tertius, septimus, & trigessimus, constanti Ecclesie ab Apostolis traditione. Caueant igitur ij, qui nominant in Missa alios dies, quartum, quintum, vigesimum, & eiusmodi: quia neque in Rituali nouo, prout neque in Missali, ponuntur alij dies à prædictis. Et Tertij quidem meminit *Clem. lib. 6. Const. Apost. cap. 48.* propter eum, inquit, qui tertia die resurrexit: vel vt purgetur anima, quæ triplicis est naturæ, irascibilis, concupiscibilis, & rationalis; vel vt in ea sanctæ Trinitatis imago integrè reparetur, *Alcuin. loco citato;* vel vt absoluaatur à peccatis quæ patrauit cogitatione, verbo, & opere, *Durand. loco citato.*

^c Septima.] Mysteria Septimæ diei scribit *Ambros. Orat. de Fide resurrect.* quia symbolum est futuræ quietis. addit *Alcuinus*, vt anima suo corpori reconcilietur: illa namque, vt diximus, tripliciter peccare solet, & corpus item

quadrupliciter, ob humores quatuor quibus constat. *Durandus* vult significari vitæ rotius purgationem, quæ septem diebus in orbem ducitur. Fortasse ab Ecclesiast. 22. hic ritus ortum habet, *Luctus mortui septem dies;* vel à Ioseph Ægypti Prorege, qui septem impleuit dies luctus super defunctum patrem suum, *Gen. 50.*

^d Trigesima.] Trigesimum diem commendat *S. Ephrem in suo Testamento apud Surium Tom. 1.* deriuaturque ritus à morte Aaron & Moysis, quos fleuit populus triginta diebus, *Num. 20. Deut. vlt.* Vel quia Dominus baptizatus est annum agens trigessimum, *Alcuin.* Vel quia in hac mensura ætatis Christi resurgemus omnes, *idem.* Vel quia hac ætate Adam creatus fuit, secundum communionem Doctorum sententiam. Vel vt, quidquid in Decalogo legis defuncti deliquerint, in sanctæ Trinitatis misericordia deleatur, *Hugo de Miss. obser. lib. 3. cap. 37.* nam ter decies constituunt triginta. Trigesimum numerum obseruant alij ea ratione, vt per triginta dies fiat Missa pro Defunctis; solemnius autem tertia die, septimaque,

intra triginta, & ipsamet trigesima, *Amalar. libro 4. cap. 42.* ritus autem triginta dierum à sancto Gregorio Papa, 4. *Dialog. 55.* præscribitur Abbati Pretioso pro Monacho Iusto ijs verbis: *Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium stude, ut nullus omnino præmittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur.* Ex quibus intelligere possunt celebraturi Missas, quas vocant S. Gregorij, hoc est, institutas aut approbatas à S. Gregorio, quòd Primò non est necesse, ut idem Sacerdos per mensem celebret diebus triginta; sed necesse est, ut offeratur Hostia per mensem, siue ab vno siue à pluribus, ut patet ex ijs verbis, *stude offerre;* neque addit Abbati *per te,* quod esset onus graue. Secundò, sufficit offerri Sacrificium. non autem omnes Missæ dicendæ sunt ritu proprio de defunctis, qui in Dominicis intercurrentibus prohibetur. Tertio, continuis diebus fieri debent, *ut nullus omnino præmittatur dies,* remota substitutione, quam vetuit *Trid. Sess. 22.* ratione numeri. neque discontinuantur ob triduum maioris Hebdomadæ, quo, ex vsu Ecclesiæ probato, non debet celebrari. Doctores autem, qui volunt eas posse discontinuari, vel vno die dici omnes triginta, concludunt, valere tamquam triginta Missas; sed non ut eas, quas instituit sanctus Gregorius, ut ex eiusdem verbis patet.

Dubitatum aliquando fuit, edito Decreto S. Congregationis, de quo infra, prohibente quasdam Missas sancti Gregorij pro Viuis & Defunctis, An prohibita censentur prædictæ triginta Missæ sancti Gregorij; at negauit sacra Rituum Congregatio die 28. *Octob. 1628.* & prælo datum est Decretum, petentibus Monachis S. Gregorij de Vrbe.

4^e *Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & Depositionis defuncti, & quandocumque in Missa dicitur vna tantum Oratio: in alijs autem Missis pro Defunctis, dicatur ad arbitrium Sacerdotis.*

e Sequentia.] Prosa, siue Sequentia, hoc est, *Dies ira, dies illa.* Significat autem iubilationem, & hoc nomine quamcumque Sequentiam vocat Ordo Romanus, ut idcirco cantari debeat, cum solemnius celebratur pro Defunctis. Sequentia quo-

que appellatur, quia per cantus amœnitatem ad sequentia præparat, *Hugo Victor. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 19.* vel quia sequitur *Alleluia* in alijs Missis festiuis, *Cornelius Scheltingius;* qui & Prosam eam dici putat, quia legem metri caret.

De Translatione Festorum. VI.

IN dicendis Missis seruetur ordo Breuiarij de Translatione Festorum Duplicium & Semiduplicium, quando maiori aliquo Festo sex Dominica impediuntur. In Ecclesijs autem, vbi titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari

cantari due Missæ, una de die, alia de Festo: aut saltem commemoratio fieri de Festo, si de eo non debeat celebrari Officium illa die.

De Translatione Festorum & nos docebimus in Rubrica Breuiarij. Vide hoc loco solutiore leges Missæ quàm Officij diuini, & quia populus concurrat ad audiendum potiùs Missam quàm Vesperas, & alias Horas, idèd conceditur, posse fieri alteram Missam solemnem de Festo translato, aut fieri de eo in Missa de die Commemorationem. Loquitur autem Rubrica sine distinctione Festorù, quam neque nos addere debemus; imò significat, posse contingere casum in Festis maioribus, & in his conceduntur duæ Missæ. Quòd si vnã tantùm velint celebrare ij, qui ad Missam tenentur cantandam ratione chori, eam non debent omittere quæ Officio correspondet, in qua fiet commemoratio de Festo transferendo. Si Festum translatum admittat in Missa Symbolum, poterit etiam illud dici in hac Missa: in fine verò prædictarum duarum Missarum Euangelium dicitur S. Ioannis, non aliud Feriæ, vel Festi occurrentis.

Prædictæ item duæ Missæ ea ratione cantandæ erunt, vt altera de die post Horam congruentem, de qua infra

tit. 15. num. 2. altera de Festo (cùm nullam habeat cum Officio connexionem) post Nonam. si hoc accidat in Temporibus Pentecostes, ambæ quidem post Nonam, sed illa priùs de die, quæ cum Officio concordat, postea de Festo: ad cuius Missam populus èd libentiùs, quò tardiùs, conuenire solet. Et licet in hoc casu nulla Hora sit media inter vtramque Missam, quod tit. seq. num. 2. conuenire docebimus; tamen est casus vnicus, & priuilegiatus, ob concursum populi. In Missis etiam priuatis poterit commemoratio fieri de Festo; quia, cùm fiat in gratiam concurrentis populi, qui non potest adesse totus Missæ solemni, in priuatis Missis libenter audiet de translato Festo commemorationem: eaque regulariter fiet secundo loco.

Abstinerem tandem à commemoratione hac, & multò magis à Missa, quando Festum eiusmodi occurrat in ipsomet Paschatis vel Pentecostes die; à quorum mysterijs ne minimùm quidem est aliò distrahendus populus.

De Commemorationibus. VII.

Commemorationes in Missis sicut in Officio. De Festo Simpliciter fit commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantùm ad Laudes, in Missa solemni non fit commemoratio de eo, sed in Missis tantùm priuatis. Excipitur Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio, etiam in Missis priuatis, de Festo Simpliciter occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de Festo Duplici. De Octaua fit commemoratio, quando infra Octauam celebratur aliquod Festum, nisi illud

Festum.

C.
De Commemorationibus.

Festum fuerit de exceptuatis in Rubrica Breuarij de Commemorationibus. Item quando infra Octauam fit de Dominica.

Pendet hæc Rubrica à simili in Rubricis Breuarij *ut. 9.* vbi eam examinabimus.

f *Non fit Commemoratio.*] Quod fit, vt Festum secundæ classis distinguatur à Festis Duplicibus minoribus, in quorum Missa solemnè fit de Simplici Commemoratio; à Festo vero primæ classis distinguitur, quia nec in Missis priuatis Festum primæ classis Commemorationem de Simplici admittit.

g *Excipitur Dominica, &c.*] Discordant hæc duæ Missæ ab Officio, vt abundè patet in lectione Passionis pro Euangelio, ratione cuius Passionis, de

Sanctis non est facienda mentio: & licet Feria tertia & quarta fiat in Missa Commemoratio de Simplici occurrenti, Officium tamen earum Feriarum non est tam solempne quàm Dominica Palmarum. Vnica autem Oratio solempnitatem significat maiorem. Item Vigilia Pentecostes discordat ab Officio in Collecta & colore paramentorum. Præterea hæc duæ Missæ pendunt ex benedictionibus solempnibus Palmarum & Fontis Baptismalis, vt imitari debeant solempnitates maiores; vnde numquam omittuntur, cedentibus omnibus alijs Festis, etiam primæ classis.

2. *De Feria fit commemoratio in Aduentu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigilijs, quando Missa dicenda est de Festo illis temporibus occurrente. Sed in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis, vbi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Ferijs, Rogationibus, & Vigilijs prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duæ Missæ, vna de Festo, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia, h absque vlla vtrorumque commemoratione: in Festis tamen maioribus primæ classis nihil fit de Vigilia occurrente, vt dictum est supra.*

Omnia patent ex supradictis, & licet Missa Vigiliæ sumatur de Comuni, dicitur tamen propria Vigiliæ cui assignatur, & idè non omittenda.

Sed quæritur: Cur occurrente Festo in prædictis Ferijs dicuntur duæ Missæ Conuentuales; occurrente autem Festo Duplici in Dominica, quæ est dignior prædictis Ferijs, non dicuntur duæ Missæ, altera de Festo, altera de Dominica? Respondet *Franco-linus, aliud agens de tempore Horarum Canonic. par. 1. cap. 16. num. 18.* in prædictis Ferijs vnã cantari post Tertiam, aliam post Nonam: & ho-

rae mediæ sunt præparatoriæ ad sequentem Missam; Missa verò Dominica & Festi Duplicis cantandæ essent ambæ post Tertiam. At, secundum hunc Auctorem, incongruè cantantur Missæ duæ, nulla mediante Hora Canonica, quæ est quasi ad Missam præparatoria. Addo ego, refumi posse Missam Dominicam in sequenti Hebdomada; populumque item non tene-ri nisi ad vnã Missam audiendam. Quam igitur audiet: Audiatur vnã de Festo & Dominica simul, cum duobus Euangelijs meritò à populo audiendis. Sed, dato, quòd nec possit refumi

refumi Missa Dominica infra Hebdomadam, non videtur hæc omittenda, cum sit dignior quàm Missa de Ferijs prædictis: ergo saltem in eo casu cantandæ forent duæ, de Festo & de Dominicâ; & altera immediatè post alteram cantata Tertia; sicuti in Quatuor Temporibus Pentecostes post Nonam possunt duæ Missæ cantari, de Feria, & de Sancto Titulari Ecclesiæ, ob Festum & concursum populi, iuxta Rubricam supra de Translatione Festorum. Nihilominus tamen est ille casus peculiaris ratione Festi; & dispar est ratio in Missis de Dominica, & de Ferijs maioribus: nam in his intendit Ecclesia, sine præiudicio Festi, excitare Clerum & populum ad actus humilitatis & pœnitentiæ, cum genuflectione ad Orationes in Missa, & Officio proprio earum Missarum. Qui actus non conueniunt Dominicis, in quibus, ob memoriam Dominicæ Resurrectionis, stamus ad Orationes, neque genuflectimus, ex Concilij Nicæni Decreto: & ideò omitti non vult integras Missas de Ferijs prædictis; de Dominicis autem vult tantum Com-

memorationem cum Oratione, & lectione Euangelij, si à Festo maiori impediatur. Porro Francolini ratio aded vera est, vt idcirò nulla vera sit Rubrica de duabus Missis dicendis, de Quatuor Temporibus, & de Vigilia S. Matthæi, seu S. Thomæ, si in eundem incidant diem; quia essent ambæ cantandæ post Nonam, vt dicemus tit. 15. num. 2. nulla Hora media inter illas. quod est valdè notandum. Omnino verò negamus, nomine Feriarum, de quibus in hac Rubrica, comprehendi etiam Dominicam; tum quia est contra sensum & vsu communem; tum quia S. Rituum Congregatio nomine Festi nouem Lectionum intelligit etiam Dominicam, 12. Martij 1618. ergo non est Feria prima; neque in ea duæ Missæ sunt cantandæ, vt in Ferijs & Sabbato prædictorum temporum in Rubrica.

h Absque vltâ vtrorumque. Aduerte, quòd si præterea faciendâ sit Cōmemoratio Festi Simplicis, vel de die infra Octauam, hæc Cōmemor. faciendâ erit in Missa de Festo, vt habes in Missali die 28. Iunij, 17. & 20. Septembris.

3 *Quando infra Hebdomadam dicuntur Missæ Votiuæ, post primam Orationem semper dicatur Oratio eius de quo sit Officium, vt supra explicatum est in propria Rubrica.*

i De quo sit Officium. Vt aliqua vel minima ratione cōcordet cum Officio Missa Votiuæ, debet de Officio fieri Commemor. Ioannes Burchard. Tertia

verò erit ea, quæ aliàs secundo loco diceretur; vt infra indicatur tit. 9. n. 14. in ijs verbis, *Dicuntur plures, vt in Festis Simplicibus.* de quibus ibid. n. 16.

4 *Quando fit Commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feria Commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.*

Patet ratio; vt concordet cum Officio, Burchard.

5 *In faciendis Commemorationibus seruetur ordo vt in Breuiario. De Dominica, ante diem infra Octauam: de die infra Octauam, ante*

C

Ferias

Ferías predictas : de Ferijs predictis, ante Festum Simplex: de Festo Simplici, ante Orationes quæ secundo vel tertio loco dicende assignantur, & hæc dicantur k ante Orationes Votiuas: in quibus Votiuus seruetur deinde dignitas Orationum, vt de sancta Trinitate, de Spiritu sancto, de Sacramento, de sancta Cruce ante Votiuam de beata Maria, & de Angelis ante Apostolos, & similiter in alijs.

k *Ante Orationes Votiuas.*] Præcedunt quæcumque Orationes, quæ ab Ecclesia certum habent locum. Votiuæ, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, posteriorem occupant locum. Et sicut Votiuæ, verbi gratia de Spiritu sancto, cedit Commemorationi Festi Simplicis, ita cedere debet Orationi *A cunctis*, vel alijs, quæ secundo vel

tertio loco iubentur dici. Ceteris autem paribus, attenditur dignitas eorum de quibus est Oratio. ita *Burchard*. Videtur durum aliquibus, sed rationabile est, legem communem præponi arbitrio, hoc est, legi priuatæ, quam facit sibi Sacerdos in Orationibus Votiuis, quæ non concordant cum Officio.

6. *Si facienda sit commemoratio pro Defunctis, semper ponitur l penultimo loco. In Missis autem Defunctorum nulla fit commemoratio pro viujs, etiam si Oratio esset m communis pro Viuis & Defunctis.*

l *Penultimo loco.*] Ratio Innocentij Papæ III. est de *Mysterijs Missæ* lib. 2. cap. 27. quia finis ad suum debet torqueri principium: non igitur dignitatis ergò, sed vt à Viuis, de quibus in prima Collecta, ad Viuos, de quibus in vltima, fiat regressus.

m *Communis pro Viuis, &c.*] Hoc sancitum est post tempora Innocentij III. qui concedebat loco citato Orationem, *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum*, &c. in Missis etiam Defunctorum. Sed planè æquum est, Defun-

ctis suffragia dari in Missis Viuorum, vt supra num. 6. dictum est; & in Missis Defunctorum solis Defunctis operam dare, exclusis Viuis in Collectis: quibus omni tempore, & in primo *Memento*, secretè satis superque est prouisum, etiam in Missa de Defunctis. Significatur etiam, non posse Defunctos in Purgatorio iuuare viuentes, *Durand. lib. 4. cap. 15.* cuius sententia est probabilior, *Sanctus Thom. Secunda Secunda quæst. 83.* quem sequitur *Nauar. de Orat. cap. 20. num. 9. contra Medinam.*

7. *Quando dicuntur plures Orationes, n prima tantum & vltima cum sua conclusione terminantur: & o ante primam & secundam Orationem tantum dicitur Oremus; ante primam dicitur etiam p Dominus vobiscum.*

n *Prima tantum & vltima.*] Et prima quidem terminatur, quia est propria Missæ; vltima verò, quia compre-

hendit alias, & quasi eas colligit, quæ ideò Collectæ dicuntur: quæquam aliæ causæ sunt, cur Collectæ dicantur,

tur, *ut infra tit. 9.* Quandoque prima & secunda Oratio sub vna conclusionione dicuntur, vt vnica videatur Oratio in Missa celebri, quod præsertim iubetur fieri in Collatione Ordinum, Consecratione Episcoporum, Virginum, Ecclesiarum, & Altarium, Benedictione Abbatum, Abbatissarum, Cæmeterij benedictione, & Consecratione Regum, & Reginarum. Atque in his tantum casibus vniri duas Orationes sub vno: *Per Dominum*, docet *Burch. in Ord. celebrandi Missam.* An verò Orationes illæ, quæ post Missam Votiuam de Trinitate habentur pro gratiarum actione, sub eadem conclusionione cum prima recitandæ sint, negamus in Missis priuatis: nam quod dicitur in oppositum in Missali Romæ edito 1621. additum fuit sine Superiorum facultate, me penitus rem indagante; & hic esset nimis nouus ritus in Missa priuata. In ijs autem quæ solemniter dicuntur pro re graui, vsus Cappellæ Papalis est, vt de duabus fiat vna ad solemnitatem: sed verba Rubricæ *tit. 9. num. 14.* indicant in solemniori quoque duas esse, ergo cum duabus conclusionionibus.

o *Ante primam & secundam.*] Ita

Ordo Romanus; vt inuitetur populus ad Orationem, qua etiam de causa salutatur populus ijs verbis, de quibus mox, *Dominus vobiscum*, vt ait *Innocent. III. lib. 2. cap. 26.*

p *Dominus vobiscum.*] Ordo Romanus hoc habet. Quæ salutationis forma ad verbum legitur *Ruth 2. & 2. Paral. 15.* Ferè simili vsus est Gabriel Angelus salutando Mariam, *Dominus tecum*; & alter Angelus ad Gedeonem, *Iud. 6.* sed vim & efficaciam habet à Christo, qui dixit: *Ego vobiscum sum, Matth. ultimo.* Ritus autem emanat à Clemente, *ex Gemma lib. 1. cap. 87.* vel Anacleto Papa, *ex Hugon. Vlt. lib. 2. cap. 11.* vel ab vtroque, *ex Radulpho loco citato, Propos. 23.* & est sensus: Dominus in vobis maneat, & petitionibus vestris effectum tribuat, *Durand lib. 4. cap. 14.* Vel Sacerdos se habere pacem cum populo docet, *ex P. Damiani Opusc. de Dominus vobiscum.* Vel dicitur ad excitandos animos ad orationem, *Ruper. lib. 1. cap. 31.* Dicitur autem Dominus, non Deus; quia Dominus potestatis est titulus, *Turrecrem. in cap. Iacobus. de Cons. Dist. 1.* Alia addemus infra suis locis propria, *par. 2. tit. 5. num. 1.*

- 8 *Cum verò dicuntur plures Orationes, & vna Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio huiusmodi, illa scilicet quæ eadem est, non alia, q commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quæ sit diuersa. Idem seruetur in Secretis & Orationibus post Communionem.*

q *Commutetur cum alia.*] Quenam commutanda est; prima, aut altera? prima manet, altera mutatur eo modo, quo præscribitur clarè in Dominica Septuagesimæ, quando venit ante Festum Purificationis beatæ Virginis, cuius Secreta eadem est cum Secreta prædictæ Dominicæ, & illa

mutatur quæ secundo loco ponitur.

Dices: Quomodo fiet mutatio secundæ Orationis de Feria, vel Dominica, vel de ijs quæ sunt ad libitum, quando est eadem cum prima de Sancto? nam hic accidit casus in Festo Quadraginta Martyrum occurrente in Feria quinta Cinerum; &

item in Festo S. Martini Episcopi in Dominica 22. post Pentecosten; vel cum præcipitur Oratio, *Deus refugium*. Verum in his casibus poterit sumi Oratio secreta Feriæ sextæ Cinerum, vel Dominicæ XXIII. vel ea quæ proximè sequitur, pro quacumque tribulatione, respectuè ad ca-

sus prædictos; vt eadem sit regula in fauorem Orationis primæ, quæ non debet mutari: & ita accidit in praxi, quia Celebrans, qui non præuidit Secretas, dicit primam de Sancto; mox aduertens secundam esse eandem, non potest non mutare secundam.

D.

Ordo partium
Missæ.

VIII - XIV.

De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis. VIII.

In aggredimur partes integrantes Missæ, quæ in primordijs Ecclesiæ, ordinante Petro & Apostolis, duæ tantum fuerunt, scilicet Consecratio cum verbis proprijs, & Oratio Dominica, *Gregor. Papa in Epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum*; cuius Missæ quasi vestigium remanet in Parasceue, in quatenus non fit consecratio. Idem Petrus Antiochiæ addidit tres Orationes, *Innocent. III. in Prol. ad lib. Myster. Missæ*, Collectam, Secretam, & Postcommunione, ex *Lindano ad Liturgiam sancti Petri*. Crescente verò cultu Christianæ Religionis, adiecta sunt alia, quæ visa sunt decentius conuenire, quandoque alia

dempta, alia mutata in melius. *Lindanus* autem in *Apologia* pro Liturgia sancti Petri Græca, quæ valde similis est Gregorianæ, contendit probare, à sancto Petro fuisse præscriptam totam Missam Latinam, paucis exceptis; & successores eiusdem vel firmasse aliqua Decretis, vel restituisse neglecta, quod & nos cum Baronio supra affirmauimus. Ab initio verò non erat tutum moram longam trahere in Sacrificio, ex *Simone Græco apud Lindanum ibidem*.

Nunc agamus de singulis iuxta titulos Rubricarum, dilatis causis de Christo mysticis in alteram Rubricarum generalium partem.

Introitus semper eodem modo dicitur cum Gloria Patri, vt in Ordinario, præterquam tempore Passionis, & in Missis Defunctorum, vt etiam ibi annotatum est.

[Introitus.] Vel quia introeunte Sacerdote ad Altare dicitur, qui paulò antè dixerat, *Introibo ad Altare Dei*. ita *Microl. de Eccles. obser. cap. 1.* vel quia fit quasi proœmium Missæ, *Conrad. lib. 1. Carimon. cap. 1.* vel quia populo introeunte Psalmus cantabatur, *Rhenan. ad Tertull. de Cor. militis*. A S. Gregorio dicitur *Antiphona*, ab Ambrosianis *Ingressa*.

Componitur regulariter ex Psalmo Dauidis, Versu eiusdem Psalmi, Glo-

ria Patri, Sicut erat, & repetitione Psalmi. Dixi, regulariter ex Psalmo: nam *Cælestinus I. Papa* constituit, vt Psalmi centum quinquaginta ante Sacrificium cantarentur antiphonatim, quod antè fiebat, ex *Dion. de Eccles. Hierar. cap. 3.* & *Cassiano lib. 3. de Instit. Mon. cap. 11.* sed non vbique. Antiphonatim autem, hoc est, non totum Psalmum recitabant antiqui, vt aiunt quidam apud *Radulph. Propos. 23.* sed, vt docet *Alcuin. loco ci-*

tato,

tato, ex omnibus Psalmis excerp-
bant Antiphonas: *Baronius* tamen an-
no 418. explicat Decretum Cælestini
de toto Psalterio cum Antiphonis an-
te Missam cantando in Ecclesia Ro-
mana; & *Bellarminus* idem sentit *lib. 2.
de Missa cap. 16.*

Irregulares verò Introitus sunt per-
pauci, qui non ex Psalterio, sed ex
Prophetis, seu alijs Scripturæ libris
sunt hausti, vt in Natiuitate Domini,
Puer, qui natus est, &c. in Ascensio-
ne, *Viri Galilei, &c.* Versum tamen ex
Psalmo qui cantabatur retinuit S. Gre-
gorius Papa, *ex Durando lib. 4. cap. 5.
Dixi, Versu eiusdem Psalmi;* quia
quãdo Introitus incipit à primo Versu
Psalmi, tunc Versus Introitus est, qui
proximè sequitur in Psalmo; quando
verò incipit à Versu de sequentibus in
Psalmo, Versus est idem, qui est pri-
mus in Psalmo. Exempla patent in
Missali, nimirum in Natiuitate Domi-
ni, *Dominus dixit ad me, &c.* Versus est,
Quare fremuerunt gentes. in Domini-
ca prima Aduentus, *Ad te leuam ani-
mam meam, &c.* Versus est de sequen-

tibus in Psalmo, *Vias tuas Domine, &c.*

[*Gloria Patri.*] Additum est quasi
ad finem Psalmi, ex instituto Damasi
Papæ: quamquã ante Damasum com-
posita fuisse laus hæc fertur à Nicæna
Synodo, imò ab Apostolis, *ex Basilio,
eam fluxisse probat Baronius anno 325.
Nicænum addidit, Sicut erat, &c. Ba-
ronius ibidem ex Conc. V. asen. can. 7.*

De repetitione Psalmi, seu Introitus,
Durandus & Radulph. locis citatis.

t. *Tempore Passionis.*] Nam tunc
omittitur laus Trinitatis, *Gloria Pa-
tri, &c.* ita *Microl. cap. 52.* tum quia
Introitus sunt de Passione Christi; tum
quia, propter humiliationem capitis
nostri proximam, omittenda est glori-
ficatio sanctissimæ Trinitatis, in qua
Filius Dei est idem cum alijs Personis
diuinis: Prima causa redditur à *Du-
rando lib. 6. cap. 60. in Dominica de
Passione,* altera ab *Amalar. de Eccles.
Officijs lib. 4. cap. 20.*

u. *Defunctorum.*] Indicia lætitiæ
omittuntur in his Missis, ad imitatio-
nem Officiorum quæ aguntur in mor-
te Domini, *Alcuin. circa finem libri.*

2. *Kyrie eleison, dicitur nouies post Introitum, alternatim cum ministro,
id est, ter Kyrie eleison, ter Christe eleison, ter Kyrie eleison.*

Post Apostolicos Hebræos cœpe-
runt Græci facere Missam Adriano
Primo imperante, *Duran. lib. 2. cap. 1.
obiit ille anno Domini 140.* Vox au-
tem Græca *Kyrie eleison* inuenitur in
Liturgijs S. Iacobi, & S. Marci, *Du-
rand. lib. 2. cap. 13.* à Græcis Siluester
ad Romanos eam transtulit, *Radulph.
Propos. 23.* fuisse verò in vsu in tota
Italia, testatur *Concil. V. asen. can. 3.* an-
te S. Gregorium 150. annis, *ex Bellar-
min. lib. 2. de Miss. cap. 16.* idem scribit
Augustinus de omnibus Christianis,
contra *Pascentium Epist. 178.* & signi-

ficat, *ex eodem ibidem,* Domine misere-
re. Nouies autem in Missa dici, docet
Greg. lib. 7. Epist. 63. qui se dicit resti-
tuisse, non instituisse hunc ritum, cum
alternatione partim à Sacerdote, par-
tim à populo, quod non faciunt Græci,
nimirum, *ter Kyme, ter Christe* (quod
etiam Romanorum est, non Græco-
rum) & *ter Kyrie.* Addit *Amalar. lib. 3.
cap. 6.* causam; quia ante omnem Ora-
tionem specialem Sacerdotum, neces-
se est præcedere misericordiam Domi-
ni, vt serenetur mens Sacerdotis ad ea
intendenda quæ ore dicit, & vt dignus
sit

fit Deum alloqui, & exaudiri. *S. Thomas 3. p. quest. 83. artic. 4.* notat (quod prius notauerat *Innocent. III. lib. 2. cap. 19.*) ter dici ad Patrem, ter ad

Filium Christum, ter ad Spiritum sanctum, additque *S. Thom.* ad significandum, quod omnes personae sunt in se inuicem.

- 3 *Gloria in excelsis*, dicitur quandocumque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum*, praeterquam in Missa ^x Ferie quintae in Cæna Domini, & ^y Sabbati sancti, in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamuis in Officio non sit dictum *Te Deum*.

Hymnus Angelicus ita dictus est, quia illum cecinere Angeli in Natiuitate Domini; cui addidere reliqua usque ad finem varij Doctores, ex *Concil. Tolet. IV. can. 12.* quo modo conciliari possunt qui eum tribuunt Apostolis, *Clem. lib. 7. Constit. cap. 48.* & qui Telephoro, *Innoc. III. lib. 2. cap. 20.* & qui Symmacho, *Berno cap. 25. de Officio Missæ*; & qui *S. Hilario Pictauiensi*, *Alcuin. cap. de Celebratione Missæ*: qui veriùs in Latinum transtulit, ait *Bonius ad Apost. Constit. Clem. cap. 47. lib. 7.* Vt autem dicatur in Missa, constituit Telephorus, ex *Innocent. loco citato*, & ex *Epist. 1. eiusdem Telephori.* idem asserunt *Damasus*, *Rabanus*, & alij complures apud *Duran. lib. 2. cap. 14.* Symmachus praeterea iussit recitari in diebus Dominicis, & in Natalitijs Martyrum, ex *Alcuin. Amalar. & alijs*; quia in Dominicis significatur Resurrectio Christi, per quam Sancti sociati sunt in gloria & laudibus Angelorum. *Duran. lib. 4. cap. 13.* tribuit *Stephano Schulting.* quod in Dominicis dicatur, & citat *librum Pontificalem Tom. 1. sua Bibliothec. p. 1. cap. 26.* Item in omni Festo

dicitur, quod plenum habet Officium, hoc est, nouem Lectiones (exceptis Aduentu, Innocentium Festo, & à Septuagesima ad Pascha) ex *Decr. Leon. IX. teste Democh. Tom. 4. cap. 15. Microl. cap. 2. & 45.* Item toto tempore Paschali, quod statum aeternae gloriae & pacis significat, *Hugo Victor. lib. 2. cap. 4.* Denique quando in Officio dicitur *Te Deum*, de *Celebrat. Miss. cap. Consilium*, ex *Innocent. III.* quia hi duo Hymni continent laudes sanctissimae Trinitatis.

^x *Ferie quinta in Cæna Domini.*] Dicitur Hymnus Angelicus in hac Missa, *can. Porro. de Consecrat. Distinct. 1.* ex institutione Nicolai Papae; & quia gaudium ea die est ob institutionem Sacramenti, *Duran. de Cæna Domini*, & in Ordine Romano praescribitur.

^y *Sabbati sancti.*] In cuius Missa ideò cantatur *Gloria in excelsis*, quia pax data est renatis fonte Baptismatis, & proxima est Resurrectio Saluatoris, *Duran. de Missa Sabbati sancti.* Pascha item dici potest praesens; Missa enim dicitur Resurrectionis, quae nocte sequenti celebratur: & huius ritus meminit etiam Ordo Romanus.

- 4 *In Missis Votiuis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octa-
uas, nisi in Missa ^z B. Mariae in Sabbato, ^a & Angelorum: & nisi
Missæ ^b Votiuæ solemniter dicenda sit pro re graui, vel pro publica
Ecclesiae causa. Neque dicitur ^c in Missis Defunctorum.*

Inno-

Innocentius III. in cap. *Consilium de Celebrat. Miss.* ait, in profestis (id est, procul à Festis) non dici Hymnum Angelicum apud Romanos, vt inter commemorationem & solemnitatem appareat differentia; & hoc asserit specialiter obseruati in Missis B. Mariæ; quod, ex *Radulpho Propos.* 13. debent obseruare, qui diligunt decorem domus Dei. Nam sicut decor est, illum in festiuitatibus recitare, ita decor est, illum omittere in diebus priuatis. iucundiùs etiam in festiuitatibus suscipitur, quod in profestis supprimitur, & tacetur. Hæc ille.

z. *Beata Maria in Sabbato.*] Ita legendum omnino, non autem cum interpunctione, vt olim in Missalibus Venetis & alijs mendosis, in quibus legebatur hoc modo, nisi in *Missâ beata Maria, in Sabbato*; superfluum enim esset illud *in Sabbato*: nam vel intelligis de Missâ in Sabbato, quando de ea fit Officium in Sabbato; & eo casu *Gloria* dicitur, quia in Officio dictum est *Te Deum*, & pertinet ad Rubricam superiorem *num. 3.* neque illa est *Votiuâ*: nam *Votiuâ* non concordat cum Officio, *tit. 15. num. 5.* Vel intelligis de verè *Votiuâ*; quæ dicitur in Sabbato principalis de Aduentu, de qua supra *tit. 4. num. 2.* & tunc additum fuisset in hac Rubrica, *Sabbato de Aduentu.* Vel intelligis de merè *Votiuâ*, quæ ad libitum dicitur, etiam in Sabbato, priuatim, & omnino discordante ab Officio: & eo casu sufficeret dixisse, in *Missâ beata Maria*, absolute, quocumque die dicatur. Ne igitur superfluat illud *in Sabbato*, amoue comma, seu distinctionem; & dic, præferibi hoc loco, quod in *Votiuâ* beatae Mariæ, quæ dicuntur in omni Sabbato, etiam Aduentus, Quatuor Tem-

porum, Vigiliarum, seu Festi Semiduplicis (non in alijs diebus extra Sabbatum) dicatur in ijs tantum Hymnus Angelicus; ita vt hoc ordine beatae Virgini operam demus: Primò, in Festis ipsius cum Hymno Angelico, Symbolo Apostolorum, & Præfatione propria, quod nemo negat. Deinde, in Sabbato (quod habere non nihil solemnitatis in honorem beatae Virgini docuimus *sup. tit. 4.*) cum Hymno Angelico, & Præfatione propria, siue concordet, siue discordet Missa B. Virgini ab Officio; quod hoc loco piè conceditur omni Sabbato. Tertio, in reliquis diebus & *Votiuâ* Missis eiusdem, dicatur tantum Præfatio propria eiusdem beatae Virgini. Confirmatur hæc Rubrica ab alia, quæ habetur in Ordine Missæ in Missali post Hymnum Angelicum, videlicet: *Sic dicitur etiam in Missis beata Maria, quando dicenda est*, ergo non semper dicenda est, *Gloria in excelsis*. Sentus autem horum verborum est: *Sic*, id est, eodem modo, quo immediatè supra descriptus est, dicendus est Hymnus Angelicus, non additis ampliùs ijs verbis, quæ ante Pium V. in dicto Hymno addebatur à Sacerdotibus in honorem B. Virgini: *Quoniam tu solus Sanctus, Mariam sanctificans; tu solus Dominus, Mariam gubernans; tu solus Altissimus, Mariam coronas*, & alia verba, quæ ampliùs non sunt in vlu.

Neque post recognitionem Missalis datus est hic Hymnus cuiuscumque Missæ de B. Virgine, quidquid in vulgus sparserint aliqui, & falsò. Imò sacra Rituum Congregatio deleri iussit anno 1627. de quibusdam Calendarijs insigniorum locorum Decretum falsò adscriptum eidem Congregationi contra hanc Rubricam, de Hym-

no Angelico in Votiuis beatæ Mariæ.
 a *Et Angelorum.*] *Burchard.* & merito, quia prima verba Hymni fuere primò prolata ab Angelis, *Luc. 1.*

b *Votiuia solemniter, &c.*] Suprà diximus cum Innocentio III. omitti Hymnum Angelicum in priuatis diebus, vt appareat differentia inter solemnitatem & commemorationem. Si ergo solemnitas adsit aliqualis; Vel ratione temporis, puta, quia Sabbatum dicatum beatæ Virgini; Vel quia eo die obiit ille, de quo dicitur Missa, quasi in eius Festo, licet non dicatur Officium, vt in *Cerimoniali suo Petrus Ruiz notauit, & bene;* Vel ratione causæ grauis, aut publicæ, conceditur Missis Votiuis Hymnus Angelicus. Æstimatur etiam solemnitas ratione loci, qua ratione Prinelegium dicitur fuisse datum sacrosanctæ Ædi B. Virginis Lauretanæ, vt ibidem in omnibus Missis B. Virginis dici queat *Gloria in excelsis;* & habetur in *Synodo vltima Lauret. tit. 11. num. 4. sub Card. Roma.* Res autem grauis ea est, pro qua conuenit totus Clerus cum Epi-

scopo: si tamen paramenta adhibeantur violacea, tunc non dicitur *Gloria*, neque *Credo.* & sacra Rituum Congregatio 19. *May 1607.* vtrumque declarauit: nisi in Dominica dicatur Missa Votiuia solemnis; quia tunc dicitur *Credo.* Quare ex dictis sublatum est Priuilegium de *Gloria in excelsis*, datum Minoribus ab Alexandro IV. & Sixto IV.

c *In Missis Defunctorum.*] Hoc notat *Amalar. lib. 3. cap. 44.* quia tunc non est locus latitiæ, quam indicat Hymnus Angelicus: sicuti nec in diebus luctus Aduentus, & Septuagesimæ ad Pascha.

Hoc loco addendum videtur, neque dici, *Gloria in excelsis*, in Vigiliarum Missis quæ veniunt infra Octauam, licet in Officio dictum sit *Te Deum*: quia hæ Missæ non concordant cum Officio. Et habetur hic ritus in Missali in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis B. Virginis. continet enim Hymnus cælestem gloriam, ex *S. Thom. 3. p. 9. 83. art. 4.* quæ cum Vigilia non consonat.

De Orationibus. IX.

O Ratio & Collecta idem. eiusdem vsus ab Apostolis, ex *Orig. Homilia 11. in Ierem.* explicat *Ordo Romanus*, quasi sit Collectio, vt Missa, & Missio; vel quòd ex diuinis Scripturis colligatur Oratio; vel quia dicitur super Collectam, id est, populum collectum, *Alcuin. vbi sup.* vel quia Sacerdos omnium preces in ea colligit, *Microb. c. 3.* vel quia astantes se debêt colligere vt orent, *S. Bonauent. de Myster. Miss.* dicitur etiã Benedictio ab *Amalar. 2. cap. 9. ex 1. Cor. 14.* Breuis autem est, ne multum loquentes oremus,

Matth. 6. Docet *Dion. Epist. ad Demophil.* preces fieri ante mysteria. Orationes composuit *Ambros. ex Gemma lib. 1. c. 87.* & in Missali Romano multe sunt illius, vt suis locis indicabimus. à *Gelasio Papa* auctæ & limatæ fuerunt, ex *Sigeb. anno Dom. 487.* A *S. Gregorio* deinde, quibusdam additis, vel detractis, in ordinem & librum Sacramentorum redactæ, *VValafr. Strabo de Reb. Eccles. cap. 22. & Micrologus cap. 61.* Concilia, *Carth. III. can. 23. Mileuit. can. 12.* quibus aderat *S. Augustinus*, reijciunt non probatas.

1 **I**N *Festis Duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio, ut dictum est supra.*

Romana traditio vnam Orationem tribuit cuique Missæ, *Microl. cap. 4.* quia vnus Introitus, vna Epistola, vnum Euangelium, *Amalar. in Prolog.* *de diuinis Offic.* Vnum est Officium, *Radul. Propos. 23.* & fidei seu vnitatis Sacramentum denotat, *Innocent. III. lib. 2. cap. 27.*

2 *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octaua Pentecostes vsque ad Aduentum, & à Purificatione vsque ad Quadragesimam, dicitur secunda Oratio, A cunctis; tertia ad libitum.*

Sicut in Officio fiunt commemorationes de B. Virgine, sanctis Apostolis, S. Patrono, seu Titulari, & de Pace; ita in Missa dicitur secunda Oratio, *A cunctis*, cuius est auctor Innocentius III. *ex Duran. lib. 4. cap. 15.* in qua supradicta memorantur. nam littera N. nomen exigit Patroni, seu Titularis Ecclesiæ, vbi celebratur. tertia verò additur, quia impari numero gaudet Deus, *ex Innocentio III.* & tres dicendæ, in honorem sanctissimæ Trinitatis, *idem Innocent. ibidem;* vel quia Christus ter orauit in horto, *Microl. supra.* die quia in memoriam eius qui tertia die resurrexit, *Clem. lib. 2. Constit. cap. 63.* & tres approbat dici *Concil. Laodic. cap. 19.* Numerus impar est indiuisibilis, & vnionem hoc loco significat Ecclesiæ orantis. In tertia Oratio-

ne ad libitum, cauere debet Sacerdos pro sua modestia, ne coram Prælato suo, seu Principe, dicat Orationem quæ habet titulum, *Pro se ipso Sacerdote.* ita *Burchardus in Ordine celebrationis Missæ.*

Dices: Cur in Oratione, *A cunctis*, in qua continentur omnia suffragia, seu communes commemorationes Officij, ut dictum est, nulla mentio fit de Cruce, de qua in Officio? Respondeo, non semper fieri de Cruce in Officio commemorationem; & fuisset incommodum, modò eam demere, modò addere in Oratione, *A cunctis*, pro varietate Missæ ferialis, seu de Sancto. Deinde tota Missa commemoratio est de Cruce: qua etiam de causa tempore Paschali fit in Officio cõmemoratio de Cruce, non in Missa.

3 *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Purificationem, dicitur secunda Oratio, Deus qui salutis, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa, Deus omnium fidelium.*

Secunda Oratio de B. Virgine ob eiusdem partum dicitur, vsque ad Officium Purificationis etiam translatum; tertia pro Ecclesiæ, vel pro Papa.

4 *In Festis Semiduplicibus à Feria quarta Cinerum vsque ad Dominicam Passionis, secunda Oratio de Feria, tertia, A cunctis.*

Secunda de Feria, de qua in Officio ob alias commemorationes & Suffragia quæ in eodem fiunt Officio.

D

5 In

5 *In Semiduplicibus à Dominica Passionis vsque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia Ecclesie, vel pro Papa.*

Omittuntur enim commemorationes in Officio, & consequenter etiam in Missa; tamen pro Ecclesia, vel eius capite, adhuc est orandum. Quòd si hoc tempore cantandæ sint duæ Missæ, de Festo, & de Feria, in Festo Semiduplici secunda erit, *Ecclesia*, vel *pro Papa*. neque dicitur tertia Oratio; ita Romæ fit: & minuitur numerus Orationum in Missa, sicut & suffragiorum in Officio. cuius rei causam *num. 8.* afferemus.

6 *In Festis Semiduplicibus ob Octaua Pascha vsque ad Ascensionem, secunda Oratio de S. Maria, Concede nos, tertia Ecclesie, vel pro Papa.*

In his, & sequentibus, quando in Officio cessant commemorationes de Sanctis, & de Pace, cessat etiam Oratio, *A cunctis*. Sed quia beata Virgo numquam cessat orare pro nobis, & Festa Filij sunt etiam Matris, neque à Sanctis quidquam obtinemus, quod à Deo per manus Mariæ prius non donetur; ideò tempore Paschali, infra Octauas Ascensionis, Corporis Christi, & Sanctorum, in eorumque Vigilijs, secunda Oratio est de beata Virgine; præterquam quod hoc Sacrificium de ea mundo fuit generatum, *Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 104.*

7 *In Festis Semiduplicibus infra Octauas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octaua, tertia, qua secundo loco infra Octauam ponitur.*

Sicut in Officio fit commemoratio de Octaua, ita & in Missa in secunda Oratione; & consequenter, quæ secunda erat, tertium obtinet locum.

8 *Infra Octauas Pascha, & Pentecostes, in Missa de Octaua dicuntur duæ tantum Orationes, una de die, alia Ecclesie, vel pro Papa.*

Valet hinc ea ratio quam affert *Durandus in Dominica de Passione*, in qua cessant Commemorationes Sanctorum in Officio; ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum, & spes nostra eleuetur ad vnicum eius singulare refugium. Addimus igitur in tempore Passionis, Paschatis & Pentecostes aliam Orationem tantum pro Ecclesia, vel pro Papa, pro quibus præcipuè orandum, nullo alio mediante Aduocato, neque beata Virgine; quia Christus & Spiritus paracletus sunt tunc temporis supremi & vnici Aduocati nostri. Si in prædictis occurrat Commemoratio de Sancto, non dicitur tertia Oratio, ad sensum Rubricæ.

9 *Infra alias Octauas, & in Vigilijs que ieiunantur (excepta Vigilia^d Natiuitatis Domini, & Pentecostes) dicuntur tres, una de die, secunda de sancta Maria, tertia, Ecclesie, vel pro Papa. Sed infra Octauas sanctæ Mariæ, & in Vigilia, & infra Octauam Om-*

nium.

num Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto, Deus qui corda, tertia Ecclesia, vel pro Papa.

Pro prima parte Rubricæ attulimus congruentem rationem in hoc eodem tit. num. 6.

d *Natiuitatis Domini, &c.*] Hæ Vigiliae habent rationem Festi Duplicis, & solemnioris.

e *De Spiritu sancto.*] Quia in prima Oratione vel explicitè, vel implicitè, vt in Vigilia & infra Octauam Omnium Sanctorum, Mariæ merita

imploramus; idè in secunda Oratione eam denuò inuocare non debemus. Sit igitur secunda de Spiritu sancto, qui eam obumbravit & secundam reddidit. Quem ritum viguisse apud aliquos in Officio paruo beatæ Virginis, vt post Orationem de beata Virgine fieret semper Commemoratio de Spiritu sancto, & de omnibus Sanctis, scribit *Radulphus Propos. 20.*

10 *In Dominicis infra Octauas occurrentibus dicuntur due Orationes, vna de Dominica, secunda de Octaua: & in die Octaua dicitur vna tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio.*

Ratio est, quia de Octaua fit Commemoratio in Dominica, tertia verò Oratio omittitur ad maiorem solemnitatem. In Octaua dicitur vna tantum Oratio, quia est Duplex Officium.

Accidit in Dominica priuilegiata

fieri tantum Commemorationem de die Octaua, quæ non transfertur; & tunc in Missa secunda Oratio erit de Octaua. Neque tertia dicitur; quia dies est Octaua, & nobilior quàm Dominica infra Octauam, in qua duæ tantum dicuntur.

11 *In Dominicis dicuntur tres, vt in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, vt suis etiam locis notatur.*

Causam habes ex *Clemente supra num. 2.*

Excipitur Dominica Passionis, in qua duæ tantum dicuntur, ob rationem supra allatam num. 8. Item Do-

minica Palmarum, in qua vna tantum Oratio, tit. 7. num. 1. Item Dominica in Albis, quæ vnicam habet Orationem, quia eius Officium est Duplex,

12 *In Festis Simplicibus, & Ferijs per annum, nisi aliter in proprijs locis notetur, dicuntur tres, vt in Semiduplicibus, aut^f quinque: possunt etiam dici & septem ad libitum.*

Plures tribus non dicuntur in Semiduplicibus, nisi ob Commemoratio-
f *Quinque.*] Propter quinquepartitam Christi passionem, *Microl. c. 4.*

g *Septem.*] Quia Christus in Oratione Dominicali septem instituit pe-

nitiones, *Microl. vbi supra.* vel ob septiformis gratiæ Spiritum, *Innoc. III. lib. 2. cap. 27.* Plures etiam possent dici; sed tædio essent audientibus, ex *Micrologo loco citato.* Contigit Romæ anno 1628. in Ecclesia Anglorum dici

octo Collectas de præcepto, nimirum de Festo S. Siluestri, de Dominica infra Octauam Natiuitatis, de quatuor Octauis, de quinta Octaua S. Thomæ titularis, & vltimam iussu Pontificis, *Deus refugium.*

Ad libitum verò hoc loco non si-

gnificat tamen, quòd quascumque velis Orationes dicas, sed eas prius, quæ in Rubricis assignantur, pro secunda, vel tertia; & tunc supra illas, quæ tibi magis placent, addere poteris alias cum debito ordine, & numero.

- 13 *In Ferijs Quatuor Temporum, & ubi plures leguntur Lectiones, huiusmodi plures Orationes dicuntur post vltimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in Proprio Missarum de Tempore.*

Leguntur enim plures Lectiones in Ferijs quartis & Sabbatis Quatuor Temporum; præterea in Feria quarta ante Sabbatum, *Sientes*, Domin. Quadrages. & in Feria quarta maioris Hebdomadæ. Quia ve-

rò Epistola magis attinet ad Sacrificium Missæ, quàm Lectiones præcedentes, ideirò multiplex Oratio, quæ ad Sacrificium propiùs accedit, immediatè ante Epistolam collocari debet.

- 14 *In Missis Votiuis, quando solemniter dicuntur pro re graui, vel pro publica Ecclesie causa, dicitur vna tantum Oratio: sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur. In alijs autem dicuntur plures, ut in Festis Simplicibus.*

Vnitas Orationis dicit & significat solemnitatem, ut in Duplici patet. In Missa verò pro gratiarum actione additur alia per modum commemorationis cum distinctione à prima, ut notauimus supra tit. 7. n. 7. & est Burchar.

In Votiuis priuatis secunda Oratio est, de quo fit Officium; tertia erit ea, quæ secundo loco dicitur in Missa de Officio; exceptis Votiuis ijs de quibus numero sequenti. Oratio pro gratiarum actione secundo semper loco dicitur.

- 15 *In Votiuis B. Mariae secunda Oratio dicitur de Officio illius diei, & tertia de Spiritu sancto: sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu sancto, tertia Ecclesie tue, vel pro Papa. ^h In Votiuis de Apostolis, quando ponitur Oratio *A cunctis*, eius loco dicitur Oratio de S. Maria, *Concede nos famulos.**

Orationem de Spiritu sancto conuenire Missæ beatæ Virginis, diximus hoc eodem tit. num. 9. & semper dicitur, quia est Rubrica generalis, etiam tempore Aduentus, Passionis, & Paschali, in quibus assignatur in alijs Missis Oratio, *Ecclesie*, vel *pro Papa.*

^h *In Votiuis de Apostolis, &c.* Non

dicitur Oratio, *A cunctis*, ne fiat noua mentio Apostolorum Petri & Pauli; nam de his Apostolis tantum Rubrica loquitur: ne verò pereat deinde memoria beatæ Virginis, quæ habetur in ommissa Oratione *A cunctis*, dicitur eius loco *Concede*, de sancta Maria.

In alijs autem temporibus, quando

do non dicitur *A cunctis*, nulla acci-
dit mutatio.

Quæres, An similem ob causam in
Missâ Votiuâ de Patrono, seu Titulari,
qui nominatur in litera N. in Oratio-
ne *A cunctis*, debeat fieri similis mu-

tatio Orationum. Respondeo, satis
esse in eo casu, vel tacere in Oratione,
A cunctis, nomen Patroni, seu Titu-
laris, ne de eodem bis fiat mentio in
Collectis, vel nominare poteris vice il-
lius alium pro tua deuotione.

16 *Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri i commemorationem
alicuius Sancti, ea ponitur secundo loco, & tertia Oratio dicitur,
quæ aliàs secundo loco dicenda erat.*

i *Commemorationem.*] Intellige hîc
Commemorationem Sancti, non ad
libitum Sacerdotis, sed eam quæ fa-
cta est in Officio, vt in Sabbato, quan-
do fit Officium beatæ Mariæ Virginis
cum commemoratione Festi Simplicis;
tunc enim Oratio de Spiritu san-
cto erit tertio loco dicenda. quod va-
let etiam in Missis non Votiuis, vt di-
ctum est supra iij. 7. num. 5.

Atque hinc ille ritus non satis pla-
cet dicendi quatuor Orationes in Do-
minicis, & Ferijs Quadragesimæ, pri-
ma de Feria, secunda de Vigilia, vel
Festo Simplici, tertia, *A cunctis*, quar-
ta, *Omnipotens*: vel adde quintam, vel
deme quartam, vt dictum est supra
num. 12.

Accidit etiam, à Superiore decerni
pro publica causa quotidie dicendam
Orationem, *Deus refugium nostrum*,
seu aliam; & tunc vel dicitur loco ter-
tiæ ad libitum; vel addatur vti com-
memoratio in Duplicibus, Semidupli-
cibus, & Dominicis. Sacra Rituum
Congregatio die 28. Augusti 1627.
omitti decreuit regulariter prædictam
Orationem in Festis primæ classis: in
alijs verò secundæ classis, communior

vsus insigniorum Ecclesiarum Urbis
est, vt neque dicatur in Missis priuatis,
nedum in solemnibus, à qua sola exclu-
ditur commemoratio de Festo Sim-
plici. quæ consuetudo mihi placet.
Ita verò addatur hæc Oratio, vt nulla
omittatur ex ijs, quæ in Missali cui-
que Missæ singillatim & nominatim
assignantur: imò in ijs, in quibus ter-
tia est ad libitum, potes eam dicere, &
addere, *Deus refugium*; ea ratione ta-
men, vt serues debitum numerum, vi-
delicet, quatuor in Dominicis, & Se-
miduplicibus, quinque in Simplicibus,
ferialibus & Votiuis, iuxta su-
periores Rubricam num. 12.

In Missâ de Sancto, qui titulus est
Altaris, de quo tamen non recitatur
Officium, sed Missâ tantum, ad eius-
dem Altare, in die Festo illius (quia
non debet omitti Oratio eius de quo
fit Officium) conuenit vt tertia sit
Oratio, quæ aliàs secundo loco tunc
temporis dicenda foret. Est enim hæc
Missâ ex Votiuo & festiuo mixta. Ex
Votiuo, quia discordat ab Officio; ex
festiuo, quia eo die obiit Sanctus de
de quo Missâ: & ideo dicitur in ea
Hymnus Angelicus, vt supra diximus.

17 *In conclusione Orationum hic modus seruatur. Si Oratio dirigatur ad
Patrem, concluditur, Per Dominum nostrum, &c. Si ad Filium, Qui
Quis & regnas cum Deo Patre. Si in principio Orationis fiat mentio*

Fily, concluditur, Per eundem Dominum nostrum. Si in fine Orationis, eius fiat mentio, Qui tecum viuit. Si facta sit mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur, In unitate eiusdem Spiritus sancti, &c. Alia quoque in dicendis Orationibus seruentur, quæ superius in Rubrica de Commemorationibus dicta sunt.

Oratio ad Patrem vt plurimum dirigitur, iuxta doctrinam Christi, *Matth. 6. & Ioan. 16. & ex Decr. Carthag. Conc. cap. 23.* & tunc conclusio fit hoc modo, *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* quod sumptum est ex Epistola ad Romanos 5. *Innoc. III. lib. 2. cap. 26.* Rarò ad Filium dirigitur, nec antiquitus, vt notat *Bellarmin. de Miss. lib. 2. cap. 16.* vt Filius etiam credatur Deus: & eo casu conclusio fit, *Qui visis, & regnas.* Numquam de facto ab Ecclesia ad Spiritum sanctum in Missa Collecta dirigitur; quia donum est, & à dono non petitur donum, sed à donatoribus, à quibus ille procedit, *Durand. lib. 4. cap. 15.* diriguntur tamen Hymni & Sequentiæ ad eum; & possent etiam dirigi Collectæ, quod Ecclesia non fecit adhuc.

Reliqui conclusionum modi per se patent, & qua de causa variandi, vt nimirum concinant sensui Orationis vltimæ, ex *Nau. de Oration. cap. 19. num. 169.* quam concludunt. Si ad ipsam Trinitatem dirigitur Oratio, dicitur, *Qui visis, &c.* ne videatur separari Christus à Trinitate.

Hoc autem est commune omnibus conclusionibus, vt mentio in ijs fiat semper sanctissimæ Trinitatis; vt intelligamus, nullum fieri præiudicium reliquis diuinis Personis, quæ in Oratione taceri videntur, dum consummatio ostendit, nullum esse discri-

men in Trinitate, *Fulgen. lib. 2. ad Monimum. quest. 1.*

In unitate Spiritus sancti Deus, ita legendum esse, non autem præponendam vocem Deus, tradit ex Romana auctoritate *Radulph. Propos. 23.*

Additur Amen in fine, vt communem Orationem, quam Sacerdos obtulit, omnes confirmet, *idem ibidem.* meminitque huius ritus respondendi Amen *S. Augustinus Epist. 178. & Tract. 41. in Ioan.* & quia vox Hebræa est, quæ significat apud nos idem quod fiat, in preceationibus vsurpata est Apostolorum tempore, *1. Cor. 14.* tam à Græcis quàm à Latinis, & nunquam fuit mutata; vt alia etiam retinentur Hebræa, ob causas paulò infra recensendas. Significat etiam *verum est, Orig. Tract. 35. in Matth. Ambr. de ijs qui inicianur mysterijs lib. 1. cap. 9.* & in hoc sensu concordat Amen cum Orationis potiùs conclusione, quàm cum Oratione; quasi affirmet populus, verum esse, regnare Deum in unitate Spiritus sancti, *Innocen. III. lib. 2. cap. 26. Durand. lib. 2. cap. 17.*

Notat *Nauarrus de Orat. cap. 19. num. 171.* conclusionem abbreviari, & dici, *Per Christum Dominum nostrum:* quod in Canone fit, quando scilicet non præcedit, inquit ille, *Dominus vobiscum.* quod verum est vt plurimum, non autem semper.

De Epistola, Graduali, Alleluia, & Tractu,
ac de Euangelio. X.

Post ultimam Orationem dicitur ^k Epistola: qua finita, à ministris respondetur, ^l Deo gratias. Et similiter quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur, Deo gratias, præterquam ^m in fine quinta Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum, ⁿ & in fine Lectionum Ferie sextæ in Parasceue, & Sabbati sancti.

^k Epistola.] Sonat Epistola supermissionem, seu supererogationē; quia litteræ, quæ mittuntur, habent aliquid supra id quod viua voce nuntius refert, ideoque Epistola vocantur.

Est igitur Epistola missa supra, siue ultra Testamentum vetus, & Euangelium, *Alcuin. de Diuinis Officijs.* Auctores legendi Epistolam in Missa fuere Apostoli, & habetur in Liturgia S. Petri; tum Successores Apostolorum, *ex Can. 10. Apost. Dion. de Ecclesiast. Hierar. cap. 3. Clem. lib. 2. Const. cap. 57.* Alexander autem Papa, qui dicitur auctor *ab Honor. in Gemmacap. 88.* forasse Decreto ritum stabiliiuit. Ante Anastasium Paulus tantum legebatur, *ex Demochare, Tom. 4. cap. 15.* deinde verò non solum Pauli legebantur Epistolæ, *VValafr. Strabo cap. 22.* sed etiam aliorum Apostolorum, & Prophetarum, quod clarè asserit *S. Iustin. Apol. 2.*

Porro per totum anni curriculum ex Prophetis & Apostolis collegit & ordinauit Epistolas & Lectiones sanctas Hieronymus in *lib. qui dicitur Lectionarius, vel Comes S. Hier. vt docet Berno cap. 1.* Damaso approbante, *ex Radulpho Prop. 23.* eo fine, vt per Lectionem præparemur ad mysteria, *ex Cabasila cap. 22.*

Et in Lectionibus quidem veteris Testamenti initium esse solet, *In die-*

bus illis; finis autem, ait Dominus omnipotens: quia in libris illis hæc sæpè sunt in vsu. Titulus etiam Sapientia communis est Lectioni Prouerborum, Canticorum & Ecclesiastici; quia hi libri dicuntur Sapientiales, ex SS. Patrum antiquo vsu & ritu. In Epistolis verò Pauli eadem de causa fit initium ab ea voce, Fratres; & finis est, in Christo Iesu Domino nostro. In alijs item Apostolicis Epistolis ob eandem causam vtitur initio voce illa Charissimi, vsitata à Petro & Ioanne in suis Epistolis, Durand. lib. 4. cap. 16.

Certè in Dominicis Epistola solet esse de nouo Testamento; quia Dominicus dies Resurrectionem Domini & tempus gratiæ representat, *Duran. lib. 2. de Rit. cap. 18.*

Sed, cur ante Euangelium legitur, cum sit minoris dignitatis? Primò, quia designat officium Ioannis Baptistæ, *Rupert. lib. 1. c. 32.* qui fuit vtriusque Testamenti, cuius sunt Epistolæ, *Innocen. III. lib. 2. cap. 29.* Deinde *ex Alcuin.* mos fuit Apostolorum, vt bini ante Dominum irent, *Luc. 10.* Tertiò *ex VValafr. loc. cit.* vt animus audientium à minoribus ad maiora sentienda proficiat, & gradatim ab imis ad summa conscendat. Alias duas causas lege apud *Duran. loco citato,* quæ minùs mihi placent.

l. Deo

1 *Deo gratias.*] Burchard. Augustini sæculo consueverunt dicere Monachi cum hominibus occurrebant, *Deo gratias*: quod ipse scribit *August. ad Psalm. 132.* adeo erat tunc in Missa & Officio vsitatum. Gratias autem agimus Deo, quod Doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, ex *Rupert. lib. 1. de Diuin. Offic. cap. 14.* Si Pauli

erat Epistola, dicebatur in fine, *Pax tecum*, ex *Aug. Epist. 163.*

m *In fine quinta Lectionis.*] Omittitur responsio ministri, ne interrumpatur textus & sensus, vt ibidē legenti patet,

n *Et in fine Lectionum, &c.*] Sunt hi dies luctus, in quibus abstinemus etiā à *Gloria Patri, &c.* & similibus loquendi modis festiuioribus.

2 *Post Epistolam dicitur o Graduale, quod semper dicitur, p praterquam Tempore Paschali, cuius loco tunc dicuntur duo Versus, vt habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.*

o *Graduale.*] Seu Gradale, *Rabanus lib. 1. c. 33.* eò quod cantabatur in inferiori gradu, *Ordo Rom.* vel iuxta gradus pulpiti in quo legebatur Euangelium, *Raban. ibid.* vel quia cantabatur, dum Diaconus ascenderet gradus pulpiti Euangelici, ex *VValafrid. cap. 22.* & *Rhenano ad Tertul. de Cor. milit.* vel in gradibus Altaris, *Duran. lib. 4. c. 19.* Cantari autem cœpit, auctore Cælestino I. ex *Sigeber. anno Domini 426.* & *Ruper. lib. 2. Diuin. Offic. cap. 21.* Ambrosius composuit, ex *Rad. Propos. 23.* Gelasius & Gregorius item, ex *Duran. loco citato.* appellantur in

Antiphonario Gregorij *Responsorio.*

p *Praterquam Tempore Paschali.*] Quia ex *Rup. lib. 1. cap. 34.* Graduale lamentum indicat & laborem, quæ non congruunt cum tempore summæ lætitiæ Paschalis. Summa verò fuit lætitia post recuperatum Thomam in Dominica in Albis, in cuius Sabbato idē cessant Gradualia; eorum autem loco dicuntur duo Versus, qui nihil sinistrum aut triste sonant, *Innocen. loco citato cap. 33.* Quod si infra Octauam Paschæ Graduale dicitur, id fit propter recenter baptizatos, *Ruper. lib. 8. cap. 1.*

3 *Post Graduale, dicuntur q duo Alleluia, deinde Versus, & post Versum, vnum Alleluia. Tempore Paschali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud Alleluia post secundum Versum: & quando dicitur r Sequentia, non dicitur post vltimum Versum, sed post Sequentiam.*

q *Duo Alleluia.*] Vsurpatur Alleluia in Liturgia S. Petri hoc loco. Post luctum lætitia sequitur, *Ruper. lib. 1. cap. 35.* & peregrina vox est, vt idem ait, ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in Cælesti Ierusalem nos manet. est enim vox Hebræa, quæ significat *Laudate Dominum*, *Aug. in Psalm. 118.* cum plenitudine tamen

gaudij & exultationis, auctore *S. Thoma post Glos. in cap. 19. Apoc.* vnde & in diebus mœroris omittitur. *S. Germanus in Theoria* explicat, *Al*, id est venit, *el*, Deus, *uia*, laudate. Alias refert significationes *Duran. lib. 4. c. 20.* Primam ex *Augustino*, *Saluum me fac Domine.* Secundam ex *Hieronymo*, *Cantate laudem Domino.* Tertiam

ex

ex Gregorio, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sed est *S. Germani loco citato*: vel lux, vita, salus. Quartam ex *Petro Antistodor*. Altissimus leuatus est in Cruce, iugebant Apostoli, iam surrexit. In aliam linguam transferri non debet, sicut nec *Amen*, propter faustiore auctoritatem, *Isidor. lib. 1. de Diuin. Offic. cap. 13.* nam de Ierosolymitana Ecclesia translata fuit ad Romanam à *S. Hieronymo* iussu *Damasii*, vt docet *S. Gregorius lib. 7. Epist. 63.* qui & eandem vocem restituit, ex *Ruper. lib. 1. cap. 35.* non simpliciter, sed instituit, vt caneretur etiam extra tempus Paschale, vt explicat *Baron. ex August. in Psal. 106. cum scribit de Damaso, anno 384.* quod enim erat in vsu Ierosolymis ante *Damasum*, & *Damasus* Romæ ordinauerat, fortasse deinde omissum fuerat vsque ad tempora *Gregorij*. Et sicuti *Kyrie*, vox Græca, ita & *Alleluia*, vox Hebræa, à Latinis vsurpantur; vt omnis lingua in Missa conuincatur, quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris, *Innoc. III. lib. 1. cap. 33.*

Quod autem dicendum sit in Missa post Graduale, seu Epistolam, habetur in *Ordine Romano*: & geminatur, ob geminam quam expectamus glorificationem animæ & corporis. Additur *Versus* & alterum *Alleluia*, quasi intermixtum sit Graduale tum luctu, tum lætitia, ne deficiamus in

hac vita ærumnarum plena, *Durand. loco citato*. Quod dicitur de *Sequentia* & *Alleluia* in hac Rubrica, habet *Burchard*. vt vltimum locum prope Evangelium impleat *Alleluia*.

[*Sequentia*.] Diximus supra 1. p. tit. 5. vocari iubilationem ab Ordine Romano, & cur dicta sit *Sequentia*, docuimus *ibidem*. Primum earum Auctorem ferunt fuisse Abbatem *Nogerrum*, seu *Notherum*, sancti *Galli*, & *Nicolaum* Papam eas approbasse, *Radulph. Propos. 23.* eas etiam fuisse in vsu Romano tradit *VValafr. Strabo cap. 22.* Verùm *SS. Ambrosio* & *Augustino* adscriptas fuisse aliquas *Sequentias*, scribit *Duran. lib. 2. cap. 22.* Pulchrè igitur iunguntur *Sequentiæ* cum vocibus *Alleluia*, ad explicandam *Paradisi lætitiæ ineffabilem* in solemnioribus Festis, puta, in *Paschate*, & *Pentecoste*. cuius *Sequentiæ*, *Veni sancte Spiritus, & emitte calitum, &c.* auctor esse perhibetur *Robertus Francia Rex, apud Trithemium & Duran. lib. 4. c. 22. circa annum 1003.* vel *Hermannus Contractus, ex Ligno vite lib. 5. cap. 70.* In Festo *Corporis Christi* Auctor est *Sequentiæ S. Thomæ Aquinæ*, quam tamen tribuit sancto *Bonauenturæ Io. Rioche l. 4. Compend. temporum cap. 71. col. 3.* sed primum puto verius. De *Sequentia Paschatis* mentionem subobscuram facit Auctor *Gemma anim. lib. 3. cap. 135.*

4 *A Septuagesima vsque ad Sabbatum sanctum non dicitur Alleluia, neque dicitur in Missis de Feria in Aduentu, Quatuor Temporibus, & Vigilijs quæ ieiunantur, exceptis Vigilia Natiuitatis Domini, si venerit in Dominica, & Vigilia Paschæ & Pentecostes, ac Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in Festo SS. Innocentum, nisi venerit in Dominica.*

E

f Non

f Non dicitur.] Leo IX. de Conf. Dist. 1. Hi duo. & Conc. Tolet. IV. can. 10. prohibent in Quadragesima dici. Vox enim tantæ lætitiæ audienda non est in diebus mœroris & tristitiæ, cuiusmodi sunt à Septuagesima ad Sabbatum sanctum; tum Feriæ Adventus & Quatuor Temporum, tum Vigiliæ quæ ieiunantur, Alcuin. de Diuin. Offic. cap. de Septuagesima. idem affirmat de Vigilijs cap. de Feria 6. in Parasceue. Stillicidium est enim Alleluia gaudij cœlestis, Rup. lib. 1. cap. 35.

† Si venerit in Dominica.] Burchard. quam nullo tempore ieiunare, sed semper festiuam esse, Dominicæ Re-

surrectionis auctoritas cogit, Alcuin. loco citato de Feria sexta.

u Vigilia Paschæ, &c.] Burchard. idē docet in duabus Vigilijs prædictis. In his autem solemnioribus diebus licet ieiunemus, lætitiæ tamen plena sunt omnia in diuinis Officijs celebrandis.

x Sanctorum Innocentium.] Burchard. propter plorationem Rachel, quæ in figura præcessit Matris nostræ sanctæ Ecclesiæ; aut quia tēpus erat, quo tunc ad inferni claustra descendebant passi, Alcuin. cap. Officium. Vir erat in terra.

y Nisi venerit in Dominica.] Quæ Regina est dierum, ob Domini Resurrectionem, ex Ignatio supra citato, & Alcuin. supra de Fer. 6.

5. A Septuagesima vsque ad Pascha eius loco dicitur z Tractus, qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Ferijs non dicitur, vt suis locis ponitur: a nec dicitur in Ferijs à Septuagesima vsque ad Quadragesimam, quando repetitur Missa Dominicæ.

z Tractus.] De eo in Ordine Romano. Tractus autem, hoc est, luctus, ex eodem Ordine Romano de Septuagesima, à trahendo dictus est, quia tractim cantatur, Alcuin. de Sepr. & veluti tractæ voces lugubres gemitibus & suspirijs admixtæ sunt, Azor. lib. 10. cap. 36. quæst. 8. Auctor Tractuum, vel Cælestinus, Berno de Offic. Missa cap. 25. vel Geladius, Ruper. lib. 2. de Diuin. Offic. cap. 21. vel Telsphorus, Durand. lib. 4. cap. 21. vel hi omnes perfecere.

Humilitatis verò tempore dici so-

let, & semper in causa humilitatis ponitur, Amalar. lib. 2. cap. 3. vnde à Septuagesima ad Pascha locum habet Tractus; quia tunc mortem, quæ intrauit in mundum per inuidiam diaboli, lugemus, Ruper. lib. 5. cap. 13. vel miseriam vitæ præsentis, Innoc. III. lib. 2. cap. 32.

a Nec dicitur.] Ijs certè diebus cantatur Tractus, quibus frequentior est populus, vt ad luctum excitetur, nempe Dominicis diebus, & in Quadragesimâ Ferijs secundis, quartis, & sextis, Durand. lib. 4. cap. 21.

6. Dicto Graduali, seu Alleluia, seu Tractu, b dicitur Euangelium. c Et in principio Euangely dicitur, Dominus vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. d deinde, Sequentia sancti Euangely secundum N. Respondetur, e Gloria tibi Domine. f In fine Euangely à ministro respondetur, Laus tibi Christe, quod etiam dicitur in fine illius partis

tis

is Passionis, quæ legitur in tono Euangelij, & præterquam in Parascene. Postea si dicendum est, dicitur Credo.

b *Dicitur Euangelium.*] Vox Græca, quæ Latinitate donata sonat bonum nuntium, *Isidor. lib. 1. cap. 11.* accipitur hîc pro textu historiæ Euangelicæ, quem Apostoli in Missâ legebant; quod *Schulding. p. 1. cap. 19.* ex eo Pauli deducit, quod de Luca ait, *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Successores Apostolorum legi curarunt in Missâ, ut testantur *Liturgia omnes, & Strabo cap. 22.* Alexander Papa firmavit vsûm Decreto, *Radulph. Propos. 23. & Gemma lib. 1. cap. 88.* Est autem Euâgelium principale omnium quæ dicuntur in Missâ. Sicut enim caput corpori præminet, & illi reliqua consentiunt; ita Euangelium se habet cum toto Missæ Officio, *Ruper. lib. 1. cap. 37.* Verbum Verbi est, Sermo sermonis, & Sapientia Sapientia, *Innocen. III. lib. 2. cap. 47.* Euangeliarium per annum Hieron. composuit, ex *Gemmalib. 1. cap. 87.* certas enim statas Lectiones Euangelicas legi, testatur *August. Prol. in Epist. Ioan. 1.*

c *Et in principio Euangelij.*] Ita Ordo Romanus; ut populus, ait, silentium præbeat, attentus & beneuolus fiat; quod ostendit ille per ea verba, *Et cum spiritu tuo.* quod notat *Ruper. l. 1. cap. 36.* Nam & Apostoli salutabant primum dicentes, *Pax huic domui,* *Gemma lib. 1. cap. 23.*

d *Deinde, Sequentia, &c.*] Ex Ordi-

ne Romano, quo docilis etiam fiat idem populus, *Ruper. loco citato.* Sequentia verò hoc loco est numeri pluralis, id est, ea quæ sequuntur in Textu Euangelistæ, *Durand. lib. 4. cap. 24.*

e *Gloria tibi Domine.*] *Chrysostom. in Liturgia.* Dicat, qui promptior non est, ut cum fructu capiat verba Euangelij, *Gloria tibi Domine.* ita *Amalar. lib. 3. cap. 18.* Vel, qui capiunt, glorificent Dominum, qui mittit verbum salutis, ut dicitur *Act. 11. Ruper. lib. 1. cap. 36.* Vel, sapientiam & sermonem Dei hunc esse omnes nos credentes, clamemus, *Gloria tibi Domine.* ita explicat *S. German. in Theoria rerum Ecclesiasticarum.*

Ante textum Euangelij præmittitur, *In illo tempore;* præterquam, quando est initium Euangelij, vel in primis verbis textus describitur tempus proprium illius narrationis; ut, *Anno quintodecimo, Elisabeth impletum est, &c.*

f *In fine Euangelij.*] Refert *Durand. lib. 4. cap. 24.* varios ritus. Quidam dicebant, *Amen,* hoc est, *verum,* vel *fiat;* alij, *Deo gratias;* alij, *Benedictus qui venit in nomine Domini: nos Christum laudamus,* de quo narratum est in Euangelio. sed verba non sunt antiquiora *Burchardo,* qui ea refert, & ante eum nemo.

g *Præterquã in Parascene.*] Que Christo fuit dies improprij, non laudis.

De Symbolo. X I.

h *Symbolum diciturⁱ post Euangelium¹ in omnibus Dominicis per annum, etiam si in illis fiat de Festo, in quo aliàs non diceretur.^m In tribus Missis de Natiuitate Domini, & deinceps vsque ad Octauam bea-*

ti Ioannis Apostoli inclusiue. ⁿ In Epiphania, & per Octauam. Feria quinta ^o in Cæna Domini. ^p In Paschate Resurrectionis, & per Octauam. ^q In Ascensione Domini, & per Octauam. ^r In Pentecoste, & per Octauam. ^s In Fæsto Corporis Christi, & per Octauam. ^t In omnibus Fæstis beatæ Mariæ, & per Octauas. ^u In Fæstis duodecim Apostolorum & Euangelistarum, & per Octauas. ^x In vtraque Cathedra sancti Petri, & in Fæsto S. Petri ad Vincula. In Fæstis Conuersionis & Commemorationis sancti Pauli Apostoli. In Fæsto S. Ioannis ante portam Latinam. In Fæsto S. Barnabæ Apostoli. ^y In Fæstis Inuentionis & Exaltationis sanctæ Crucis. ^z In Transfiguratione Domini. ^a In Fæstis Angelorum. In Fæsto ^b S. Mariæ Magdalene. In Fæstis ^c quatuor Doctorum, videlicet Gregorij, Ambrosij, Augustini, & Hieronymi, addito Fæsto S. Thomæ de Aquino, & S. Bonauenturæ. Item in Fæstis Doctorum, Athanasij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, & Ioannis Chrysostomi. In die ^d Octauarum S. Ioannis Baptista, & S. Laurentij. In Fæsto ^e Omnium Sanctorum, & per Octauam. ^f In Dedicacionibus S. Saluatoris, & SS. Apostolorum Petri & Pauli. In Anniuersario Dedicacionis propriæ Ecclesiæ, & per Octauam. In die Consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris. In Fæstis Sanctorum & quibus dedicata est Ecclesiæ, & ubi ^h habetur corpus vel insignis reliquia Sancti, de quo agitur. In die ⁱ Creationis, & Coronationis summi Pontificis, & in Anniuersario eiusdem diei. In die & in Anniuersario ^l Electionis & Consecrationis Episcopi. Item in omnibus Fæstis, ^m quæ in Dominicis, & infra Octauas celebrantur: in quibus ratione Dominicæ & Octauæ dici debet. Item in Fæsto ⁿ Patroni alicuius loci, vel Tituli Ecclesiæ (non autem alicuius Cappelle, vel Altaris) & in Fæstis principalibus Ordinum, & per eorum Octauas in Ecclesiis tantum illius Ordinis. Item dicitur Credo, in Missis Votiuis, quæ solemniter pro re graui, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur.

^h Symbolum.] Hoc est, indicium, seu signum, seu collatio; quia Symbolum Apostolorum est indicium fidei, eiusdemque regula, & continet omnes articulos eiusdem, *Isid. lib. 2. de Div. Offic. cap. 22.* Hymnologia Catholica, seu Hierarchica Eucharistia, dicitur à Dionys. apud Lindanum ad Liturgiam S. Petri. Symbolum autem, quod recitamus in Missa, non est Apostolorum, quod initio Ecclesiæ cantabatur

in Missa, ex *Dion. Arcop. cap. 3. de Eccles. Hierar.* & habetur in Liturgia sancti Petri, neque est Nicænum, quod deinde recitari iussit in Missa S. Marcus, qui sancto Siluestro successit, ex *Bernone cap. 25. de Offic. Missæ.* quod tamen negat Baron. anno 325. & probat ex *Ruffino in Symbolum*: sed est Constantinopolitanum, cum additione, *Filioque procedit*, facta in Concilio Toletano sub Leone I. ex *Baron. an-*

no 447. seu in Concilio Rom. à Damaso, vt probat *Steph. Dur. lib. 2. c. 24. & optime*. Quod Symbolum idem Damafus Papa dici decreuit, ex *Ru- per. lib. 2. cap. 21.* & quasi esset aptus modulis sonorum, inquit *Strabo c. 22.* Neque est tamen Constantinopolita- num purum, sed dici potest Ecclesia- sticum, ex *Demochare Tom. 4. cap. 15.* Purum enim à Gregorio Nysseno scri- ptum fuit, & approbatum in Concilio Constantinopolitano, ex *Niceph. l. 12. cap. 13. de quo Baron. anno 381.* quod paulò diuersum est ab eo quod dici- mus. Romæ verò non dicebatur, vt ex mox dicendis patebit.

i *Post Euangelium.*] Ex decreto san- cti Marci Symbolum post Euange- lium dicitur, *Radulph. Propof. 23.* vt per sanctum Euangelium corde cre- datur ad iustitiam, & per Symbo- lum ore fiat cōfessio ad salutem, *Stra- bo cap. 22.* omnes enim errorum im- pietates perfidiæque blasphemias cal- cat, & ob hoc in vniuersis Ecclesijs pari confessione à populo conclama- tur, *Isid. lib. 1. cap. 16.* Dicendum est autem, quòd idè Ecclesia Romana non recitabat, quia (& inquit Berno, se hoc audisse à Romanis) nulla vm- quam fuit hereseos fece infecta. Nam, Henrico Imperatore instante, Bene- dictus Papa VIII. hunc Romæ ritum instituit, ex eodem Bernone, qui aderat, *cap. 2. De quibusdam ad Missam spect.* Baronius quoque anno 1014. sub Be- nedicto VIII. cœptum esse Symbo- lum Constantinopolitanum dici in Missa Romæ, ita vt non anteà, tradit; & dolet, mutatum fuisse Romæ hunc ritum, Romanæ fidei intemeratæ testem.

l *In omnibus Dominicis.*] *VValafrid. Strabo cap. 22. ex Concilio Toletano,* quia in Symbolo habetur articulus

Resurrectionis Christi, *Innocen. III. lib. 2. cap. 51.*

m *In tribus Missis.*] De Natali Do- mini docet *Microlog. cap. 46.* De Octa- ua, quia omnes dies infra Octauam pro vna festiuitate computantur, vt tradit *Radulph. Propofit. 23.* Et quia Octauæ significant resurrectionē mor- tuorum, quæ continetur in Symbolo, *Innocen. III. loco citato.* Sed aduerte, quòd in Octaua S. Stephani dicitur *Credo*, propter Octauam S. Ioannis Apostoli, de quo est eadem Regula cum Apostolis, vt mox dicemus.

n *In Epiphania.*] *Microlog. vbi su- pra:* quia Festum Domini, & in ea ce- lebratur præterea Festum Baptismatis, de quo in Symbolo, *Confiteor vnum Baptisma.* quod adnotauit *Innoc. III. loco cit.* vbi & Symboli meminit infra Octauam Epiphaniæ recitandi.

o *In Cœna Domini.*] *Innocen. III. loco cit.* quia, inquit, ad Eucharistiam respicit illud, *Sanctorum Communio- nem:* quod quamuis non legatur in Symbolo Missæ Constantinopolita- no, puto contineri tamen in eo eius- dem verbo, *Vnum Baptisma:* per quod vna est Sanctorum generatio, & per Eucharistiam deinde, quæ lac dicitur *1. Petr. 2.* vna lactatio, & nutritio; vel in eo verbo, *vnam sanctam Ecclesiam, Catholicam, & Apostolicam,* vt explicat *Durand. lib. 4. cap. 25.*

p *In Paschate Resurrectionis.*] *Radulph. & Innocen. locis citatis.* & ratio patet, quia de Resurrectione Domini in Symbolo fit commemoratio.

q *In Ascensione Domini.*] Quia Fe- stum Domini, *Microlog.* & habetur articulus, *Innocentius III.*

r *In Pentecoste.*] *Radulph. supra.* quia dicitur, *Credo in Spiritum san- ctum.* vt ait *Innocentius III.*

[*In Festo Corporis Christi.*] Ratione supra allata de Cœna Domini. Urbanus IV. instituit.

t *In omnibus Festis B. Mariæ.*] *Microl. cap. 46.* quia de ea in Symbolo, *Innocen. III.* qui tamen mentionem facit Octauæ tantum Assumptionis beatæ Virginis, non Octauæ Natiuitatis eiusdem.

u *In Festis duodecim Apostolorum.*] De Apostolis *Microl. loco citato*, quia Symboli Auctores. & quia dicitur in Symbolo, *Apostolicam Ecclesiam*; quod habet *Durand. lib. 4. cap. 25.* Euangelistæ censentur Apostolici viri, & Symbolum in eorum Festis dicebatur, teste *Durando ibidem.*

x *In vtraque Cathedra, &c.*] *Microl. loco citato.* & ratio patet, ex titulo Apostolico, de septem his Festis.

y *In Festis Inventionis, &c.*] *Microl. ibid.* de his duobus Festis. & de Cruce fit mentio in Symbolo: *Crucifixus etiam pro nobis.*

z *In Transfiguratione Domini.*] *Durand. ibidem tradit.* Festum Christi est. Non ergo renueret *Microl. nec Innocentius III.* quorum temporibus hoc Festum desiderabatur.

a *In Festis Angelorum.*] *Innoc. III. loco cit.* docet, & ea ratione; quia cum dicimus, *Creatorem cali & terra*, intelligimus Deum Creatorem Angelicæ naturæ & humanæ. In Symbolo Missæ expressè dicitur, *& inuisibilium*, hoc est, Angelorum. A Damaso decretum fuisse Symbolum in Festis Angelorum, scribit *Crassus lib. 2. cap. 30. in suo Cerimoniali.*

b *Sancta Maria Magdalena.*] Fauct *Innoc. III.* quia in Christi Resurrectione ea fuit Apostolorum Apostola.

c *Quatuor Doctorum.*] Ea ratio esse potest, quia ipsi docuere populos, &

explicarunt Symboli mysteria. eo verbo quoque fortasse significantur, *Catholicam Ecclesiam*: argumento simili sumpto à Durando supra in verbo, *Apostolicam*, pro Apostolis. Et in Festis quidem quatuor Doctorum Latinorum dici testatur *Burchardus*; imò dicitur etiam fuisse decretum à Gregorio XI. & Urbano VI. in alijs Græcorum, & S. Thomæ, iussit Pius V. sicut & Sixtus V. illud addidit Festo sancti Bonauenturæ.

d *Octauarum S. Ioannis Baptista, &c.*] Ita *Innocen. III.* sed ea, inquit, de causa, quia veniunt infra Octauas Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis beatæ Virginis. vnde & Præfationes dicuntur de Apostolis, & de beata Virgine. Qua ratione dicitur etiam Symbolum in eorum Festis, si occurrant infra Octauas alicuius Patroni loci, seu Tituli Ecclesiæ, licet de Octaua nulla fiat Commemoratio in prædictis Festis.

e *Omnium Sanctorum.*] *Microl. loco citato.* & ratio est, quia in hoc Festo veneramur B. Virginem, Apostolos, & alios; quibus congruit recitatio Symboli. *Innoc.* putat hoc Festum esse Dedicationis Ecclesiæ Omnium Sanctorum, de qua statim.

f *In Dedicacionibus.*] *Microl. loco cit.* addit & causam *Innocen.* quia in Symbolo dicitur, *Sanctam Ecclesiam*: & valet in quatuor his festiuis casibus Ecclesiarum.

g *Quibus dedicata est Ecclesia.*] Scribit *Durand. lib. 4. cap. 25.* hoc fuisse in vsu apud quosdam. Neque dicas, hanc Rubricam esse eandem cum inferiori, de Titulo Ecclesiæ; quia dantur Tituli Ecclesiarum, qui non sunt Sanctorum, sed Sancti Sanctorum, vt Saluatoris, S. Crucis, & huiusmodi.

h Ha-

h *Habetur corpus, &c.*] Symboli recitatio cum sit nobiliorum Festorum propria, videtur addere solemnitatem Missæ, in qua illud, præter supradictos dies, recitatur; & idcirco extenditur ad præsentem & sequentes casus in Rubrica descriptos. In Translatione verò Sanctorum non dicerem Symbolum, nisi Officium sit Duplex, quod Translationi principalis tantum Patroni concedere solet sacra Rituum Congregatio.

Quæ verò sit insignis reliquia Sancti, ratione cuius dici queat *Credo* in Missa; eam esse ne dubites, ratione cuius Officium Duplex recitari potest. Gregorius enim XIII. anno 1573. concessit Ecclesijs Hispaniarum, ut possint facere Officium Duplex de Sancto, cuius habetur caput, brachium, crus, quibus sacra Rituum Congregatio die 8. Aprilis 1628. tamquam insignem reliquiam, addidit eam partem corporis, in qua passus est Martyr, modò sit integra, & non pauca. Quòd si corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, à fortiori Symbolum in Missa recitari debet. Prædicta verò intellige de Reliquijs approbatis, ut declaravit eadem sacra Congregatio die 3. Junij 1617. & prædicta die 8. Aprilis 1628.

i *Creationis, &c.*] Etiã in tribus his casibus; quia Dominus Apostolicus nominatur in Litanijs, caput est Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, de qua in Symbolo: & in Collectis pares sunt illæ duæ, pro Ecclesia, & pro Papa; quæ cum alternatiua, ad libitum Sacerdotis præscribuntur.

i *Electiois, &c.*] Si in consecratione Ecclesiarum, quãtò magis in consecratione Episcoporum? & pertinent Episcopi ad eum articulum, *Catholi-*

cam Ecclesiam. Audi Ambrosium in *Oratione de Obitu fratris sui:* Aduocauit Satyrus ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam; percunctatusq; ex eo est, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana conueniret Ecclesia. Denique Vicarij sunt Apostolorum, ut dicitur in *Ordine Romano, ex Conc. Nicano cap. 4. de Consecratione Episcopi.* In die Consecrationis Episcopi asserit dici Symbolum *Burchardus.*

m *Quæ in Dominicis.*] *Innoc. VII.* decreuit, dici *Credo* in Festis S. Ioannis Baptistæ, & S. Laurentij, quando veniunt in Dominicis, ut in *Breu. Veneto 1521. narratur.* & hac eadem ratione dicendum erit etiam Symbolum in Vigilijs Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ, & in Octaua SS. Innocentium, si venerint in Dominica, nimirum ratione Dominicæ. qui casus fuit omisus in Missali.

n *Patroni alicuius loci.*] Patronus & Titularis Ecclesiæ sunt quidem primæ classis, non idcirco tamen illis conuenit, ut dicatur *Credo*; quia non dicitur in Festo sancti Ioannis Baptistæ, quod est primæ classis: sed quia, cum locus fiat celebrior, concurrente populo ad Festum Patroni, seu Tituli Ecclesiæ, æquum est, ut sanctam fidem populus ibidem cum Clero conclamet, & profiteatur. Hinc dicitur *Credo* in Festo sancti Ioannis Baptistæ in propria Ecclesia, ob locum & concursum populi; & ob eundem concursum dicitur etiam in Missis Votiujs, quæ solemniter celebrantur pro re graui, de qua vide supra tit. 8. num. 4. Solus autem concursus populi non facit, ut legitimè dicatur *Credo*, ex Rubricis: alioquin in Ecclesijs ruralibus in omnibus Festis diceretur *Credo.*

In Vigilijs autem quæ veniunt infra Octavas, & habent Symbolum, non tamen dicitur Symbolum, sicuti neque Hymnus Angelicus; quod habetur in Missali, ex simili Rubrica, in Missâ Litaniarum maiorum in Festo sancti Marci. eadem enim est ratio in his Ferijs maioribus: imò à fortiori, si non in Rogationibus, ergo nec in Vigilijs, quibus illæ præstant.

De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone. XII.

Post Symbolum, vel si non sit dicendum, post Euangelium, o dicitur Dominus vobiscum, p Oremus, q deinde Offertorium: postea fit oblatio cum Orationibus, ut in Ordine Missæ. Qua oblatione facta, dicuntur r Orationes secreta, l secundum numerum Orationum quæ clara voce in principio dictæ sunt: sed ante primam Orationem non dicitur Dominus vobiscum, nec aliquid aliud, sed dicto, Suscipiat Dominus Sacrificium, absolute dicuntur. u neque etiam ante secundam Orationem dicitur Oremus. x Terminatur autem prima & ultima Oratio, ut dictum est supra in Rubrica de Orationibus: & secreto dicuntur vsque ad illa verba in conclusione, y Per omnia secula seculorum, quæ clara voce proferuntur, & incipitur Præfatio.

o Dicitur Dominus vobiscum.] Ordo Roman. & introitum demonstrat ad aliqd Officium, dum salutat Sacerdos operarios suos, Amalar. lib. 3. cap. 19. invitaturus quoque ad Orationem monet, nisi Dominus sit nobiscum, non posse nos orare, Innocentius III. lib. 1. cap. 53.

p Oremus.] Ordo item Rom. quo docemur, ut stabiles simus in fide, quam professi sumus in Symbolo, Steph. Eduen. de Sacram. Altar. cap. 12. vel precamur, ut voluntarium Sacrificium acceptabile sit Domino, nec despiciatur cum sacrificio Cain, Amalar. loco citato.

q Deinde Offertorium.] Ordo Romanus, & in Antiphon. sancti Gregorij nomen hoc habetur. Porro Offertorium, auctore Isidoro lib. 6. Etymol. cap. 19. quasi ob fertum. fertum enim dicitur oblatio, quæ in Altari offertur. Fertum, siue seretum, ait Festus,

genus libi dictum, quod crebrius ad Sacra ferebatur. Vel dicitur Offertorium, ab offerendo, quia tunc oblationes fiunt, Innocent. III. lib. 2. cap. 53. vel est offerentium Canticum, Gemm. anima lib. 1. c. 97. Offerendam vocat etiam Amalar. lib. 3. cap. 36.

Quis auctor? Cælestinus, ex Demochare Tom. 4. cap. 15. Eutychianus, ex Petro ab Opmeer de Off. Missæ. sanctus Gregorius, ex Gemma an. lib. 1. cap. 88. inclinauerat prior in hanc sententiam VValafrid. Strabo c. 22. Ordo sanè conueniens, inquit Innoc. supra: nam sequitur prædicationem Euangelij fides in corde, laus in Offertorio, fructus in Sacrificio. Addit Alcuin. cap. de Celebr. Missæ, ad imitationem populi Israël hoc fieri, qui oblationes & vota cum laude Deo offerre consueuerat.

r Orationes secreta.] Quia secreto dicuntur, Amalar. lib. 3. cap. 50. Ordo

do Romanus eas hoc nomine vocat. [*Secundum numerum Orationum.*] Habet Radulph. Prop. 23. & ante eum Beletb. cap. 43.

[*Non dicitur Dominus, &c.*] Iam enim dixit Sacerdos, *Dominus vobiscum, & Oremus*, ante Offertorium. quæ salutatio & inuitatio antiquitus erat ordinata ad Orationem secretam; & ante illam ab Offertorio nulla profus interponebatur Oratio, vt notat *Microl. cap. 11.* secundum vsus Romanum. Orationes enim, quæ nunc dicuntur in oblatione, habent originem à Gallicana Ecclesia, vt dicemus tit. 7. part. 2. *Rubricarum generalium*, vbi de ipsa oblatione.

[*u Neque dicitur Oremus.*] Burchardum quia dictum est ante Offertorium; tum quia eius vice proximè antè dicitur, *Orate fratres*; tum quia (&

hæc est magis propria ratio) Orationes secretò dicendæ sunt. Quis dicat ergo *Oremus*? an alta voce? inconcinna interruptio: an submissa voce? quos inuitamus non audientes. omittimus igitur conuenientiùs.

[*x Terminatur autem prima, &c.*] Burchard. iisdem de causis quibus supra *de Commemorationibus*, tit. 7. n. 7. & *de Oratione*, tit. 9.

[*y Per omnia secula seculorum.*] Non est hoc initium Præfationis, si propriè loquamur, sed finis Orationum. vult *Innoc. III. lib. 2. cap. 61.* esse finem Orationum, & esse principium Præfationis, vt ostendatur, ait, Christus lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, propeque passionem Iudæos continens, & Gentiles, qui per Philip-pum adierunt Iesum, *Ioan. 12.* sed de nomine videtur quæstio.

2^z Præfationes autem dicuntur vt in Ordine Missæ annotatū est: & ^a quæ in Quadragesima, Tempore Passionis, ^b & Paschali, & infra Octauas propriæ assignantur, dicuntur etiam ^c in Dominicis & Festis quæ illis temporibus celebrantur: nisi illa Festa propriam Præfationē habeant.

[*z Præfationes.*] Hoc est, Prælocutiones ante Canonem, *Alcuin. de Celebratione Missæ.* Originem habent ab Ecclesiæ primordijs, ex *Clem. lib. 8. Const. Apost. cap. 16.* Dionysium auctorem facit *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 89.* & Leonem Papam, *ibid.* Præfationis communis auctorem Gelasium dicit *Alcuin. loco citato.* aut cantari iussit, vt ait *Gemma*, aut fortè limauit: quæ tamen habetur in Liturgia S. Petri Græca.

Novem Præfationes enumerat vt antiquas, & approbat Pelagius Papa II. *Epist. 4.* nimirum, Paschalem, de Ascensione Domini, de Pentecoste, & de Natali Domini (quæ dicitur

etiam in Missa de Sacramento Altaris, ex *Radulph. loc. cit.*) de Epiphania, de Apostolis, de Sancta Trinitate, de Cruce, de Ieiunio Quadragesimali, *Sigeber. de Pelagio ad annū Dom. 581.* & *can. Inuenimus. de Consecr. Dist. 1.* & hoc fortasse ordine compositæ fuerunt. nam ordine temporis positæ sunt in Missali, quo eas cantari contingit. His, teste *Radul. ibidem*, addidit decimam de beata Virgine Maria *Urbanus II. in Concilio Placentiæ celebrato anno 1095. ex Baron. vel ex Bellarm. lib. 2. de Miss. c. 17. anno 1080.* & habetur *can. Sanctorum. §. final. Dist. 70.* Angeli verò omnes in Præfatione nominantur implicite in verbo *Virgines*,

ex *Alcuin. loco citato*; quia Dominus Virtutum, id est Angelorum, ipse est Rex gloriæ, *Psalm. 23.* ideoque nominantur paulò ante consecrationem, quia creduntur Sacrificio adesse, *Microl. cap. 11.*

Sursum corda, de Ieremia sumptum est. Legit *Clem. Const. lib. 8. cap. 16.* *Sursum mentem*. ex quo datur intelligi, *corda* esse casus accusatiui. *Gratias agamus*, de Apostolo, *Radul. loco citato.* *Beata Seraphim*, *Alcuinus* legit *Seraphim*, & vult esse plurale generis neutrius, *Seraphim* autem esse generis masculini; illud ab Hebræis, hoc à Græcis deriuare. Sed fallitur; quia in Liturgia S. Petri legitur *Seraphim* per m, generis neutrius. Miror Caroli Magni magistrum hæc minutiora persequi; sed minima Dei maxima sunt, & maximè obseruanda. Pleniorẽ Præfationis declarationem lege apud *Duran. lib. 2. cap. 31.*

Concluditur Præfatio Hymno trifragio, seu Angelico, quem *Victoriam* *Liturgia S. Petri*, *Triumphalem SS. Iacobus & Marcus in Liturgijs*, *Cherubicum S. Germanus in Theoria*, *Alcuinus Primæuum*, vocant. Et quamuis vulgò huius Hymni, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. feratur auctor sanctus Sixtus; hic quidem Decreto firmavit, vt, Sacerdote incipiente, populus prosequeretur; sed antea erat in vsu in Liturgijs prædictis. & meminit *Clemens libro 8. Constitut. c. 16.* desumptus autem est partim ab *Isaia 6.* partim ab *Euangelio Matt. 21.* in quo Trinitas adoratur in vnitæte; & benedicatur incarnatio Verbi, quod venit in nomine Domini. Addidit sanctus Ignatius illud, *Benedictus qui venit*, &c. si credimus *Remigio Antistodorense in expositione Missæ.* Bis dicitur

Hosanna, id est, Salua quæso, ab antiquis temporibus, *Ordo Romanus.* semel Angelorum nomine, semel nostro; quia Hymnus hic partim ab Angelis, partim ab hominibus concinitur, vt per Christum immolatum genus humanum sociatum fuisse Angelis fateamur, *Gemma cap. 42. lib. 1.* Concilium autem Valense *can. 6.* statuit, vt diceretur in omnibus Missis, etiam Defunctorum.

a *Quæ in Quadragesima.*] Etiam in Ferijs Præfationem Dominicæ dicitur scribit *Microl. cap. 50.*

b *Et Paschali.*] Eandem recitari Præfationem vsque ad Ascensionem, tradit *Microl. cap. 55.*

c *In Dominicis & Festis, &c.*] Generale est Præfationum, vt eorũ temporibus & diebus in omni Missa continentur, vbi propria non habentur, *Radulph. Propos. 23.* per quod patet ratio sequentium Rubricarum *num. 3. & 4.* Excipe Festum sancti Ioannis Evangelistæ, cui datur Præfatio de Natiuitate ex antiquo vsu Cappellæ Papalis, licet habeat Præfationem propriam; & item diem Octauam sancti Ioannis, quæ est infra Octauam sancti Ioannis, in qua dicitur Præfatio de Natiuitate, in gratiam eiusdem Natiuitatis.

Excipe quoque Missam de Feria priuilegiata, vt *Litaniarum Maiorum* in Festo S. Marci, ex Rubrica propria; & Missam Feriæ quartæ Temporum occurrentem in Octaua Natiuitatis beatæ Virginis, in quibus dicitur Præfatio communis. ita sacra Rituum Congregatio die 12. Decembris 1626. & à simili Missam Vigiliæ S. Ioannis, seu Apostolorũ infra Octauam Corporis Christi, seu in die Octaua: & ratio est, quia prædictæ Missæ sunt Feriales; in quibus dissonaret cantus sc̄m̄nis Præfa-

Præfationis, puta, de Corpore Christi (Ferialis cantus non habetur eiusdem in Missali) & ideò, sicut in Missa solemni Præfatio communis non potest non cantari; ita etiam in Missa priuata de Vigilia communis Præfatio recitari debet. Præterea congruit commu-

nicatio Præfationum festiuarum alijs Festis, & Votiuus (quæ aliqualem habent rationem Festi) non autem Ferijs, & Vigilijs: vnde de ijs in seq. num. 3. & 4. regula datur; de his nihil in Rubricis: nihil, inquam; vt non dicas esse casum omissum.

3 Si infra Octauam alicuius Festi, quod habet Præfationem propriam, occurrat Festum ex maioribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octaua, quamuis de ea nulla fiat commemoratio in Missa.

4 In Missis Votiuus dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant: si vero non habuerint, dicitur Præfatio de Tempore, vel Octaua, infra quam contigerit huiusmodi Missas celebrari: alioquin Præfatio communis. Et quando aliqua Missa Votiuus pro causa publica solemniter celebratur, dicitur ^d in cantu solemni, vt in Duplicibus. In Missis Defunctorum quocumque tempore semper dicitur Præfatio communis.

^d In cantu solemni.] Qui nimirum assignatur Festis Spiritus sancti, Trinitatis, sanctæ Crucis, sanctæ Mariæ, &c. demptis verbis quæ non congruunt votiuæ Missæ, vt, in Præfatione solemni de Spiritu sancto, omit-tenda sunt ea verba in cantu, ho-dierna die, quæ conueniunt tantum

Festo Pentecostes, non Votiuæ Missæ. Monendum hoc loco, Votiuas Missas infra Octauam Natiuitatis Domini non habere aliam Præfationem, quàm de Natiuitate, sicut & Festum S. Ioannis, argumento à fortiori: & item, quòd Præfatio de tempore, & de die, idem sonat in hac Rubrica.

5 Post Præfationem incipitur ^e Canon Missæ secreto; in quo seruentur omnia vt in Ordine Missæ. Vbi verò ^f infra actionem, & Communicantes, & Hanc igitur, vel alia, variari contingit, suo loco in proprijs Missis adnotatur.

^e Canon.] Id est Regula. Canon vox vsurpata à sancto Gregorio lib. 11. Epist. 16. qui & Precem nominauit lib. 7. Epist. 63. Regulam vocat Ecclesiasticam Ambros. in Epist. ad Timoth. cap. 2. Legitimum, Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. Secretum, Basilii de Spiritu sancto cap. 27. Ordinem precum, Isidor. 1. de Diuinis Officijs cap. 15. & à Dionys. loco citato dicitur Actio, quia ex VValafr. cap. 22. in ea

actione est legitimus Ordo, & Regula fixa & stabilis ad Sacramenta conficienda. Auctor illius nescitur. antiquior est Ordine Romano, in quo habetur Canon, vt iam vsitatus; & in Liturgia sancti Petri totus habetur, sed partim auctus, saltem Sanctorum nominibus, post mortem Petri. Antiquior est omni memoria, inquit Belarmin. mox citan. loco. & quia nulla ibidem fit mentio Confessorum, pro-

bat idem *lib. 2. de Missa cap. 20.* fuisse finitum totum ante Concilium Maguntiacum, in quo Festa Confessorum habentur. Putat *Innoc. III. lib. 3. c. 10.* finitum ante S. Siluestrum. Tamen vltimus, qui addidit Canoni, fuit S. Gregorius, vt dicemus: à quo, *loco citato*, dicitur fuisse à Scholastico compositus. quem putant esse Gelasium doctri- na clarissimum, *Innoc. III. lib. 3. c. 10. & Honor. in Gemma an. lib. 1. cap. 90.* De Musæo Massiliensi dubitat *Pamelius in Liturgys*, qui Scholastico sermone scripsit librum Sacramentorum circa annum 490. Vel de Victoriano Voconio Mauritanæ Episcopo, qui composuit Sacramentorum volumen, & vixit inter tempora SS. Hieronymi, & Gregorij Papæ. Sed sicuti verè compositus fuit à pluribus, ex Domini verbis; ex Apostolorum traditionibus, & sanctorum Pontificum institutionibus, iuxta Concilium Tridentinum *Sessione 22. cap. 4.* ita pars eiusdem antiquior est altera, vt patebit ex auctori- bus singularum partium, de quibus in II. Parte Rubricarum generalium *titulo VIII. & seq.* agemus commodius.

f *Infra actionem.*] Hoc est Canonem, ob rationem supra allatam.

g *Communicantes*, &c.] Varietas hæc habetur in libro Sacramentorum S. Gregorij. *Microlog. cap. 12.* hæc habet: In summis Festiuitatibus quædam Canoni in illo loco, vbi dicitur, *Communicantes*, vel, *Hanc igitur oblatio-*

nem, interponimus; quæ tamen ex antiquioribus & emendationibus Sacramentarijs interponenda esse didicimus; videlicet in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Cæna, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste. quæ tanè cum nostris Missalibus cõcordant. Dantur autem casus, quòd separari debeat *Communicantes* à sua Præfatione; nam in fra Octauam Ascensionis, si occurrat Festum sanctorum Philippi & Iacobi, Præfatio erit de Apostolis, *Communicantes* de Ascensione, licet in Missa nulla fiat commemoratio; idemque acci- dere potest in Inuentione S. Crucis, & in Missis solemnibus Votiujs, quæ dicuntur infra eandem Octauam, & habent Præfationem propriam.

Ratio verò est, quia *Communicantes* habet infra illam Octauam quasi rationem de tempore; sicut haberet etiam Præfatio de Octaua in prædictis Festis, si propriam Præfationem non haberent, vt dicitur in *titulo hoc eodem num. 3. & 4.* Et licet nulla fiat Com- memoratio de Octaua, dicitur tamen *Communicantes*, sicut in Officio dicitur ad Primam, & in fine Hymnorum in prædictis Festis,

Qui victor in calum redis.

Neque enim ideò vnitur *Communi- cantes* Præfationi, vt simul vel dicantur, vel omittantur; sed vt faciliùs vtrumque reperias. Atque ita decreuit tandem sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti 1627.

De Communione, Orationibus post Communionem,
Ite missa est, vel, Benedicamus Domino, de Bene-
dictione, & Euangelio S. Ioannis. XIII.

1 **E**xpleto Canone, & alijs omnibus vsque ad Communionem, ea per-
acta dicitur ^h Communio, & ⁱ Orationes post Communionem, eo-
dem

dem modo & ordine vt in principio Missæ: & repetito Dominus vobiscum, dicitur, ^l *Ite missa est, vel, Benedicamus Domino, pro temporis ratione. Ite missa est, dicitur* ^m *quandocumque dictum est, Gloria in excelsis. Cùm non dicitur, eius loco dicitur, Benedicamus Domino. Respondetur,* ⁿ *Deo gratias. In Missis Defunctorum dicitur,* ^o *Requiescant in pace. Respondetur, Amen.*

^h *Communio.] De hac Ordo Romanus, & Antiphonar. Gregor. & cantabatur, dum populus communicabatur. tradit Rupert. lib. 2. cap. 18. solitam dici post cibum salutarem, in gratiarum actionem. Cælestino Demochares Tom. 4. cap. 15. Gregorio tribuunt auctori Gemm. lib. 1. cap. 90. & Hugo Victor. de Eccles. Offic. lib. 2. cap. 11. Deducit hunc ritum S. Thom. 3. par. quest. 83. art. 4. ab Hymno dicto à Christo & Apostolis post cœnam. Nunc cantari debet post Agnus Dei immediatè; nisi fiat populi Communio, ad quam ea cantatur.*

ⁱ *Orationes post Communionem.] Idem docet Microl. cap. 19. quas Orationes Collectas etiam vocat Ordo Romanus. Ad compleendum, titulus earum est in Sacrament. Gregoriano. Benedictiones appellat VValafr. loc. citato. quæ pro communicatis dicebantur; neque alia tunc in fine benedictio dabatur populo, Microl. cap. 21.*

^l *Ite missa est, &c.] A Leone institutum fuisse scribit Radulph. Prop. ult. quod tamen habetur in Liturgia sancti Petri, & expressiùs in Constit. Apost. lib. 8. cap. 23. & quidem in Festis, concurrente populo, dimittitur ille solemniter, nisi tristitia temporis insinuanda sit, vt in Dominicis Quadragesimæ, & eiusmodi. in ferialibus au-*

tem, vbi deuotiorum est accessus ad Missam, ij sunt potiùs detinendi in diuinis benedictionibus, Microl. c. 46. sed Clemens vtitur ijs verbis, Ite in pace. A Christo deducit hunc ritum Vualdensis Tom. 3. tit. 4. cap. 44. num. 7. qui in fine cœnæ dixit: Surgite, eamus hinc.

^m *Quandocumque dictum est, Gloria.] Docet Microl. cap. 19. & 46. solemnis autem est dimissio, ait Rupert. lib. 2. cap. 20. & gaudium sonat commune Hymno Angelico, & Cantico, Te Deum; vnde se inuicè consequuntur, sicut cantus Angelorum & iter Pastorum ad Christum, Duran. l. 7. c. 1.*

ⁿ *Deo gratias.] Hoc loco vlturpari innuit Dion. cap. 3. Eccl. Hierarch. ijs verbis: In gratiarum actionem sacram definit, cum omni Ecclesiæ sacra plenitudine. August. etiam Epist. 59. ad Paulinum: Participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludit. quod Amalar. lib. 1. cap. 34. de hoc ritu declarat.*

^o *Requiescant in pace.] Explicat Duran. lib. 4. cap. 47. vt requies concedatur, quam eis optamus. Sed antea meminit huius ritus Steph. Eduens. de Sac. Alt. cap. 18.*

Dicitur autem hoc loco semper in plurali numero, licet pro vno dicatur Missa.

² *Dicto P Placeat, datur q Benedictio, qua à Celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis Defunctorum. Deinde legitur ¹ Euangelium*

lium S. Ioannis, In principio, premissio Dominus vobiscum, & Initium, ut moris est: quod Euangelium numquam pratermittitur in Missa, nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica, vel Feria qua habet Euangelium proprium: quod legitur eius loco. Excipitur Dominica quarta Aduentus, cuius Euangelium non legitur in fine Missae, quando in ea occurrit Vigilia Natiuitatis Domini, quia nec in Officio lectum est. ^l In tertia Missa de die Natiuitatis Domini legitur in fine Euangelium de Epiphania, Cum natus esset Iesus. Et in Dominica Palmarum in Missis priuatis legitur Euangelium quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigilijs qua occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur ^r Euangelium Vigiliae in fine Missae. Et similiter ^u in Missis Votiujs numquam legitur in fine aliud Euangelium, nisi S. Ioannis:

p Placeat.] Huius meminit *Microlog. cap. 22.* quamquam post datam benedictionem.

q Benedictio.] De hac à Sacerdote hoc loco danda indicium est in *Liturgia S. Petri, & in lib. 8. Const. Apost. cap. 23.* expressè de ea scribit *Hier. ad Rusticum Narbonensem Episcopum*, cuius verba de benedictione hac explicat *Microlog. cap. 21.* qui & addit causam; vt, qui non communicatus discedit, saltem benedictus à Sacerdote recedat. habetur etiam de *Conf. Dist. 1. Cum ad celebrandum. ex Conc. Aurelian. I. cap. 28. & Agathen. cap. 47. ead. Dist. Missas.*

r Euangelium sancti Ioannis.] In Liturgia S. Petri habentur hæc verba in fine, *Deinde plenitudo legis, & Prophetarum.* legebatur ergo aliquid. Et *Lindanus* citat Liturgiam S. Simeonis Syracusani ante annum 800. in cuius fine Lectio iubebatur. Apud quosdam Lectio Euangelij S. Ioannis fuit in vsu, ex *Durand. lib. 4. cap. 24. & ex cap. Quidam. de Celebrat. Miss. tum in Conc. Salegunst. tit. de Suffrag. cap. 22.* Additum ergo deuud est, quoad om-

nes, & *Burchard.* habet: vt diuinitatis & humanitatis Christi quasi circulari sigillo factò, vt opinor, toti Sacrificio extremam manum imponamus, & vt tanti beneficij iugiter recordemur, ait *Suarez p. 3. disp. 8. sect. 1.* Eius loco legitur Euangelium, quod in Officio lectum est pro nona Lectione, vt Missa concordet cum Officio; & nullum Euangelium in Missali positum pratermittatur, quin aliquo modo publicetur populo in Missa, saltem per modum commemorationis in fine Missae. Item, si quis fortasse primò Euangelium non audierit, in fine saltem Missae audire poterit alterum, ait *Suar. loco citat.* Ex his autem ratio patet Rubricarum sequentium de Dominica quarta Aduentus, cuius Euangelium non modò non lectum est in Officio Vigiliae Natiuitatis Domini, sed & sufficienter lectum est pridie in Missa Sabbati Quatuor Temporum.

[In tertia Missa Natiuitatis Domini.] Ne in eadem Missa legatur bis idem Euangelium, legitur illud Epiphaniae; quod & conuenit Natiuitati Christi, & in fine occasione præbet

bet adorandi cum genuflexione, vti ad ea verba, *Et Verbum caro factum est*; quando nimirum dicitur, *Et proidentes adorauerunt eum.*

t *Euangelium Vigiliæ.*] Quia nec in Officio lectum est, ideo neque legitur in fine Missæ.

u *In Missis Votiuæ.*] Quia Votiuæ discordant ab Officio, cuius Euangelium vel nobiliori loco in Missa le-

gendum est, vel omittendum; ideo semper in ijs legitur Euangelium S. Ioannis.

Dicitur etiam Euangelium S. Ioannis in fine Missæ de Festo, in qua nulla fit commemoratio Feriæ privilegiatæ, vt in tit. 7. num. 2. quando scilicet dicuntur duæ Missæ, de Festo, & de Feria, sine vtrorumque commemoratione.

De ordinanda Missa ex supradictis Rubricis. XIV.

Supradictis Rubricis cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore, vel de Sanctis, secundum qualitatem Officij. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum sit, & propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominica, omittis Gloria in excelsis, & Symbolo: præterquam Tempore Paschali, in quo semper dicitur Gloria in excelsis, vt supra, excepta Missa Rogationum: & in Aduentu x præmittitur Alleluia post Graduale, cum suo Versu. Si dicenda sit Missa Votiuæ, requiratur post Commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicende sint, requirantur post Missas Votiuas, suo loco de singulis rebus singula. Si pro Defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas Votiuas, cum Collectis diuersis, circa finem Missalis. Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone, & alijs dicendis, habetur suo loco, cum Proprio Missarum de Tempore.

EX his colligitur, ordo Missalis quam optimè institutus sit; in quo primùm habentur Missæ de Tempore, ab Aduentu ad Pascha, à Paschate ad Aduentum: & hæc sunt Missæ, vt ita dicam, de Vita Christi per annum distributæ. Deinde Missæ de Sanctis, ab Aduentu item ad Aduentum, siue finem Nouembris, & hæc sunt Propriæ. Tum communes de iisdem. Quarto loco Votiuæ, & pro vatijs necessitatibus. Postremo loco pro Defunctis, qui extremum in pace clauferrunt diem. Canon verò medium Missalis iu occupat locum cum Ordi-

ne Missæ, qui communis est omnibus Missis.

x *Præmittitur Alleluia.*] Feriæ Aduentus sunt quasi Vigiliæ summæ Festiuitatis Natalis Domini, & in iisdem erat ieiunium, vt dicemus tit. seq. ad mærorem repræsentandum sanctorum Patrum expectantium Messiam. Quare sicut in Vigilijs, & alijs ieiuniorum diebus, ex *Alcum. de Din. Offic. cap. de Parasceue*, omittimus festiuissimum Alleluaticum melos, ita & in Ferijs Aduentus. Repete ea quæ diximus supra tit. 10. ad num. 4.

Acci-

E.
Ordo Missarum
inter se.

Accidit aliquando obstinatè peti ab aliquibus Missam celebrari de Sancto infra eiusdem Octauam, sed in die, in quo fit Officium de alio Sancto Semiduplici cum commemoratione Octauæ; puta, exigunt Missam de S. Ioanne Baptista in Festo S. Leonis II. seu Missam S. Antonij Patauini infra eiusdem Octauam, & sæpè infra Octauam Corporis Christi; seu Missam de B. Virgine in Festo S. Nicolai Tolentini, & similes Missas: quo ritu hæc Missæ celebrabuntur: neque enim à Rubricis Votiuæ Missæ prohibentur dici infra præfatas Octauas, neque in Festis prædictis Semiduplicibus: at neque meræ Votiuæ eæ videntur esse, ratione propriæ Octauæ, infra quam eæ peruntur dici. Multis autem hac de re à me quærentibus respondi, saluo

meliori iudicio, & S. Rituum Congregationis arbitrio, Festiuas eas non esse, quia Horis Canonicis non correspondent: & Votiuas esse ex hoc potissimum capite, quia non correspondent Officio, quæ est Votiuarum nota, in tit. seq. 15. num. 5. tum quia supponimus, infra Octauas proprias eas occurrere, transacto Festo. Et licet Octaua tota reputetur vnus & idem dies Festus, vnde & Missa Festi repetitur per totam Octauam; tamen id locum habet, quando perseverat Officium de Octaua simul cum Missa, secùs, si discordat Missa ab Officio. Posito igitur, quòd eæ sint Votiuæ potius quàm Festiuæ, ritum Votiuarum in ijs obseruarem, si obstinatè exigantur, aut si negari non possint sine petentis offensione.

De Hora celebrandi Missam. XV.

Missa priuata saltem post Matutinum & Laudes, quacumque hora & ab aurora vsque ad meridiem dici potest.

y Ab aurora vsque ad meridiem.]
Nempe in luce, quia ex S. Thoma 3. par. quæst. 83. artic. 2. ad 4. Christus ait, Me oportet operari, donec dies est, Ioan. 9. addit Suar. disp. 80. sect. 4. nec ante auroram regulariter ad opus publicum conueniri, nec post meridiem ieiunium protrahi: vbi etiam concedit horam cum dimidia ante ortum Solis, ex causa. Tertiam partem horæ ante auroram, vel post meridiem, esse notabilem partem, & sufficientem ad lethale peccatum, docet Azor. lib. 10. cap. 25. quæst. 6. minor quàm tertia pars horæ excusat à lethali, ex Soto 4. Distin. 14. quæst. 2. artic. 2. concedit Nauar. in Man. cap. 25. num. 85. & alibi,

celebrari posse ex causa rationabili post meridiem; contra quem cum communi opinione scripsit Francol. Tractat. de Tempore Hor. Canonic. 1. par. cap. 41. iusta verò causa esse potest, post Missam solemnem tardiùs cantatam in Festis, vel post concionem longiorem, addit Suar. vt fiat de licentia Episcopi, si commodè haberi potest.

Priuilegiati, vt hora ante vel post celebrare queant, poterunt hora ante, vel post statam horam à Summistis regulariter concessam, celebrare; aliàs non esset priuilegium.

Varijs igitur horis celebrari priuatim potest, quia fit in Missa memoria Passionis, quæ accidit manè; Mortis, quæ

quæ hora nona; Resurrectionis, quæ tertia, vel sexta contigisse creditur, item manè; & Ascensionis, quæ hora Durandus lib. 4. cap. 1.

2 Missa autem Conuentualis, & Solemnis, sequenti ordine dici debet. In Festis Duplicibus & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra octauas, dicta^z in Choro^a Hora Tertia. In Festis Simplicibus & Perijs per annum, dicta Sexta. In Aduentu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octauam Pentecostes, & Vigilijs quæ ieiunantur, quamuis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari^c post Nonam.

Missâ solemnem semper dicitur post aliquam Horam, etiam in nocte Natiuitatis Domini, vt Horæ Canonicae sint quasi quædam ad Missam præparatio, Francol. 1. p. cap. 38. & post varias Horas, vt maiori præparatione, minorive, pro Missarum varietate, seu dierum, fiat Missa.

Hoc loco notandum est, quòd Missâ Parochialis sine cantu est priuata, non Conuentualis, de qua in his Rubricis, licet ad eam conueniat populus, seu loci Clerus. quo posito, multa facilè definire poteris circa Rubricas Missalis.

^z In Choro.] Presbyterium dicitur in Epist. SS. Cornely & Cypr. Sanctuarium Altaris, in Concl. Braccaren. I. num. 31. Sancta Sanctorum, in Turon. II. c. 4. Chorus, in Tolet. IV. n. 17. hoc est, consensio cantantium, ex Augustino in Psal. 149. vnde & Corona dicitur ab Isid. lib. 1. de Offic. cap. 3. quia in modum coronæ, ait Amal. lib. 3. cap. 3. A chorea deducit Gemma lib. 1. cap. 139. Græca vox significat lætitiâ, in Platone 2. de Leg.

^a Hora Tertia.] Non ante Horam Tertiam cantari Missam iussit Thelephorus, ex Amal. lib. 3. c. 42. de Conf. Dist. 1. Noctæ. & ibid. cap. Et hoc. & de solemnem intellexit Duran. loco citato. S. Cassius Narniensis Episcopus hac eadem Hora celebrare consuevit, lau-

datuque de celo fuit, apud S. Gregor. in Dialogis. in Festis autem Hora Tertia obseruatur, ea fortasse ratione, inquit Amalar. quia ea hora Christus ascendit in Crucem, apud Marc. c. 15. hoc est, linguis Iudæorum clamantium, Crucifige; vel, ex Microl. c. 58. quia inter reliquas passionis Christi horas, tertia Resurrectioni Domini, siue Natiuitati eiusdem propinquior esse videtur; vel, ex Radulph. Prop. ult. quia ea hora missus fuit Spiritus sanctus; vel, ex Conc. Aurelian. III. c. 11. vt faciliùs redire possint ad Vespertina Officia in Festis Sacerdotes præfertim, quibus eos non decet deesse; vel, ex August. apud Burchard. lib. 2. cap. 54. vt populus ante cibum conueniat, Missam & Concionem auditurus. Hinc ex Collec. Martini Braccar. c. 66. & habetur can. sin. Dist. 44. Tertia Hora dicitur Sacra, quia sacris Missarum solemnibus dicata: ab Italis Aurea, ex Alph. de Torres 3. par. cap. 4. num. 14.

Si propter terræ frigiditatem populus veniat tardius ad Ecclesiam pro Missâ solemnem, præstat differri tempus recitandi Horam Tertiam, quàm cantare Missam de Festo, seu Dominica post Sextam. ita censuit sacra Rituum Congregatio, referente Alcocer in suo Cerimoniali.

^b Dicta Sexta.] In profestis (cuius modi

G

modi sunt Festa Simplicia, & Feriæ) post Sextam, *Gemma anim. lib. 1. cap. 113.* quia, inquit, ea Christus manibus Gentilium crucifixus est, *Ioannis 19.* & quia in profectis, neque lætitia, neque luctus, sed quid medium videtur habere locum; lætitia in Festis Horam Tertiam requirit, luctus Nonam, *Francol. 1. par. de Temp. Hor. Can. cap. 29. num. 3.*

c *Post Nonam.*] In ieiunijs ita instituisse Pelagium, scribit *Duran. loco supra cit. & in cap. Solent. Distinct. 1. de Consecrat.* hoc idē iubetur. Horæ Nonæ meminit in *Quadragesima Ambr. Serm. 8. in Psal. 118. & Amal. lib. 1. cap. 7.* quia in ea, *Amal. ait lib. 3. c. 42.*

expiravit Dominus; & quia ad Vesperam ieiunabatur, *Microl. cap. 49.*

Item in Adventu: quia Adventus ferè æquiparatur Quadragesimæ, *Hugo Viët. lib. 3. de Spec. Miss. cap. 4. & 9.* In Adventu ieiunium erat, *Durand. lib. 6. cap. 1. de Adventu.* & de Romanis testatur *Radulph. Prop. 16.* imò & vniuersale ieiunium illud vocat *Raban. de Instit. Cler. lib. 2. cap. 22.* quod à sancto Perpetuo Turonensi Episcopo institutum fuit, ex *Gregor. Turon. lib. Hist. 10. cap. 31. & Conc. Matiscon. can. 6.* sanciuit in Ferijs II. IV. & VI. saltem obseruandum esse, cum quotidianum præcepisset Turonense II. *can. 13.*

3 *Missæ autem Defunctorum dici debet* ^d *post primam diem: ubi verò dicuntur eorum Vigilia manè post Matutinum diem, dictis huiusmodi Vigilijs cū Laudibus, immediatè dici potest Missa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum Missa Conuentualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die etiã Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniuersario Solemni, in quo sit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.*

d *Post primam diem.*] Properandum enim est in suffragijs Defunctorum: at in diebus alijs, de quibus in hoc numero, rectè post Nonam; tum quia

diseordat ab Officio; tum quia Hora Nona & ipse Christus emisit spiritum; tum quia Hora Nona mæroris est, vt in die ieiunij.

4 *Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conuentualem, Missæ e in Natiuitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito Te Deum laudamus in Matutino, secunda in aurora, dictis Laudibus & Prima, tertia verò in die post Tertiam, vel ubi aliter* ^e *ex dispensatione Apostolica disponatur.*

e *In Natiuitate Domini.*] De prima Missa in nocte extat Canon Thelesphori *de Consecrat. Dist. 1. Noctæ.* quia nocte natus est Christus. De secunda in aurora, *ibidem;* quia Pastores ea hora creduntur adorasse Christum natum. Plura in Rubrica de Natiuitate.

f *Ex dispensatione Apostolica.*] Intellige de concessa post Concilium Tridentinum, quod prohibet, ne alijs horis quam debitis Missæ celebrentur, *Sess. 22.* sublatis quibuscumque priuilegijs, vt declarauit sacra Congregatio super Concilium.

5 *Missæ*

5 *Missæ Votive, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa cum populi frequentia, dicantur post Nonam.*

Duplicem habes causam, discordandam tardiori Missæ interest, quasi suã ab Officio, & frequentia populi; qui ieiunio orationi publicæ vires addit.

De his quæ clara voce aut secretò dicenda sunt
in Missa. XVI.

1 **I**N Missa priuata clara voce dicuntur Antiphona, & Psalmus ad Introitum, Confessio, & quæ sequuntur, excepta Oratione, Aufer à nobis, & Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, &c. Item Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Leuate, Oratio, vel Orationes, Prophetia, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Euangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres, solum hæc duo verba, Prefatio, Nobis quoque peccatoribus, solum hæc tria verba. Item Per omnia secula seculorum, &c. cum Pater noster, Pax Domini, Agnus Dei, Domine non sum dignus, hæc quatuor verba tantum, Communio, Oratio, vel Orationes post Communionem, Humiliate capita vestra Deo, Ite missa est, vel Benedicamus Domino, vel Requiescant in pace, Benedictio, & Euangelium, In principio, vel aliud Euangelium, Alia omnia & dicuntur secretò.

Hæc eadem Burchard. Quæ hinc clara voce dicenda enumerantur, habent apertam causam, vt audiantur à populo. Speciales cuiusque causas enarrabimus, cum de iisdem singillatim infra suis locis agemus.

g *Dicuntur secretò.* De prece cum silentio in Missa Clem. lib. 8. Constit. Apost. cap. 12. Concil. Laodic. can. 19. Triden. Sess. 22. can. 5.

Causæ multæ. Primò, quia secretum mysterium est, Hugo Vict. Erud. Theolog. in Specul. Eccles. cap. 7. Secundò, quia significatur in hoc Sacrificio latere Sacrificia antiqua, Amalar. libro 3. cap. 19. Tertio, & è contra, hoc Sacrificium latuisse in antiquis, Gemmal. lib. 1. cap. 40. Quarto,

silentium Sacerdotis latibulum Christi indicat, Innocent. III. lib. 2. cap. 54. multoties enim latuit in vitæ suæ cursu Christus; vnde & in Missa multiplex silentium. Quintò, in Passione Christi discipuli non nisi occultè confitebantur Christum, S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 4. ad 6. Sextò, vt videatur Sacerdos loqui cum Deo, quo cum corde loquimur clamantes magis quàm ore. Septimò, ne populus tædio afficiatur, neque Sacerdos longo clamore voce deficiat, Gemma lib. 1. cap. 103. Postremò, ne ipsa verba, in Sacrificio potissima, assiduitate aurium vilescant, Alcuin. de Celebrat. Missæ. nam repetuntur in omni Missa, & memo-

riæ facile mandarentur. quod de Canone præsertim intellige: qui sine culpa graui non potest altè totus legi. Ita Doctores communiter.

2. *Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea quæ clara voce dicenda sunt, distinctè & appositè proferat, non admodum festinanter, vt aduertere possit quæ legit, nec nimis morosè, ne audientes tadio afficiat: neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, vt à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri & graui, quæ & deuotionem moueat, & audientibus ita sit accommodata, vt quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronuntiet, vt & ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur.*

Non eget commentario, sed monitione. Primum, ne clara voce dicantur ea prima verba, *Memento Domine famulorum*, &c. Secundò, ne secretas alias Orationes addat Celebrans, nisi ad summum quaedam iaculatorias, & breues, vt, *Adoramus*

te Christe, &c. quas concedit, seu tolerat sacra Concilij Tridentini Congregatio in *Declarat. ad Sessionem vigesimamsecundam*, dummodò præscriptæ in Missali non omitantur. Tertio, verba consecrationis secretè dicantur.

3. *In Missa solemnè clara voce à Celebrante dicuntur, quando intonatur Gloria in excelsis, & Credo, Dominus vobiscum, Oremus, ante Orationem, & Offertorium, Præfatio, Pater noster, Pax Domini, & Orationes post Communionem. Alia quæ in Missa priuata dicuntur clara voce, in Missa solemnè à Celebrante dicuntur submissa voce.*

His adde Orationes ante Epistolam, quæ item clara voce dicuntur. Chorus autem pro Celebrante cla-

ra voce, & item Ministri supplere videntur, quem ritum refert etiam *Burchardus*.

De ordine genuflectendi, sedendi, & standi in Missa priuata, & solemnè. XVII.

1. **I**N Missa priuata Sacerdos genuflectit quando legit Euangelium sancti Ioannis, In principio, ad illa verba, *Et verbum caro factum est; & in Euangelio Epiphaniæ, Cùm natus esset Iesus, ad verba illa, Et procidentes adorauerunt eum. Item in Euangelio Ferie quartæ post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa verba in fine, Et procidens adorauit eum. Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Missis de Cruce ad illa verba in Epistola, In nomine Iesu omne genu flectatur, &c. & quando legitur Passio, ad illa verba, expirauit, vel, emisit spiritum, vt suis locis notatur.*

Item

Item genuflectit cum dicit, *Flectamus genua*. Item quando in *Quadragesima* dicit in tractu *Vers. Adiuna nos Deus, &c.* & in omnibus *Missis de Spiritu sancto*, cum dicit *Vers. Veni sancte Spiritus, reple, &c.* Item quando *Sacramentum in Altari discoopertum* apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio *Altaris*: & quodcumque in *Ordine Missæ*, & in ritu seruando in *celebratione Missæ* notatur, quod debeat genuflectere.

Prima duo habet *Burchardus*.

Vltus genua flectendi ortum habet ab antiquis, & habetur expressè *3. Reg. cap. 8.* vt omittam gentiliarios ritus; tum à Christo, *Luc. 22.* à sancto Stephano, *Act. 7.* Finis illius duplex est, ad orandum, & ad adorandum: ille significatur à *S. Ambrosio lib. 6. Hexaëmeron cap. 9.* Flexibile genu, quo Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia promouetur. de hoc autem *Alcuin. cap. de Parasceue* ait: Per hunc habitum corporis mentis humilitatē ostendimus. & *Honorius in Gemma lib. 1. cap. 117.* Cadimus in terram, ait, vt Christum in carne adoremus; vt item memoremus, nos in Adamo cecidisse, & mole corporis grauari ingemiscamus; & vt lapsum animæ nostræ in vitia, dum corpore ad terram cadimus, pœnitendo fateamur. Vnde & *Raban. lib. 2. de Instit. Cler. cap. 41.* Inflexio genuum, inquit, pœnitentiæ & luctus est indicium. In *Liturgia sancti Petri*,

pœnitentiam facere, est genuflectere, vt ibi notat *Lindan.* Quare in primis quinque casibus huius Rubricæ quis non videat, adorationis ergo genuflecti? & item in duobus vltimis erga Spiritum sanctum, & sacrosanctam Eucharistiam. In sexto verò, ad *Flectamus genua* oratui genuflectimus; in septimo ad illa, *Adiuna nos*, cum Tractus idem sit ac luctus, vt docuimus *suprà tit. 10.* genuflectimus ad indicandum solemnem luctum, *Raban. vbi supra.*

Et quamuis Concilium Nicænum *Canone 20. in vulgatis exemplar. vel 29. apud Turrianum,* statuerit, non genuflectendum in Dominicis, neque tempore Paschali, sed à statibus orandum esse, ad significandam libertatem, vt ait *Ruper. lib. 8. cap. 3.* quam Christus sua Resurrectione nobis acquisiuit; tamen non prohibuit adorationes cum genuflexione, quod bene nota pro mox dicendis.

2 *Circumstantes autem in Missis priuatis semper genuflectunt, h etiam tempore Paschali, i præterquam dum legitur Euangelium.*

Eadem & *Burchardus.*

[*h Etiam tempore Paschali.*] Tam ad doctrinam in priuata Missa audiendam, quam ad Orationem & mysteria tremenda, titulo adorationis curuantur genua à populo in tota Missa: nisi dicamus, priuatam Missam audiri, sicut & priuatas fieri preces, etiam

tempore Paschali, genibus flexis. quo modo orauit sanctus Paulus in littore Tyri genibus positus, *Act. 20.* paulò ante Pentecosten. non enim ea fuit oratio solemnis, *iudice Lorino in eum textum.*

[*i Præterquam dum legitur Euangelium.*] *Anastasi Papæ Decreto de G. 3. Conf.*

Conf. Dist. 1. Apostolica. Sacerdotes, & ceteri omnes ad Euangelium stare debent, vt promptiores se ostendant ad credendum & obediendum Euangelio. Sed antiquior Clemens *lib. 2.*

Constit. Apost. cap. 61. testatur, Apostolos constituisse, vt etiam laici assurgant ad Euangelium. imò verò & capita nudabantur in *Ordine Romano*, quod & hodie obseruatur.

- 3 In Missa solemni Celebrans genuflectit ^k ad omnia supradicta, præterquam ad ^l *Flectamus genua*: & tunc ipse solus stat, Diaconus verò & Subdiaconus, & omnes alij genuflectunt. Ad Versum verò, ^m *Adiuua nos Deus*, &c. & ad Versum, *Veni sancte Spiritus*, &c. genuflectit vsque ad finem. Item genuflectit in die ⁿ *Annuntiationis beate Marie*, & in tribus Missis *Natiuitatis Domini*, etiam quando cantatur in Choro, *Et incarnatus est*, &c. Alijs diebus, si sedeat cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed ^o caput tantum profunde inclinat: p si non sedet, genuflectit.

^k *Ad omnia supradicta.*] Cùm priuatim legit, & iterum, quando publicè dicuntur: sicuti fit ad *v. Et incarnatus est*, &c. in Symbolo priuato & publico, si non sedet Celebrans.

^l *Flectamus genua.*] In Missa priuata ipsemet Sacerdos dicit *Flectamus*, & genuflectens exemplo suo docere debet alios. In solemni sufficit, vt Diaconus inuitans populum idem faciat. Sacerdos autem Deum orans regulariter stare debet, qui præ se fert personam Christi stantis, *Act. 7.* & orantis Patrem in cælis, *Amalar. lib. 4. cap. 4. & 7. Duran. lib. 5. cap. 5.*

^m *Adiuua nos Deus*, &c.] Quæres fortasse hoc loco: Cur in solemni Celebrans genuflectit vsque ad finem dictorum Versuum, qui in priuata Missa genuflectere iubetur non nisi ad prima verba? Respondeo, quòd in priuata debet Sacerdos commodè posse legere Versum in libro, & ideò sufficit, vt genuflectat ad prima verba: in solemni ea cantat Chorus, neque Celebrans est in alijs tunc occupatus. Genuflectit autem Celebrans ytroque

genu in medio Altaris, post lectum à se Euangelium. De Versu *Adiuua nos*, tradit hunc ritum in priuata Missa *Burchardus.*

ⁿ *Annuntiationis beate Marie*, &c.] Vt nimirum his diebus maiori cum veneratione adoretur Mysterium articuli & Festi propriissimum. Ante Radulphum Romani numquam ad hæc verba, *Et incarnatus est*, genuflectebant, *Prop. 23.* sed ritum tamen tradit huius genuflexionis in omnibus Missis *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 118.*

^o *Caput tantum profunde inclinat.*] Quia iam genuflectit, quando submissa voce cum ministris ad Altare Symbolum recitauit; caput autem inclinat apertum. Idem præstare debent ministri qui cum Celebrante sedent.

^p *Si non sedet, genuflectit.*] Scilicet in superioris Altaris gradu. Neque verò stare conuenit ad verba tantæ Filij Dei humilitatis: sedere potius conuenit quàm stare; quia sedendo, addita capitis profunda inclinatione, contrahitur & minoratur homo.

4 *Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, præterquam ¶ Subdiaconus tenens librum ad Euangelium, & Acolythy tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quæ est genuflectendum, ¶ ipse versus librum, Celebrans & omnes alij versus Altare genuflectunt.*

¶ *Subdiaconus, &c.*] In hoc casu se gerunt, ac si ille marmoreum esset legibile, & Acolythy marmorea candelabra; neque textus Evangelicus demitti debet, neque lumen illius, ut ita dicam, humiliari, Ca-

rimonial. Episcop. libro primo cap. 10. & sequen.

¶ *Ipse versus librum.*] Ne videatur recedere à libro, in quo legere sequentia debet. alij versus Altare, ubi est Crux, cui debetur adoratio.

5 *In Choro genuflectitur ab ijs qui non sunt Prælati, ¶ ad Confessionem cum suo Psalmo. In Missis autem ¶ Feriarum Aduentus, Quadragesima, Quatuor Temporum, & Vigiliarum quæ ieiunantur, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt omnes, etiam ad Orationes, & dicto per Celebrantem Sanctus, usque ¶ ad Pax Domini, & ¶ ad Orationes post Communionem, & super populum, excepta ¶ Vigilia Paschæ & Pentecostes, ac Natiuitatis Domini. Et similiter ab omnibus genuflectitur ¶ quando eleuatur Sacramentum.*

¶ *Ad Confessionem.*] Diximus enim supra, genuflexionem esse indicium penitentia, cum Rabano. Prælati vero stant, ob eorum dignitates, Abbates, & Protonotarij, & ij nempe, qui vti possunt Rochetto, si sæculares sint, & ijs digniores; sicut etiam Canonici, quando sunt parati, aliàs non, *Carim. Episc. lib. 2. cap. 8.* De genuflexione ad Confessionem idem ferè docet *Burchard.* Cantores autem, si tunc cantant Introitum, non genuflectunt, quia stare debent ad Lectorile.

¶ *Feriarum Aduentus, &c.*] De Orationibus in Quadragesima, docet *Microl. cap. 50.* eadem est ratio in Aduentu, & diebus ieiuniorum, ut diximus supra tit. 15. num. 2. Item in Missis Defunctorum, ad luctum, ex *Rabano*, indicandum. Omnes autem genuflectunt ad vnum.

¶ *Ad Pax Domini.*] Si enim danda est Pax, à Clero stante est danda, *Carimon. Episcop. libro 1. cap. 24.* Sed & Pax Domini in hoc loco Missæ, Resurrectionem Christi significat, *Innocentius III. libro 6. cap. 4.* ob quam standum est, ut in Dominicis, & tempore Paschali.

¶ *Ad Orationes post Communionem.*] Quia eiusdem rationis sunt cum primis quæ dicuntur ante Epistolam, *Microl. cap. 19.*

¶ *Vigilia Paschæ, &c.*] Hæ Vigiliae sunt Festinae & solemnes, per modum Festi Duplicis celebratae, præterquam, quòd Vigiliae Paschæ & Pentecostes ad Paschale tempus attinent, quo stantes oramus. qua eadem ratione, his etiam adde Quatuor Tempora Pentecostes.

¶ *Quando eleuatur Sacramentum.*]

Tradunt.

Tradunt Honor. III. de Celeb. Miss. cap. Sanc. & Chrysof. apud Duran. lib. 2. cap. 40. quia adoramus Christum in Sacramento, & genuflectimus in expiationem blasphemiae Iudaeorum, qui dicebant flexo genu, *Aue Rex Iudaeorum*. lege *Tu recem. in can. Quoniam. de Consecr. Distinct. 3.* Ab omnibus autem initio Canonis genuflectitur, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 8.*

Dubitant non pauci in praedictis casibus, quando unicum genu, & quando duo genua sint flectenda. Et Celebrans quidem in Missa priuata, iuxta usum communissimum, ab initio ad finem vsque vnico tantum genu debet genuflectere, vt facilius surgat; in Missa item solempni, ad ea omnia quae sunt communia priuatae Missae: duobus autem genuflectere debet in Missa solempni ad praedicta quae à Choro cantantur; & regulariter, quando cum aliqua morula in praedictis est genuflectendum, & quali orandum.

Ministri verò intra Missam ea-

dem seruare debent quae facit Celebrans, vt expeditius illi ministrent. ad *Flectamus genua* ambobus genuflectant.

Subdiaconus patenam tenens non tenetur genuflectere toties quoties Celebrans; quia non illi tunc ministrat vt Diaconus, qui est illi à latere proprius minister, semper autem genuflectit cum eo eidem vicinus.

Alij de Clero à consecratione vsque ad communionem duo genua flectere debent, cum transeunt ante Altare; & item, quando patet Sacramentum in Altari, quod etiam faciunt Cardinales in Cappella Papae. duo quoque ad *Flectamus genua*, ad Confessionem, Orationes ieiuniorum, Versus, &c. de quibus supra, quando cum aliqua mora praescribitur genuflexio ratione cantus vel actionis longioris.

De Missa coram Sacramento in Altari exposito, & genuflexionibus eo casu debitis, dicemus in proprio capitulo, seu titulo.

6 In Missa item solempni Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum sedere potest à cornu Epistola iuxta Altare, cum cantatur *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, & *Credo*: alio tempore stat ad Altare, vel genuflectit, vt supra.

Possunt etiam sedere, dum cantatur Epistola & Graduale, si datur tempus, ex Decreto sacrae Rituum Congregationis relato ab *Alcocer in suo Carimo-*

niali, & semper sedent cooperto capite. Latus Epistolae congruit, à qua parte est credentia; &, vt cedat latus Euangelij Episcopo sedenti, si adsit.

7 In Choro sedent quando Celebrans sedet, & praeterea^a dum cantantur Epistola, & Prophetiae, Graduale, Tractus vel Alleluia cum Versu ac Sequentia, & ab Offertorio vsque^b ad incensationem Chori, & si non incensatur, vsque ad Praefationem: & ad Antiphonam^c quae dicitur Communio. ^d Ad alia stant, vel genuflectunt, vt supra.

Eadem

Eadem *Burchard. in Ordine Missæ. a Dum cantantur Epistola, &c.*] Sedetur ad Epistolam, *Ambrosius in Epistola ad Cor.* vt maiori deinde reuerentia assurgamus ad Euangelium, *Rupertus lib. 2. cap. 32.* Anima quoque ad doctrinam sedendo fit sapientior. Qui verò non attendunt ijs quæ leguntur, venialiter saltem peccant, *Suar. lib. 4. de Hor. Can. cap. 12. nu. 20.* Acolythi verò nequaquam sedeant ad Epistolam; & quando sedent vnà cum Celebrante, sedeant super Altaris gradu in cornu Epistolæ, facie versa ad Celebrantem, non ad populum.

b *Ad incensationem Chori.*] Incensum enim adoletur stanti, *Carim. Episcop. lib. 1. cap. 23.* Et hinc simul aduerte, quòd, dum oblata incensantur, adhuc in Choro sedent, *Carim. Episc. ibidem.* Vellent aliqui tamen, quòd Clerus staret ad incensationem Crucis, sicuti stat ad incensationem Episcopi: sed Episcopo stante, stat etiam Chorus; & hæc est propria causa, non autem incensatio eiusdem. vnde, quia Papa sedet dum incensatur, non assurgunt Cardinales, nisi Papa incensato.

c *Quæ dicitur Communio.*] Non enim, vt aliàs, cantatur hæc Antiphona, dum populus communicatur; quo casu, ob reuerentiam sanctissimo Sacramento exhibendam, standum esset; sed cantatur post Communionem Sacerdotis, dum ablutionem sumit, quando neque ratio est genuflectendi, neque standi. ergo sedeant. Quamquam monet adhuc *Carimon. Episcop. lib. 2. cap. 8.* vt Communio cantetur immediatè post *Agnus Dei.* quòd si accidat fieri, facta commu-

nione celebrantis & aliorum, eo casu sedetur.

d *Ad alia stant.*] Quænam sunt hæc alia ad quæ stare Clerus iubetur? nimirum Prindò ad Introitum, *Alcuin. cap. Quid significant vestimenta;* quo excitantur operarij Christi, & inuitantur ad opus, *Amalar. lib. 2. cap. 5.* hoc est ad Sacrificium, ad quod ingreditur Sacerdos, opus verè summum.

Item ad Orationem, exceptis diebus ieiuniorum, vt supra, quibus genuflectimus.

Item ad Euangelium, ratione supra allata *cum Decreto Anastasy hoc tit. num. 2.*

Item ad Præfationem, in qua stamus, vt sursum corda & corpora simul habeamus; nec genuflectimus, nisi initio sacri Canonis, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 8. vt supra dictum est.*

Item statim deposito Calice standum erit; quia, *hoc eodem tit. num. 5.* genuflectere debemus in diebus ieiuniorum vsque ad *Pax Domini.* Ergo Regula erit, quòd in Festis stare debemus post eleuationem Sacramenti vsque ad Antiphonam, quæ dicitur *Communio*, ad quam sedetur.

Item ad Orationem post Communionem, quæ rationis eiusdem est cum prima ante Epistolam, vt pluries diximus.

Standum præterea erit vsque ad finem Missæ; quia neque sedere, neque genuflectere iubemur.

Stare autem solemnitatem significat, sicut genuflectere, vt diximus, mœrorem, & luctum.

Denique à laicis etiam prædictæ Regule seruari possunt in Missa solemnè.

De Coloribus Paramentorum. XVIII.

1 *Paramenta Altaris, Celebrantis, & ministrorū, debent esse coloris conuenientis Officio & Missæ diei, secundum vsum Romanæ Ecclesiæ: quæ quinque coloribus vti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro.*

Vestes Sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, ornatum auctæ sunt: nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant, *VValafr. cap. 24.* & B. Clemens, *inquit Honor. in Gemma lib. 1. cap. 89.* tradente B. Petro, vsum sacram vestium ex lege decreuit. Sancta verò esse & honesta, S. Stephanus Papa iussit, *de Consecrat. Distinct. 1. Vestimenta. ex illius Epist. 1. ad Hilar.* Anacletus meminit sacram vestium *Epist. 1.* Hinc S. Hieronymus *lib. 13. in cap. 44. Ezechiel.* Religio diuina, ait, alterum habitum habet in ministerio, alterum in vsu vitæque communi. quo loco vitur *Alcuin. cap. Quid significant vestimenta.* Et reuerà, si Sacerdotes antiqui vestes habuere ad Sacrificia non communes, nos in communi veste sacrificabimus? Noui fiant in Christo homines, ait *Hieron. loco citato*, moribus nimirum, & vestibus. Denique fortasse idem in veste cœnatoria

Christus Dominus hoc Sacrificium instituit *Ioan. 13.* quam fuisse syndonem albam docet *Baron. anno Domini 34. num. 39.* At de singulis vestibus infra dicemus, nunc de coloribus earumdem.

e *Quinque coloribus.*] Totidem enumerat colores *Innocentius III. lib. 1. cap. 65.* quamuis Nigrum confundere videatur cum Violaceo, quatuor principales faciens colores, quatuor coloribus antiquarum vestium legalium respondentes, Byssi, Purpuræ, Hyacinthi, & Cocci, *Exodi 28.* Certum autem est, quòd post Siluestrum varius color fuit in vsu, si fortè antea lino vel lana tantum utebantur. nam Machario donato fuit stola à Constantino Magno filis aureis texta, *Theodoret. lib. 2. Histor. cap. 27.* Planeta sancti Gordiani, patris sancti Gregorij, erat coloris castanci, *ex Ioanne Diacono lib. 4. cap. 83.* fortè est idem color qui viridis.

2 *Albo colore vitur à Vesperis Vigiliæ^f Natiuitatis Domini vsque ad Octauam Epiphaniæ inclusiuè, exceptis Festis Martyrum, quæ infra eam veniunt. Feria quinta & in Cœna Domini, & h^o Sabbato sancto in Officio Missæ, & ab illo die vsque ad Sabbatum in Vigilia Pentecostes ad Nonam, in Officio de Tempore, præterquam in Missa Litaniarum, & Rogationum. In Festoⁱ sanctissimæ Trinitatis. In Festo^l Corporis Christi. In Festo^m Transfigurationis Domini. In Festisⁿ beate Mariæ Virginis, præterquam in benedictione Candelarum & Processione, quæ fit in Festo Purificationis eiusdem. In Festis^o Angelorum. In Natiuitate^p sancti Ioannis Baptistæ. In principali Festo^q sancti Ioannis Euangelistæ, quod celebratur infra*

fra Octauam Natiuitatis Domini. In vtraque ^x Cathedra sancti Petri. In Festo sancti ^l Petri ad Vincula. ^x In Conuersione sancti Pauli. In Festo ^u Omnium Sanctorum. In Festis ^x Confessorum Pontificum, & non Pontificum, & Doctorum. In Festis sanctarum ^y Virginum non martyrum, & nec virginum nec martyrum In Dedicacione, & ^z Consecratione Ecclesie vel Altaris, ac ^a in Consecratione summi Pontificis, & in anniuersario Creationis & Coronationis eiusdem, & Electionis & Consecrationis Episcopi. Item ^b per Octauas predictorum Festorum, quae Octauas habent, quando dicitur Missa de Octaua, & in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica, praeterquam in illis Dominicis, quibus tributus est color Violaceus. ^c In Missis Votiuus supradictorum Festorum, quocumque tempore dicantur: in Missa ^d de Sponso & Sponsa.

Albus color adhibitus est Sacrificijs, teste Hieronymo contra Pelagian. & significat gloriam, gaudium, & innocentiam, ex eodem Hieron. in Ezech. & alyis Patribus.

^f Natiuitatis.] Quia natus est Christus carens originali peccato; & in Epiphania, propter splendorem stellae, Innoc. III. loc. cit.

^g In Caena Domini.] Propter confectionem Chrismatis, quod mundationi animarum deseruit; & in Euangelio Missa de lauandis pedibus agitur, idem ibidem. Adde vestem caenatoriam Christi fuisse albi coloris, ex Baron. supra cit. hoc eod. tit.

^h Sabbato sancto, &c.] Nam Resurrectionis Angelus testis & nuntius, stola candida coopertus apparuit, idem Innocen. Vestimentum eius sicut nix, Matt. 28. In Ascensione quoque Christi steterunt Angeli iuxta Apostolos in vestibus albis, Act. 1. cuius ritus Paschalis meminit Palladius in libello de Vita S. Niceta Lugdunen.

ⁱ Sanctissima Trinitatis.] Quis purior Deo? & hoc docet Directorium

diuini Officij ante annum 1557. citatum in Missali eodem anno 1557. impresso Venetijs.

^l Corporis Christi.] Eadem ratione, qua supra in Caena Domini, color albus adhibetur.

^m Transfigurationis Domini.] Ex predicto Directorio & Missali. nam in ea vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, Matth. 17. Et nubes lucida obumbravit eos.

ⁿ Beata Mariae Virginis.] Ex eodem Directorio. quia purior sub Deo creatura nequit intelligi, Damascen.

^o Angelorum.] De quorum nitore Deus ad Luciferum: Vbi eras, cum me laudarent astra matutina? Job 38. & haec Innocent. III. loc. citat. in hanc Rubricam.

^p Sancti Ioannis Baptiste.] Qui natus est sine peccato, sanctificatus in utero, idem ibidem.

^q S. Ioannis Euangelista.] Ex predicto Directorio. de quo, tamquam de Virgine, & Virginis altero filio, tunc fit Festum, nascente Christo primogenito Virginis.

r *Cathedra S. Petri.*] *Innoc. III. sup.* in qua veneramur Petrum tamquam Pontificem.

l *Petri ad Vincula.*] *Ex prædicto Director.* tum ob eiusdem innocen- tiam declarandam, tum ob Angelicam liberationem. in albis enim forè An- gelus apparuit Petro.

t *In Conuersione sancti Pauli.*] *Innocentius III. supra,* ad significan- dam primam eius sanctitatem bap- tismalem.

u *Omnium Sanctorum.*] In quo ful- get præcipuè nomen Deiparæ Virgi- nis, & leguntur eo die amicti stolis al- bis, *Innocen. III.* Aliqui Trinitatem includunt in hoc Festo, ob primum Festi Responsorium; sed Festum est B. Virginis & Sanctorum, vt patet ex *Martyrologio Romano.*

x *Confessorum.*] Ad indicandum candorem, & morum in illis, & doctri- nam in Doctoribus, *Innocen. III. loco cit.* Idem fiat in Festo Stigmatum san- cti Francisci, sacra Rituum Congre- gatio 9. Decembris 1623.

y *Virginum, &c.*] In testimonium

puritatis & castitatis earum, quia albo colore gaudet castitas.

z *Consecratione Ecclesie.*] Nam Ec- clesia virgineo nomine nuncupatur ab Apostolo 2. Cor. 11. *Innoc. supra.*

a *In Consecratione summi Pontifi- cis, &c.*] *Innocentius III. loco citat.* Ra- tio esse potest, quæ supra de Pontifici- bus est allata.

b *Per Octauas, &c.*] *Ex eodem Di- rectorio;* quia supra diximus, totam Octauam esse vnum & idem Festum.

c *In Missis Votiuis.*] Quia sequitur naturam principalis Festi id quod est votiuum; & militat eadem ratio colo- ris in Votiuis quæ in Festis. Quod de Votiuis dicitur, multò magis verum est in Festis Translationum, Appari- tionum, & similibus Festorum.

d *De Sponso & Sponsa.*] Quia sup- ponitur in Sponsa benedicenda carnis integritas; vnde Viduæ nuptias non benedicimus, *Rituale Roman. de Sa- cramento Matrimon.*

Exceptionum in hac Rubrica omi- sissimus causas, quia in sequentibus pa- tebunt.

3 *Rubeo colore utitur* à *Vigilia Pentecostes in Missa vsque ad Sabba- tum sequens finita Nona & Missa. In Festis* ^f *sanctæ Crucis.* 8 *In Decollatione S. Ioannis Baptiste. In Natali Apostolorum Petri & Pauli, & in Festis aliorum Apostolorum (exceptis Festo principali sancti Ioannis Euangelistæ post Natiuitatem, & Festis Conuersio- nis sancti Pauli, & Cathedra S. Petri, & eius Vinculorum.) In Fe- sto S. Ioannis ante portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apostoli. In Festis Martyrum, excepto Festo sanctorum Innocen- tum, quando non venerit in Dominica: si autem* ^h *in Dominica venerit, utitur Rubeo; in eius vero* ⁱ *die Octaua semper utitur Ru- beo, quocumque die occurrat. In Festis sanctarum* ^l *Virginum mar- tyrum, &* ^m *Martyrum non virginum. Item* ⁿ *per Octauas prædi- ctorum Festorum quæ Octauas habent, quando fit de Octaua, & in Dominicis infra eas Octauas occurrentibus, eodem modo* ^o *dictum est*

est supra de colore Albo. Item in Missis Votiuus supradictorum Festorum, & in Missa o pro eligendo summo Pontifice.

Rubeus color, seu purpureus, indicat dignitatis gradum alijs excellentiorem: humano sanguini similis est, igneam refert naturam. ex quibus facile patebunt sequentes ritus.

e *AVigilia Pentecostes.*] *Innoc. III.* loco cit. propter sancti Spiritus feruorem, qui in igne descendit, *Act. 2.* & propter potestatis plenitudinem in igne significatam, Apostolisque datam, ex *Tobia Corona de Templis, par. 1. cap. 49.*

f *Sancta Crucis.*] Ex citato Directorio, quæ sanguine Christi consecrata fuit, & passionem illius indicat Rubeus color.

g *In Decollatione, &c.*] *Innocen. III.* ob effusionem sanguinis.

h *In Dominica venerit.*] Ex eodem Directorio, ratione Dominicæ, quæ

semper est festiua, cui & idcirco eod die conceduntur Hymnus Angelicus, & Alleluia. Festiuus enim SS. Martyrum color est Rubeus: qui vt Festiuus est, Dominicæ congruit; vt Rubeus verò, conuenit Officio de Innocentibus, quod fit in Dominica.

i *Die Octaua.*] Ex eodem Directorio. Octaua enim glorificationem denotat, *Amalar. lib. 4. cap. 29. & 36.*

l *Virginum martyrum.*] Quia martyrium præfertur virginitati, *Innocentius III. loco citato.*

m *Martyrum non virginum.*] Quia pro Christo sanguinem fuderunt.

n *Per Octauas prædictorum.*] Ratione supra allata numero præcedenti, ex citato Directorio.

o *Pro eligendo summo Pontif.*] Quia æquiualeat Missæ de Spiritu sancto.

4 *Viridi colore utitur ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam, & ab Octaua Pentecostes vsque ad Aduentum exclusiue, in Officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis, vt supra: ac exceptis Dominicis infra Octauas occurrentibus, in quibus color Octauarum seruatur: exceptis etiam Vigiljs, & Quatuor Temporibus, vt infra.*

Eadem in citato Directorio. Viridis color medius est inter colores, ait *Innocentius III. loco citato.* & idè vtitur eo in diebus ferialibus, & communibus, inquit ille: cuiusmodi sunt dies ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam, & ab Octa-

ua Pentecostes vsque ad Aduentum, in Officio de Tempore. Dies etiam Dominici minùs tolemnes sunt his temporibus, & communes vocantur ab *Innocentio* comparatiuè ad alias Dominicas & solemnitates anni.

5 *Violaceo colore utitur à prima Dominica Aduentus in primis Vesperis, vsque ad Missam Vigiliæ Natiuitatis Domini inclusiue: & à Septuagesima vsque ad Sabbatum sanctum ante Missam inclusiue, in Officio de Tempore: excepta Feria quinta in Cæna Domini, in qua utitur Albo, & Feria sexta in Parasceue, in qua utitur Nigro, vt infra:*

frā: & p benedictione Cerei in Sabbato sancto, in qua Diaconus, illius Praefationem dicens, solus utitur Albo: ea autem finita, Violaceo ut prius. Item in q Vigilia Pentecostes ante Missam, à prima Prophetia vsque ad benedictionem Fontis inclusivè. In r Quatuor Temporibus, & Vigilijs quæ ieiunantur, exceptis l Vigilia & Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missa r Litaniarum in die S. Marci Euangelista, & Rogationum, & in Processionibus quæ his diebus fiunt. In Festo u SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In benedictione x Candelarum in die Purificationis beate Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac Palmarum, & in ipsa Dominica in Palmis, & in eorundem, ac generaliter y in omnibus Processionibus: z exceptis Processionibus sanctissimi Sacramenti, & quæ fiunt a in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione. In Missis b de Passione Domini, c Pro quacumque necessitate, Pro peccatis, Ad tollendum schisma, Contra paganos, Tempore belli, Pro pace, Pro vitanda mortalitate, Pro iter agentibus, & Pro infirmis.

Eadem ferè habet citatum Directorium. Tempore Innocentij III Niger color adhibebatur ijs diebus, quibus à nobis Violaceus; quo utebatur Ecclesia tunc temporis bis tantum in anno, in Festo Innocentium, & in Dominica Latere, diebus, inquam, afflictionis, & abstinentiæ; pro peccatis, & pro Defunctis, inquit ille: nunc autem convenientius Violaceo utimur ab Adventu ad Natalem Domini, & à Septuagesima vsque ad Pascha.

p Benedictione Cerei.] Pertinet enim ad Paschale Sacramentum, Durand. lib. 3. cap. 18.

q Vigilia Pentecostes.] Eadem ratione qua Vigilia Paschæ, afflictionis indicandæ causa, & Cathecumenorum humilitatis ante Baptismum.

r Quatuor Temporibus.] Durand. lib. 3. cap. 18. afflictioni enim debitus est color Violaceus.

[Vigilia & Quatuor Temporibus Pentecostes.] Quæ sunt festiva, ut diximus.

t Litaniarum.] Quæ cum mæore quodam celebrantur.

u Sanctorum Innocentium.] Quia eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio, Vox in Rama audita est, ploratus, &c. Matth. 2. & licet legatur idem in Octava, color tamen est alius, Rubeus nimirum & festivus, ratione allata supra ex Amalario. Item alia est ratio coloris Violacei; quia descenderunt ij in limbum, Microl. cap. 36. quæ, quia communis est Ioanni Baptistæ, in cuius tamen Decollatione Rubeo utimur; adde, illos non plene fuisse de nouo Testamento.

x Candelarum, &c.] In Cinere & Palmis cum Passione Domini patet ratio coloris Violacei; in Candelarum verò benedictione & processione color Niger adhibebatur, ex Alcuino. sed diximus supra ex Innocentio III. Nigrum pro Violaceo vsurpatum fuisse. Fortasse ratio esse potest Prophetia Simeonis ad Matrem Christi, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. nam alioquin

alloquin Missa pertinet ad puritatem Virginis eiusdem, quæ purificari dicitur, & celebratur cum colore albo. *Durandus autem lib. 3. cap. 18.* anxiam Simeonis expectationem in hoc ritu significari tradit.

y *In omnibus Processionibus.*] Hoc est, in ijs quæ indicuntur ad Iubileum consequendum, vel pluuiam impetrandam, vel quid simile. nam in his casibus cum luctu & dolore est procedendum.

z *Exceptis Processionibus sanctissimi Sacramenti.*] Quæ colore albo adhibito fiunt, ratione allata in Festo eiusdem Sacramenti.

6 *Nigro colore utitur Feria sexta in Parasceue, & in omnibus Officijs, & Missis Defunctorum.*

Mortis est propriissimus color Niger apud omnes, *Innocentius III. loco cit. cap. 65.* Acacij tempore erat hic ritus in usu, *ex lib. 1. Collectan. Theodori Lectoris.*

Regula verò in mutandis coloribus ea est, ut mutatio fiat in primis Vesperis Festi. Si autem Vesperæ non sint integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui congruit illi de quo dicitur Capitulum.

a *In diebus solemnibus.*] Nam in his color adhibendus est, qui congruit Festo vel Missæ post Processionem cantandæ.

b *De Passione Domini.*] Ad Missam de Cruce color Rubens, ut sequatur qualitatem Festi principalis, in quo effusio Sanguinis Christi representatur; ad Missam verò de Passione Violaceus, ut respondeat Dominicæ de Passione, cum qua participat in titulo & sacramento mortis Christi.

c *Pro quacumque necessitate, &c.*] In his nouem casibus, & similibus, habent præcipuum locum luctus, afflictio, & pœnitentia.

Si Officium & Missa discordant, color Altaris sequatur Officium; vestium autem Sacerdotis sit color Missæ conformis. quæ diuersitas accidere solet in Feria tertia Rogationum, & in Vigilijs infra Octauas. Pro Missa verò solempni conuenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ: quod adnotauit rectè P. Ruiz in suo *Cerimoniali.*

De qualitate Paramentorum. XIX.

1 *In Officio Missæ Celebrans semper utitur Planeta Super Albam.*

Qua de re suo loco, cum de alijs vestibus Sacerdotalibus, *par. 2. tit. 1.*

2 *Si autem sit Episcopus, & solempniter celebret, super Dalmaticam & Tunicellam.*

De his etiam, cum de vestibus Pontificalibus, *par. 2. tit. 1.*

3 ^d *Pluuiali utitur e in Processionibus, & Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio s Laudum, & Vesperarum, quando solempniter dicuntur. Eodem utitur h Assistens Celebranti in Missa Ponti-*

Pontificali. Item quando Celebrans i post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.

d *Pluuiali.* Pluuiale & Cappa sunt idem, *Durand. lib. 2. cap. 1.* & forma quidem & vsus Pluuiialis similes sunt Cappe, quam describit *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 227.* Propria vestis, inquit, est Cantorum: & apud nos quoque Cantorum est Pluuiale, in *Carim. Episc. lib. 2. cap. 3.* in Vesperis à singulis ordinibus, inquit ille, portatur. Ergo Cappa hæc Honorij non est Casula, quæ solius Sacerdotis est, aut Diaconi, & Subdiaconi ad summum: contra coniecturam *Isidori lib. 15. Orig. cap. 12.* & contra *Duran. lib. 2. cap. 9.* qui volunt, Cappam esse Casulam. Sic autem describitur Cappa. Habet, inquit *Honor.* in supremo caputium, ad pedes pertingit, fimbrias habet, antè aperta manet. Et quis non videat hæc omnia conuenire Pluuiiali tantum? Cappa est, quia capit totum hominem. Cappam etiam rustici vocant, quod Latini Tugurium, *Duran. ait loc. cit.* Capannam rustici nostri; & Pluuiiale quasi tugurium est contra pluuias, ideoque Pluuiiale vocitatur. Imò verò apud laicos quoque Cappa ea dicebatur, vt nos vidimus ante paucos annos, quæ caputium habebat, ad differentiam mantelli, quod caputio caret. Cuius caputij vsus erat absque dubio ad tuendum caput tempore pluuiæ, sicut in itinere caputio Feltri vtimur. vnde & Pluuiialis laicorum Cappa ea dici poterat. Itaque modò Cappa Ecclesiastica cum caputio adhibita proprijsimè in Processionibus, extra Ecclesiam, caputio tegens Sacerdotem, cum plueret, Pluuiialis nomen, vt opinor, est adepta. Impluvia dicebatur vestis, qua Sacerdotes per

imbrem utebantur, ex *Varrone.* Pluuiiale item quasi fluuiiale dici potest; quia lineæ, quæ in ora anteriori sunt fluuij, seu flumina, à Græcis vocantur *πλωϊον*.

Facile quoque accidere potuit, quòd *Ignatius Braccius Recinetensis* (cuius laus est in *Etymologijs omnium vocum, Italicarum, Græcarum, Latinarum, & Hebræarum, quarum parat immensum opus*) postremò me monuit, à Plebe & Plebano (quæ Piuiero vocauere Academicus Florentini; & vulgò Piuano dicimus) additam esse vocem Italicam Piuiale, aut Pieuiale, aut Piuuiale, quod postremum Latinitate donantes appellauerunt Pluuiiale. Ea enim vestis est in vsu frequentiori apud Parochos in Sacramentorum administratione. *Idem* autem *Honor. cap. 233.* concedit, Cappam deduci posse à Casula, id est, parua casa. Casulam antiquam fuisse scio valdè similem Pluuiiali nostro, excepto caputio, & anteriori parte, quæ in Casula non erat aperta; vnde & reflectebatur Casula vtriusque super brachia Sacerdotis: & in elevatione Hostiæ idè posterior Casulæ pars, vt hodie, eleuatur, ad brachia Sacerdotis magis expedienda, Ambrosiani vestigium retinent amplioris antiquæ Casulæ, tam lata quam longæ; & nos, cum de Casula, ex antiquioribus eam iudicabimus infra. Adde, quòd in *Ordine Romano in consecratione Episcopi* Ordinandus prima vice ante Ordinantem constituitur cum Cappa super Albam, Cingulum, & Stolum; certè non cum Cappa Episcopali, lanea ordinariæ, quæ non adhibetur super Albam, & Stolum,

lam, sed cum Cappa, id est Pluuiali: secunda verò vice *ibidem* constituitur idem Ordinandus cum Planeta super Dalmaticam, Manicas, Sandalia, quæ consona sunt consecrationi Episcopi in Pontificali moderno. Ergo Cappa non est Cafula, sed quasi Calula, & est Pluuiale. Vides cum forma simul & vsu antiquitatem? vide *Mysteria*, ex *Gemma loco citato* 227. Hæc vestis conuersationem denotat, caputium verò supernum gaudium, quod est caput conuersationis, dicente Apostolo; *Nostri conuersatio in calis est*: ad pedes pertingit, ob perseuerantiam: aperta manet ante, quia sanctè conuersantibus æterna vita patet: in fimbrijs labor signatur, *Hæc Gemma*. Charitatem quoque significat Cappa, *ibidem cap. 234*.

Duran. loc. cit. in Cappa hac intelligi docet gloriosam corporum immortalitatem; vnde illa vtmur in Festis maioribus. Et patent anteriores partes Cappæ; quia corpora, inquit, facta spiritualia nullis animam obturabunt angustijs. *Ibidem* ipse vtitur vocabulo Pluuialis; ante quem apud alium auctorem non inueni hanc vocem.

e *In Processionibus*.] Processio, quasi progressio, à procedendo in publicum, *Duran. lib. 2. cap. 10*. cuius origo, An à Purificatione beatæ Virginis cum Iosepho, Simeone, & Anna; vel certius, ex Historia Euangelica, à turbis in die Palmarum? *Tertullianus lib. 2. ad uxorem* meminit Processionum, & *Ambros. Sermone 8*. Aliæ verò sunt ordinariæ, vt in Festo Purificationis, in Dominica Palmarum, in Litanijs maioribus & minoribus, in Festo Corporis Christi, de quibus dicitur in proprijs Rubricis. Aliæ extraordinariæ, quæ auctoritate Episcoporum

fieri solent, quarum exempla multa refert *Duran. loco citat.* in his præfertur Crux cum luminibus, quorum auctorem faciunt S. Ioannem Chryostomum *Socrates & Sozomenus, citati à Casare Franciotto in Obser. circa mysteria totius anni*: Crux autem à Regularibus cum velo pendente, seu pallio, ex Decreto sacre Rituum Congregationis 14. *January* 1617. ad indicandam subiectionem & inferioritatem respectu Cleri sæcularis; eadem ratione, qua Baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium nodo eiusdem, ad differentiam Baculi Episcopalis, quod notatur in *Actis Eccl. Mediolan. de Supell. Eccl. lib. 2.* & mulieri datur velamen supra caput, subiectionis indicium sub viro; 1. *Cor. 11*. Porro ritus deferendi Crucem ante annum 398. teste *Baronio ibidem*, fuit in vsu: & imago Christi terga debet vertere Clero sequenti, quasi Christus præire videatur, nisi sit Archiepiscopalis, vel Papalis, in qua imago Crucifixi respicit Archiepiscopum, vel Papam, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura ij recreentur, vt indicatur in *Cerimon. Episcop. lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 16. & aperte in Cerimon. Marcelli lib. 3. cap. 20. & Crassi lib. 2. cap. 42.* etiam si inter Crucem & Prælatum incedant Canonici, vt expressè dicitur in *Cerimon. Episc. lib. 1. cap. 15. citat.* contra recentiores quosdam, qui distinguunt in Cruce Archiepiscopali, quando immediatè præcedit Archiepiscopum, & quando Canonici præcedunt eundem post eius Crucem.

Cùm igitur Processio sit quedam Cleri cum populo itineraria conuersatio, rectè Pluuiale adhibetur, quod, vt diximus, sanctæ conuersationis formam designat.

f *Et Benedictionibus.*] Hoc est Cinerum, Cereorum, Palmarum, sacrum Imaginum, &c. quæ, cum solemnes sint, Pluuiiale iure merito exigunt; neque aliud indumenti genus aptius esse potest benedictioni solemnibus, quæ fit extra Missam. Sunt aliæ Benedictiones, quæ non fiunt in Altari, & in fine Missalis de rebus varijs habentur, in quibus satis est Stola cum superpelliceo vti.

g *Laudum, & Vesperarum.*] Laudes & Vesperæ sunt pares numero Psalmorum, Hymnorum, & ratione Canticorum Evangelicorum, ut dicemus in Rubricis Breuiarij. Pluuiiale in ijs conceditur ad solemnitatem, *Carimon.*

4 *Cum Celebrans utitur Pluuiali, semper^l deponit Manipulum, & ubi^m Pluuiiale haberi non potest, in benedictionibus quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine Planeta cum Alba & Stola.*

l *Deponit Manipulum.*] Manipulus non adhibetur cum Pluuiali: & fortasse, quia ille fletum, & dolorem significat, ut infra docebimus, idè non concordat cum Pluuiali, quod diximus significare conuersationem cælestem, & ex Durando, gloriosam corporum immortalitatem, quæ fletum non admittit.

Dices: Fiunt processiones flebiles, ergo congruit in illis Manipulus fletus & doloris. Respondeo, non amplius eo nos vti ad tergendas oculorum lacrymas; tum verò extra Missæ Sacrificium sudario non sacro vti poterant antiqui. Vide quæ infra dicimus de Manipulo p. 2. tit. 1. Sed de hoc ritu plena ratio penes Auctores desideratur adhuc.

m *Pluuiiale haberi non potest, &c.*] Planeta cum Stola est habitus ad Mis-

Episcop. lib. 2. cap. 3. & 7. Qui almutijs vtuntur, eas deponant cum Pluuiiale induunt; sicut exuunt Cappas iij Canonici qui his vtuntur.

h *Assistens Celebranti.*] Ordo Romanus dat Cappas Presbyteris assistentibus Papæ celebranti. Vides hinc etiam Cappas idem esse ac Pluuialia?

i *Post Missam Defunctorum, &c.*] Missa finita deponenda est Casula. Quæ ergo nunc ad Absolutionem solemnem aptior erit vestis, quam Pluuiialis Cappa? vestis est ad omnia magè communis; neque benedicitur, quia communis est cuicumque Ecclesiastico, neque ordinata ad Sacrificium Missæ.

sam tantum, & idè potius Stola super Albam sufficit, deficiente Pluuiali. Verum licet in hoc habitu procedat Celebrans, ac si haberet Pluuiiale; non tamen hinc sequitur, Stolam gerere vicem Pluuiialis, ut ex verbis patet. quod male inferunt alij. Stola verò vnà cum Alba in modum Crucis ante pectus gestari debet, cingulo de more coniuncta, & vtriusque religata. quòd si adhibeatur vnà cum superpelliceo, soluta pendebit à collo hinc inde, quia ligari in modum crucis non potest: & eodem modo siue cum Pluuiali, siue absque eo adhibeatur illa. fauet autem *Concil. Braccar. III. cap. 3.* Signum, ait, in suo pectore præparet crucis. licet enim ibi loquatur de Stolæ vsu in Missa, extra Missam tamen forma crucis, si fieri potest, muniri pectus decet.

5^a Dalmatica & o Tunicella vtuntur Diaconus & Subdiaconus in Missa solemni, p & Processionibus, q & Benedictionibus, quando Sacerdatis ministrant.

n Dalmatica.] Eam assignat Diacono Ordo Romanus. sanctus Siluester Diaconis concessit, ex Damaso. in Dalmatia fuit reperta, Alcuin. c. Quid signif. vest. & Isid. 19. Etymol. cap. 22. primò textam ibidem fuisse scribit. eiusdem verò vsus in Ecclesia fuit ante Siluestrum: nam sanctus Cyprianus meminit, & Eutychianus Papa apud Duran. lib. 2. cap. 9. Sacerdotum enim erat habitus, & Casulis introductis Dalmatica data est Diaconis, VValafr. Strab. cap. 24. qui tamen à Vicecomite lib. 3. de Missa apparatu cap. 26. iure refellit, cum antea lib. 3. cap. 29. probauerit ille, fuisse Casalam in vsu Sacerdotum tempore Apostolorum; quod & nos infra suo loco ostendemus. Vsi sunt etiam Dalmatica Reges summi; quorum nomina vide apud Baron. in Not. Martyr. ad 31. Maij. neque verò Siluester omnibus Diaconis eam concessit, sed tantum Romanæ Ecclesiæ, & in diebus tantum solemnibus, in signum lætitiæ, Dist. 76. cap. de Ieiunio, ex Conc. Salegust. exteris autem ex priuilegio Romani Pontificis, vt ait Gregor. lib. 7. Epist. 3. ad Aregium; qui Epist. 28. & 113. eiusdem lib. 7. tradit aperte, fuisse Romanorum tantum Diaconorum propriam vestem. Erat etiam Regula, quòd Dalmatica adhiberetur cum Gloria in excelsis. ita Microl. cap. 46. hoc est, vbi Gloria, ibi Dalmaticæ vsus, non è conuerso: nam in Dominicis Gaudete & Lætare vtimur Dalmaticis; non autem dicimus, Gloria in excelsis.

Forma antiqua Dalmaticæ erat sine manicis; & Ammian. Marcellinus

lib. 14. vocauit eam Pectoralem Tuniculam, quam nos cum manicis ad cubitum vocamus Italicè Tunicella. pertusas habet alas, Amal. lib. 2. cap. 21. duas item lineas antè & retrò, ibidem. manicæ latæ sunt, ex Alcuin. supra; vbi etiam notat formam habere Crucis. alia habebat, quæ nostræ non habent. vide Innoc. III. vel Amalar. locis citatis, & citandis. Significat ergo Dalmatica lætitiæ, item curam proximorum, Iuo Carnot. Serm. de Signif. indum. formam Crucis gerit, vt ea indutus mundo sit crucifixus, Alcuin. supra. pertusas alas habet, vt Christum imitetur, qui lancea fuit perforatus in latere, Amalar. supra. latas manicæ, vt sit liberalis, qui ex officio cum Stephano Protomartyre ministrare debet mensis, Innocen. III. lib. 1. cap. 56. cum gemina dilectione, Dei & proximi, quam iudicant duæ lineæ antè & retrò, Amal. vbi supra. Dalmaticæ denique vsus fuit super Albam, & consequenter cum Amictu & Cingulo, quæ conceduntur Diacono in Conc. Narbon. cap. 12. ex ritu antiquiore. De Alba vt Diaconi veste mentio est in Ord. Roman. de Conc. Pron. celeb. Amictus autem & Cingulum concomitantur Albam.

o Tunicella.] Subdiaconi ministrabant in Albis tempore sancti Gregorij Papæ, lib. 7. Epist. 63. iubet Ordo Rom. eis tradi congruas vestes Subdiaconales, & mappulas in sinistra: sed quas vestes, non explicat. Subtile cum minori manica datum Subdiaconis, scribitur in Gemma lib. 1. cap. 229. & hoc est Tunicella, idè sic appellata, quia

minor est Dalmatica Diaconali. Ante Gregorium nescio quis, ait ipse loco citato, induit Subdiaconos; qui modus loquendi excludit Siluestrum, quem faciunt quidam huius ritus auctorem, & indicat, per errorem id esse factum: unde Gregorius remouit Subdiaconalem vestem. *Concl. Braccaren. l. c. 27.* appellat Tunicam, & pates in veste facit Diaconum & Subdiaconum; fortasse ex prædicto abusu, quem postea correxit sanctus Gregorius, quoad Subdiaconos nunc eorundem strictior est vestis quam Diaconorum; & ideo dicta est etiã Subucula ab *Amalir. lib. 2. cap. 22.* Significat autem locricam iustitiæ, quæ communis est virtus, *Gemma ubi supra*: sed eadem significat quæ Dalmatica, nisi quod Subdiaconus minori tunica indutus, si ad minorem virtutis gradum quam Diaconus perueniat, tolerandus esse

videtur. suppone Albam Tunicellæ, ex *Conc. Narbon. cit.* consequenter Amictum & Cingulum, vt supra diximus de Diacono.

p *Et Processionibus.*] Ad maiorem nempe ornatum celebrantis Sacerdotis. Scripsit recentior, Ministris eisdem dari posse in Processione sanctissimi Sacramenti Stolas Sacerdotales supra Cottam; sed hoc videtur contra Bullam Pij V. in qua prohibetur mutatio, additioue rituum; & contra rationem, ne ij videantur æquales Celebranti; & contra vsum Ecclesiarum communem, quem maximi faciendum existimo in sacris Ritibus.

q *Et Benedictionibus.*] Quæ scilicet fiunt solemniter; non tamen Cinerum, Cereorum in Purificatione beatæ Virginis, nec Palmarum, in quibus Dalmatica & Tunicella prohibentur in sequenti numero.

6 In diebus verò ^r ieiuniorum (præterquam in ^l Vigilijs Sanctorum) & in Dominicis & Ferijs ^c Aduentus & ^u Quadragesima, ac ^x in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis ^y Dominica Gaudete, etiam si eius Missa infra Hebdomadam repetatur, & Dominica Latere, Vigilia Natiuitatis Domini, Sabbato sancto in ^z benedictione Cerei, & in Missa, ac ^a Quatuor Temporibus Pentecostes) item in benedictione ^b Candelarum & Processione in die Purificationis beatæ Mariæ, & in benedictione ^c Cinerum, ac benedictione ^d Palmarum & Processione: in Cathedralibus & ^e præcipuis Ecclesijs vtuntur ^f Planetis plicatis ante pectus: quam Planetam Diaconus ^g dimittit cum lecturus est Euangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur: aut ponitur aliud genus Stola latioris in modum Planetæ plicatæ, & facta Communionem resumat Planetam, vt prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, & ea finita, osculatæque Celebrantis manu, Planetam ^h resumat vt prius.

^r Ieiuniorum.] Interdicit *Gemma l. 3. c. 45.* Dalmatica tempore ieiunij; quia

diximus, Dalmaticam significare latitiam, quæ in ieiunio facile deficitur. [Vig.

[*Vigilijs Sanctorū.*] Vigilia est principium Festi, *Radulph. Propos. 19.* ergo & lætitiā aliqualem, non plenam habet; cū in eadem ieiunemus.

t *Aduentus.*] Tempore Aduentus in aliquibus locis omitti Dalmaticas, scribebat *Amalar. lib. 3. c. 40. & lib. 4. cap. 30.* vt auidiūs, inquit, resumatur & festiuiūs quod aliquando omittitur; & item ad insinuandum tempus veteris Testamenti in Aduentu, ratione cuius maior est gloria noui Testamenti in Natiuitate Domini, *ibid.* addit *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 1.* quia vestes innocentiae & immortalitatis, significatæ per Dalmaticas, nobis per Christum natum redditæ sunt, non ante Christum natum; vel quia ante Natiuitatem Christi neque Lex, neque Euangelium, in ijs significata qui Dalmaticas gerunt, cum claritate patebant, *Rupert. lib. 3. cap. 2. tit. 3.*

u *Quadragesima.*] A Septuagesima vsque ad Cœnam Domini à Dalmaticis abstinere in quibusdam locis, aiunt *Ordo Roman. & Alcuin. cap. de Septuag.* antiquo verò more omitti, indefinitè scribit *Microlog. cap. 47.*

x *In Vigilia Pentecostes.*] Diximus suprâ, Vigiliam hanc esse parem Vigiliæ Paschatis. in Missa verò lætitiâ perfunditur Ecclesiâ: ideoque & Dalmaticæ sunt in vsu ad Missam, non ante Missam.

y *Dominica Gaudete.*] Ecce lætitiâ. ergo cum Dalmaticis. idem affirmandum de sequentibus, vt patet.

z *Benedictione Cerei.*] Quæ tota est festiua, sicut etiâ Missa Sabbati sancti.

a *Quatuor Temporibus Pentecostes.*] Dalmaticæ his temporibus decernuntur, ob solemnitate Spiritus sancti, à *Concilio Salegunstano cap. 2.*

b *Candelarum.*] Ob anxiam Simeo-

nis expectationem, inquit *Duran. lib. 3. cap. 18.*

c *Cinerum.*] Quia dies solemnis ieiunij, & initium est Quadragesimæ, quæ excludit Dalmaticas.

d *Palmarum, &c.*] Quæ passionem Domini sapit potius quàm lætitiâ inanem turbarum. Fleuit etiam Christus sedens super asinum, *Luc. 19.*

e *Præcipuis Ecclesijs.*] Præcipuas intellige, præsertim quæ sunt Collegiatæ insignes Canonicorum Cleri sæcularis, & quæ ob alias causas, præcipuè à populo seu à Maioribus declarantur. Dantur enim Ecclesiæ minores, præsertim apud Regulares, de quibus num. sequenti. Sed insignioribus Regularium Ecclesijs conceduntur Planetæ plicatæ à sacra Rituum Congregatione, teste *Alcocer in suo Cerimon.*

f *Planetis plicatis.*] Diacono & Subdiacono dantur Planetæ sæpius in *Ord. Rom.* Casula datur Diacono ab *Alcuin. cap. Quid sig. vest.* item Subdiacono, ea ratione qua imitari debet Diaconum, ab *Honorio in Gemma l. 1. cap. 231.* quæ eleuantur antè, vt liberius ministrare valeant, *Durand. lib. 3. cap. 11.* Puto etiam ad differentiam Casulæ sacerdotalis, quæ cū significet charitatem, secundum omnes Auctores qui scripserunt de ritibus, intelligant Ministri, primò in prædictis diebus teneri ferè ad eandem perfectionem, ad quam Sacerdos in alijs temporibus; deinde ex charitate, non ex timore debere ministrare Altari, *Duran. vbi suprâ.*

g *Dimittit.*] Dimittitur autem Casula ab utroque lecturo Epistolam, seu Euangelium, quasi profiteantur, in proprio ministerio legendi eam non esse propriam vestem, *Rupert. lib. 3. cap. 2.* & Subdiaconus quidem dimit-

tit Casulam, quæ charitatem denotat, lecturus Epistolam, quæ significat legem veterem, legem timoris, non amoris: Diaconus verò induit aliam, seu eandem complicatam in sinistro humero ad latus dextrum, lecturus Euangelium, legem scilicet amoris, vt in sinistris & in dextris, in aduersis & prosperis, charitatem ore & opere doceat, tum Euangelio, tum ministerio vsque ad consumptionem Sacramenti, *Duran. loco citato.*

h. Resumit.] Casula à Subdiacono post Epistolam resumitur, quia post legem timoris data est lex charitatis: Diaconus verò resumit circa finem Missæ, quia non sufficit inchoasse in

charitate, sed in ea finiendum est, *idem ibid.* Vel dic *cum Amalar. lib. 3. cap. 15.* lecturos exui Casulis quasi milites expeditos contra errores. Duplicatam denique Diaconus portat Casulam ab Euangelio ad Communionem, vt quæ ore prædicat, iugum Domini portans, opere quoque impleat, liberius & expeditius ministrando, *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 231. Lege Hugon. Vct. de Special. Missæ obser. lib. 3. cap. 9.* vbi in Casula ministrorum, quæ collum circum, vtunque brachium, pectus & humeros velit, docet charitatem, quæ exigitur in voce collo formanda, in opere, corde, & in aliorum onere portando.

7 *In minoribus autem Ecclesiis, prædictis diebus ieiuniorum Alba tantum amicti ministrent: 1 Subdiaconus cum Manipulo, 1 Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.*

Non enim congruunt Dalmaticæ ratione dierum, neque Casulæ ratione locorum.

1 Subdiaconus cum Manipulo.] Manipulus Subdiaconi propria vestis est, *in Ord. Romano*, qui tradit eis manipulas in sinistra, de quibus dicemus infra, cum de vestibus Sacerdotis. Vnum hinc nota, quod licet Sacerdoti fuerit datus Manipulus ab initio ad tergendam pituitam oculorum & narium, vt ibi probabimus, & fortasse eadem de causa à S. Siluestro fuerit idem concessus Diacono sub nomine pallæ linoftimæ ad læuam (linum enim aptum est ad tergendum oculos & nares) non tamen Subdiacono datus fuit in hanc eandem causam Manipulus, sed ad tergendas sordes vaporum sacrorum; quod benè notauit *Duran. lib. 2. cap. 8.* eumque in sinistra cum alijs gerit, ad expeditius

ministrandum, *Ruper. lib. 1. cap. 33.*

1 Diaconus etiam cum Stola, &c.] Stola Diacono datur ab *Ordine Romano*; quia Orarium est, hoc est, Oratorum, seu Concionatorum, *Alcuin. supra.* quam ab Apostolicis datam Diacono fuisse probabilius puto, tamquam de substantia ordinationis eius, non à Siluestro nomine pallæ linoftimæ ad læuam humerum, quod vult *Vicecomes de Appar. ad Missam.* nam ad læuam, hoc est, ad manum læuam, explicat *Innoc. III. lib. 1. cap. 43. vbi de Manipulo agit.* vide infra de Manipulo. Verum à sinistro humero ad latus dextrum, *ex Conc. Braccar. I. cap. 27.* vt ab actiua laboriosa ad contemplatiuam suauem transeat, *Honor. in Gemm. lib. 1. cap. 230.* vel, vt portet hinc iugum Domini in sinistra, id est, in præfenti vita, cum spe quietis futuræ in dextra, *Duran. lib. 2. cap. 9.*

Ceterum

Ceterum dextram Diaconi partem vult esse liberam, ob ministerium Altaris, *Concil. Toletan. IV. cap. 39.* quæ rationes etiam valent pro Casula com-

plicata ad modum Stola. Diaconus autem, cum induit stolam, osculetur Crucem quæ est in medio eius, *Carim. Episc. lib. 1. cap. 9.*

De præparatione Altaris, & ornamentorum eius. XX.

Altare, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse ^a lapideum, & ^o ab Episcopo consecratum: vel saltem ^p ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ ^q tam ampla sit, ut Hostiam, & maiorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur ^r tribus mappis, seu tabuleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem ^t benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus alijs brevioribus, vel una duplicata. ^v Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo, vel Officio conuenientis. Super Altare ^u collocetur Crux in medio, ^x & Candelabra saltem duo ^y cum candelis accensis hinc & inde in utroque eius latere. Ad Crucis pedem ponatur ^z Tabella Secretarum appellata. In cornu Epistola ^a cussinus supponendus Missali: & ab eadem parte Epistola ^b paratur cereus ad, eleuationem Sacramenti accendendus, ^c parua campanula, ^d ampullæ vitree vini & aquæ, cum pellicula ^e & manutergio mundo in fenestella, seu in parua mensa, ad hæc præparata. Super Altare ^f nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium vel ipsius Altaris ornatum non pertineat.

m. Altare.] Locus hic supponitur sacer, vel deputatus ab Episcopo, *cap. Nullus. de Consec. Dist. 1. ex S. Siluestro.* saltem sit benedictus, ritu proprio in *Rituale Romano Pauli V.* Non potest autem Episcopus deputare. Oratoria in domo priuata, *ex literis Cardinalis Lancellotti ad Episcopos datis nomine Pauli V. 10. Martij 1615.* ut ibi fiat Missa, *citatis à Scornia lib. 2. cap. 13.* imò ex *Concil. Trident. Sess. 22. de Obseru. & euitan. in sacr. Missa.* non tamen intelligitur domus priuata Palatium Episcopi, ut notauit *Carolus Episcop. Nouar. in Comment. Canon. ad cap. Missarum 13. de Consecr. Dist. 1.* in eo cum Cappella deputari potest

pro Missa celebranda. quòd si violeretur locus (*qua de re optime Suar. disp. 85. sect. 4.*) non potest ibi celebrari sine peccato, *Azor. lib. 10. c. 26. per totum.* Deducunt vocem hanc *Altare* ab altitudine *Festus, & aly*, quasi sit alta Ara, *VValaf. cap. 5.* vel alta res, *Gemma lib. 1. cap. 122.* vel ab alendo, quia igni Altaris addebatur alimentum, *Isidor. lib. 15. Orig. cap. 4.*

Patet Altaris vltus in Scripturis sacris, à Noë, qui primus ædificauit Altare; & in nouo Testamento, *1. Cor. 9. Hebr. 13.* Sixtus II. decreuit, ut Missa non fiat nisi in Altari, *Radul. Propos. 23.* & significat Primò mensam Domini, *Amalar. lib. 1. cap. 24.* Secundò,

cundò, Crucem, *Bern. de Cœna Domini*. Tertio, Christum, per quem Sacrificia acceptantur à Deo, *Gemma lib. 1. cap. 134*. Forma Corporis Christi est Altare, ait *Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 12*. idèd præminet in Ecclesia, vt Christus inter membra eius, *Rupert. lib. 5. cap. 30*. Gradus illius, virtutes sunt quibus ad Christum itur, *Hugo Vict. in Can. Missæ cap. 2*. Quarto, significat Ecclesiam spiritua-lem, cuius cornua sunt quatuor mundi plagæ, *Durand. lib. 1. cap. 2*.

n *Lapideum*.] Ex institutione S. Siluestri, de *Consecrat. Dist. 1. cap. Altaria*, ex *Conc. Hippon. cap. 6*. id est, prius hoc decreuit in Romana Ecclesia sanctus Silvester Papa, quod habes in Breuiario in Festo Dedicacionis Saluatoris: nam à Græcis factitatum esse prius, significat *Dionys. cap. 3. Eccles. Hierar.* ex lapide, quia Petra erat Christus, *1. Cor. 20*. nulum foramen habeat, ex *Actis Eccles. Mediol. ad designandam vndequaquè plenitudinem & integritatem Christi*, *S. Thom. 3. p. 9. 83. artic. 5*. Vacuum enim erat Hebræorum altare sine Christo.

o *Ab Episcopo consecratum*.] Ex *Dion. de Eccles. Hier. cap. 4*. ad indicandam gratiæ pinguedinem, ex *sancto Cypriano, Conc. Agat. de Consec. Dist. 1. cap. Altaria*. quod non fit (præter sanctum Chrisma, pinguedinis prædictæ symbolum) sine Reliquijs Sanctorum, ex Decreto Felicis I. apud *Radul. loco citato, & cap. Placuit. de Consec. Dist. 1. ex Concil. Africano*. Sunt autem hæc de substantia consecrationis, ex *Azor. lib. 10. cap. 27*. & debent esse Sanctorum ab Ecclesia approbatorum, vt respondit sacra Concilij Tridentini Congrega-

tio Episcopo Interamnenfi 13. *Sept. 1593. apud Piascium par. 1. cap. 5. num. 7*. etenim Christus, hoc est vnctus, appellatur, consecratus à Deo caput Sanctorum. Conuenienter autem, ait *S. August. Serm. 73. in Append. de Diuersis*, & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, vbi mors Domini quotidie celebratur; scilicet, vt qui propter mortem eius mortui fuerant, sub Sacramenti eius mysterio requiescant. Hæc ille.

Porro ab Episcopo est consecrandum, ex *Hormisda can. Nullus. de Consec. Dist. 1*. duratque consecratio vsque ad amotionem tabulæ, vel fractionem quomodocumque sigilli Reliquiarum. fusiùs *Suarez. disp. 181. sect. 5*. Illud est mirandum, quòd in *Prato spirituali legitur cap. 4. & 10*. dari à Deo Angelum custodem Altari consecrato.

p *Ara lapidea*.] Ara ab ariditate ex igne, *Seruius*: vel quasi area plana, vel ab ardore sic dicta, quòd in ea ardebant Sacrificia, *Gemma lib. 1. cap. 122*. vel Ara Græcè, precatio Latinè, *Vvalafr. cap. 5*. vbi addit, quòd imprecatio dicitur Antara. dicta fuit etiam Tabula itineraria ab *Ordine Romano*. Item Tabula Altaris, de *Consec. Distinct. 1. cap. Concedimus*, ex *Concilio Tribur. Antimense quoque, à Balsamone ad Concil. VI. can. 31. & à Nicephoro apud Belingerum lib. 3. cap. 30*. denique Viaticum, *cap. vlt. de Privileg. in 6. à Bonifacio VIII*.

Lapidea debet esse, vel inclusa, vel superposita tabulæ lignæ, vel alterius materiæ, *Azor. lib. 10. cap. 27. quest. 2*. Hic autem iubetur, vt sit inserta ad maiorem cautelam; sed tamen emineat aliquantulum, vt eius

cius limites à Sacerdote facile dignosci possint.

¶ *Tam ampla sit, &c.*] Intellige, vt commodè capiat ista tempore consecrationis Hostiæ & Calicis, *Siluest. verbo, Altare. num. 1.* Ante Concilium Maguntiacum, vnde sumptum est *cap. Concedimus (mendose Triburiensi datur)* circa annum 900. nulla est mentio Aræ, quoad nomen: res autem erat in vsu tempore persecutionum. & S. Ambrosius ea vltus est, celebrans in domo quadam priuata Romæ. eiusdem verò vsus nimis frequens compressus fuit in *Concil. Senonensi; & tandem in Concil. Mediol. IV.* decretum est, vt maiora saltem Altaria Ecclesiarum Parochialium consecrarentur. Hæc *Carol. Nouar. ad cap. Nullus Presb. 24. de Consec. Dist. 1.*

¶ *Tribus mappis.*] Vestendum est lineis Altare, ex Decreto Bonif. III. apud *Polidor. Virgil. lib. 5. cap. 6. & ex Conc. Rhem. apud Burchard. lib. 3. cap. 97. & ex S. Clemente Epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, siue ad alium, vt notat Bellarminus de Script. Eccles. cum Iacobus tunc obierit: & ad Simonem, qui dictus est frater Domini, directam eam fuisse, docet Senerinus Binius in Notis ad eandem in 1. Tom. Concil. ibi S. Clemens Pallam vocat Altaris vestem, quia Palla palam est & foris, teste *Varrone; & palliat sacra mysteria, ex Durando lib. 4. cap. 29.* Sindones etiã dicuntur in *Actis Mediol. Ecclesie.**

Quæ debent esse tres; vel ea ratione, quia in hac Rubrica indicitur; vel quia indicatur *de Consecr. Dist. 2. cap. Si per negligentiam, à Pio.* vbi fit mentio de effusione sanguinis vsque ad quartum linteum, incluso scilicet Corporali; & quia in honorem cedit sanctissimæ Trinitatis, *Angelus ver. Cor-*

porale, docet debere tres esse. Duplicatam vnã concedit Rubrica, vt sint tres. non ergo duæ, tuta conscientia, sufficiunt.

¶ *Benedictis.*] Nisi necessitas aliud suadeat, *Siluester ver. Benedictio. q. 5. Azor. lib. 10. cap. 28. quest. 8. imò Suarez. hac de re negat ius aliquod esse 3. p. disp. 81. sect. 6.* Benedictio tamen earum est in *Ordine Romano.* Vestes autem Altaris significant gloriam Sanctorum, quorum Reliquiæ ibidem sunt, *Gemmalib. 1. cap. 134. & 168. & Amalar. lib. 1. cap. 12.*

Obserua, quòd in *Carimon. Episcop.* sancitum est *lib. 1. cap. 12.* ne vllæ coronides lignæ circa Altaris angulos ducantur; sed earum loco apponi poterunt fasciæ ex auro vel ferico elaboratæ, quibus ipsa Altaris facies aptè redimita ornatio apparet: & verè coronides lignæ corrodunt etiam Planetas.

¶ *Pallio quoque ornetur.*] Pallium hoc, quod item à palliando dicitur, non solet benedici separatim ab alijs paramentis; nec in Rituali Pontificali extat propria benedictio. potest etiam sine eo celebrari, puta, si Altare est ornatum auro, vel lapide pretioso. Velum videtur appellari à *Clemen. Epist. 2.* nisi Calicis sit velum. in *Concil. Rhemensi apud Iuon. lib. 3. c. 97.* erat in vsu ad ornatum anterioris partis Altaris. Et palliorum auro contextorum est mentio apud *Anastaf. in Hormisda,* vbi & tabularum, quas pallijs aptius extendendis adiungimus. Significat autem pallium ornamentum virtutum in Christo, *Durand. lib. 1. cap. 2.* sicut eiusdem auriphrygium charitatem, *ibidem.* decet etiam habere in medio sui Crucem, *ex Fortunato lib. 2. Epist. 3.*

K

u Collo-

u Collocetur [Cruz, &c.] Ordo Rom. habet benedictionem Crucis. Meminit Crucis aureæ in Altari Beda lib. 2. Histor. Anglic. cap. 20. & Baronius anno 878. num. 43. Innocen. III. lib. 2. cap. 21. qui dicit, collocari Crucem in medio candelabrorum, quæ saltem sunt duo, quia Christus per Crucem fecit utraque vnum, Ephes. 2. negat autem esse de præcepto Suar. Crucem in Altari locandam in Missa, disp. 61. sect. 6.

Cruz certè in Altari est tamquam signum Regis in Regia, vt Passionis memoriale, & vt vestigia Crucifixi sequamur, Gemma lib. 1. cap. 135. idè in Cerimon. Episcop. lib. 2. cap. 12. monemur, vt locemus Crucem & cum imagine Crucifixi, & in Altaris medio, præaltam, ita vt pes Crucis æquet altitudinem candelabrorum, & Cruz ipsa tota candelabris superemineat. Mystica ratio est; quia Christus, etiam in cruce, maior est super omnes populos, significatos in candelabris.

Illud hoc loco quæri debet, An in Altari, in quo continuè in Tabernaculo immobili clausum sanctissimum asseruatur Sacramentum, collocanda sit Cruz cum Crucifixo in medio Altaris ante ipsum Tabernaculum? Cui quæstioni Romæ sapius agitata vt respondeam, præmitto, cum Cerimon. Episcop. lib. 1. cap. 12. maxime decere, vt ibi Missæ non celebrentur, quod antiquitus obseruatum esse testatur, & loquitur ibi etiam de Missis planis. Vide textum, & attentè lege. Quo casu si Cruz in eo non sit, non est contra Rubricam hanc, quæ expressè loquitur de Altari, in quo Missæ Sacrificiam faciendum est. Si verò ibidem sit celebrandum, quod non pro-

hibetur absolutè in Cerimon. loco citato, & non negat Missale infra tit. 2. num. 2. & tit. 4. num. 6. tunc est affirmandum, collocandam esse Crucem in hoc Altari. Primò, quia hæc Rubrica loquitur indefinitè de Altari vbi facienda est Missa, vt Sacerdos actu sibi reuocet in memoriam passionem Christi; quæ memoria magis ex Crucis aspectu quàm ex ipsa Eucharistia excitatur. Statutum enim idè est à SS. Patribus, ait Bonaneni. de Myster. Missæ, ne quisquam in aliquo loco Missam celebret, nisi ibi imago posita sit Crucifixi. Deinde non incongruit, figuram cum figurato adesse simul, quæ est potissima ratio Aduersationum: nam, facta consecratione Hostiæ, remanet Crucifixi imago in eadem Hostia simul cum Corpore Christi, & toto Christo. Tertio, in Missa solemnè ad hoc Altare celebrata iubetur Sacerdos infra tit. 4. num. 6. genuflectere, ob Sacramentum latens in Turri, seu Tabernaculo, antequam incipiat incensationem, quam certè profequetur ille, vt in eodem titulo num. 4. nimirum ter incensando Crucem: nam alioquin, remota Cruce, quid incensabit in medio? Non Crucem, quæ non esset ex suppositione; neque Sacramentum, quod laret: cui quidem genuflectimus, vt illud adoremus, sed illud incensare (Romano more) non solemus, nisi pateat apertè. Quarto, vsus multarum Ecclesiarum Orbis insigniorum est, vt ante prædictam Turrim, seu Tabernaculum immobile, collocetur Cruz in medio. Romæ non est in vna, vel altera, in eo Altari, vbi distribuitur populo sacra Synaxis; quia indicare volunt, ibidem non celebrari debere, iuxta monitionem suprâ allatam ex Cerimon. Episc.

Quintò,

Quintò, in ostiolo Tabernaculi immobilis solet etiam pingi imago Christi in Cruce, vel sedentis in Sepulchro: cur igitur potius depicta in ostio Tabernaculi, quàm separatim in Cruce ante ostium? Sextò, in Processione sanctissimi Sacramenti ante illud præcedit Crux cum Crucifixo: quæ ergo maior est ratio in Processione quàm in Altari? & præsertim cum in dicta Processione Sacramentum pateat, in Altari lateat in Tabernaculo clausum. Hanc quæstionem concludat Synodus Turonica II. sub Pelagio I. can. 3. quæ definit, quòd Corpus Domini in Altari sub Crucis titulo, non in armario (*legit Pamelius in Liturgis, non in imaginario ordine*) componatur, hoc est, ad basium Crucis in medio Altaris erectæ, vt explicat Duran. lib. 1. de Rit. cap. 16. seu in medietate Altaris sub Cruce, vt declarat Baronius Tom. 7. anno 570. quod hodie Romæ cernitur in Cappella Sixtiana sanctæ Mariæ Maioris, & sanctus Carolus iussit in Concilio Provinciali III. Instruct. supell. Eccles. libro 2.

Quæritur præterea, An in Altari, cuius Icon, seu Tabula picta, seu statua, est ipsamet Christi Crucifixi imago, debeat item collocari altera Crux cum imagine Crucifixi inter ipsa candelabra. Sed Rubrica nostra absque vlla limitatione inter candelabra Crucem præscribit generaliter; & ratio fauet, quia ob oculos Sacerdotis ea debet esse, tum ad orandum, tum ad eam incensandam, tum ad mysterium, ex Innocentio III. allatum supra, de Christo mediatore vtriusque populi.

x *Et Candelabra saltem duo.*] Idem Innocentius *ibid.* quibus significantur

populi, præsertim Iudaicus & Gentilis. De Candelabris sanctus Clemens Epistola 2. ad Iacobum, & Athanas. Epistola ad Orthodoxos. Melchiades Papa Decreto stabilivit hunc ritum apud Burchard. lib. 5. cap. 7.

Ait Rubrica, *saltem duo*, quia in solemnioribus Missis regulariter sex in recta linea debent adhiberi; quod conijcitur ex trina hinc inde altaris incensatione, prout (*ait Rubrica p. 2. tit. 4. num. 4.*) distribuuntur Candelabra: quatuor etiam in minùs solemnibus adhiberi solent pro dignitate Missarum, sed & plura quàm sex poni possunt, *ex tit. 4. p. 2. num. 5.* Mysticas rationes duorum luminum recenset Tobias noster de Sacris Templis part. 1. cap. 62.

y *Cum candelis accensis.*] Sub Telesphoro lumina fuisse ad Missam adhibita, scribit Auctor Breuiarij Chronolog. Tertull. meminit aduersus Valentinianos cap. 2. & 3. puto, ad litteram, quia in cryptis fiebat Missa. De his in cap. Litteras, de Celebratione Miss. ex Honorio III. Ordo item Romanus requirit lumen in Missa, in typum illius luminis, cuius Sacramenta conficimus, sine quo & in meridie palpabimus vt in nocte, *Micrologus cap. 11.* Lumen hoc significat etiam fidem populorum, quos, vt diximus, denotant Candelabra, *Innocent. III. vbi supra*; vel charitatem Christi in Sacrificio, ex Augustino Sermone 215. de Tempore: vel quia Christus vt ignis rubiginem peccatorum consumit, *Biel. lect. 13.* vel quia expectamus sponsum cum lumine, ex Hieron. Epist. 20. vel ad deuotionem excitandam, *Soto 4. dist. 13. quest. 2. artic. 4.* vel ad lætitiã, quam Sacramentum indicat, æternam, *Gemma lib. 1. cap. 118.*

An sufficiat vnicum lumen? concedit in necessitate *Azor. lib. 10. cap. 28. quest. 5.* & ex cera debet esse; vnde dicti fuere Ceroferarij. Cereorumque mentio est apud sanctos Patres, & præsertim indicat *S. Athan. Epist. ad Orthodoxos, cum Prudentio in Hymno de S. Laurentio.*

An verò possit adhiberi sebaceum ex leuo? negat *Suarez disp. 81. sect. 6.* concedit in necessitate *Azor. loco citato.* Caue tu à numero candelarum superstitioso, contra quem *Concil. Trident. Sess. 22.* & à numero ambizioso: nam in Missis priuatis, nisi aliud exigat ratio Festi, accendere quatuor candelas in Altari, non conuenire Vicarijs Generalibus, licet sint Protonotarij, sicuti nec eisdem ministrari à duobus Cappellanis, decreuit sacra Rituum Congregatio die 7. Augusti 1627.

z Tabella Secretarum.] Ad maiorem commoditatem hæc præscribitur, sicut etiam commodius est parasse in cornu Euangelij Tabellam, in qua legi possit Euangelium sancti Ioannis, *In principio,* quod in Tabella Secretarum scribi seu imprimi solet. Aliqui adhuc commodius parant ante Missam in cornu Epistolæ Tabellulam aliam, in qua legitur Psalm. *Lanabo inter innocentes, &c.*

a Cussinus.] De quo *Ordo Rom. & puluinar* appellat. rationem addit *Innocen. III. lib. 2. cap. 41.* Designatur, ait, in eo ministranda esse temporalia prædicanti verbum Dei; est enim ad quietem. *Hugo verò lib. 2. cap. 20.* significare docet cor tenerum audientis & prædicantis verbum Dei, quod continetur in Missali; non lapideum, vt Iudæorum.

b Paretur cereis.] Fortè ad hunc

vsu deferuiebant Canthari cerosati apud *Clem. Epist. 2. & Damas. in Siluestro.* & hic ideò iubetur poni in parte Epistolæ, quia minister in eadem parte genuflexus reperitur paulò ante consecrationem. Verum, ratione Festi solemnioris, poterunt etiam accendi duo cerei ad eleuationem in vtraque parte, ad excitandam magis circumstantium fidem, quæ lumen est: in cornu verò Epistolæ regulariter accenditur, quæ legem antiquam refert, lumen, inquam, obscurum, & sub cortice figurarum antiqui Testamenti latens tum Agni Paschalis, tum Mannæ, & eiusmodi. Si addatur alter in cornu Euangelij, designabit fidem clariorem tempore Euangelij; & ideò congruè in Festis solemnioribus accenditur. In signum denique adorationis accenduntur cerei, *Hieron. Epist. 20. ad Marcellam.*

c Parua campanula.] Tintinnabulum, clocha, sunt idem, *Duran. lib. 1. de Rit. cap. 22.* Extinnitu, tin, tin, dicitur tintinnabulum, ex *Hieronymo Magio de Tintinn. cap. 1.* qui & petasum, id est, ad formam galeri, & nolam, & codonem, & campanam, vult esse vnum & idem. Campanæ nomen habetur apud *S. Hieron. in Reg. Sanctimon.* vnde patet, ritum antiquiorem esse Sabiniano Papa. Ad excitandos circumstantes ad lætitiã exprimentam, & ad cultum sanctissimi Sacramenti adhibetur campanula. fusiùs *Amalar. lib. 3. cap. 1. & Rupert. lib. 1. cap. 16.* Sabinianus Papa dicitur statuisse pulsationem campanæ ad Horas Canonicas, *Durand. lib. 1. cap. 4.* nam ligna pulsabantur pro campanis in sæculo quo vixit *S. Anastasius Persa Mariyr.* circa annum

annum 610. ex *Septima Synodo. Act. 4.* apud Cæsaream in delatione Reliquiarum eiusdem sancti Anastasij. Vulgò fertur, Paulinum Nolanum Episcopum, nolarum, id est campanarum usum in Ecclesiam inuexisse, hoc est ad rem sacram: nam Gentiles ante Christum ijs vsi sunt, ex *Angelo Rocca de Campanis*; cui placet, Auctorem dici S. Paulinum coæuum sancto Hieronymo; & idèd à ciuitate Nolæ, & regione Campaniæ, dictas fuisse nolas, & campanas. eadem docet *Polydor. Virgil. de Inuent. lib. 3. cap. 18.* Meminit benedictionis campanarum *Alcuin. & Baron.* scribit de Ioanne XIII. campanam benedicente anno 968. lege eundem ad annum 615. Tomo 8. meminit campanarum in Cæna Domini *Ordo Rom.*

Ceterum misericordiam Dei annuntiant campanæ, vt olim Hebræorum tubæ clangentes. *Et erit recordatio vestri coram Domino, Numer. 10.* vnde & eos qui campanas pulsant, facris vult superpelliceis indui *Concilium Colonienſe p. 3. cap. 31.*

d *Ampullæ vitreæ.*] *Ordo Roman.* vocat amulas: nam amula est vas in quo vinum offertur, *Duran. lib. 1. cap. 7.* Alij cum aspiratione hamulam dicunt, ab hamis, de quibus etiam *Damasus in Vita sancti Marci Papa, & Anastas. in Siluestro;* quæ erant argenteæ. Erant quidem argenteæ; nunc autem vitreæ iubentur in Rubrica, ne contingat error in calice, ob densiorem materiam hamularum, qua difficile vinum dignoscitur ab aqua. Sunt autem hamæ vasa aquaria rotundioris formæ, & ventris globosioris, apud *Turnebum libro 19. Aduersar. cap. 22. ex Plinio.* Vides hic amulas ad usum vini, & aquæ: Ampullas appel-

lamus, quasi parum amplas, *VValafrid. cap. 24.* Vrceos dixit *Clemens Epist. 2. Vrceolos, Concil. Carthag. IV. cap. 5.* Gemelliones, *Ordo Romanus, Qualiter Missa celebretur,* vt explicat *Pannin. in Interpret. vocum obscurarum.* Amula tamen propriè vini est, scyphus aquæ, *Isidor. lib. 2. de Off. cap. 10.*

e *Et manutergio.*] Vocis & rei mentio est in *Concilio Carthaginensi IV. cap. 5. & apud Isidor. loco citato.* Rubrica designat locum manutergio, non supra calicem, quod minùs decet.

f *Nihil omnino ponatur.*] Non biretum Sacerdotis, siue in principio siue in fine Missæ, quod valdè indecens est; neque sudariolum ad emungendas nares, quod potius sub Planeta, vel à cingulo pendens ad dextram portandum erit: neque almutia celebrantis Canonici, vt videatur Canonicus: quæ omnia ad Sacrificium non spectant, neque ad ornatum Altaris.

Illud monendi sunt hoc loco Sacerdotes, cum de Altari sit sermo, quòd vbi celebrauit Episcopus proprius in sua diocesi, ea die ne ibidem faciant Missam sine eiusdem Episcopi licentia; quæ tacita sufficit, quando necessitas urget, ne perdant scilicet aliqui Missam; vel, si consecrandæ sint hostiæ pro infirmis, ex *Homobono nostro Tract. 4. quæst. 139. & alijs, quos citat.* non autem ex vi legis de Consecratione *Distinct. 2. cap. In Altari.* quia ibi loquitur textus de Missa cantata ab Episcopo; sed tum ex *Decreto Concilij Antisiodorensis cap. 10.* vbi apertissimè hoc iubetur, ne celebretur ibidem post Missam priuatam Episcopi; tum ex bona consuetudine Legum interprete; tum ex doctrinâ *Ang.*

Siluestri, Tabien. & Armill. ver. Altare. tum ex ratione Glossæ, ob honorem, inquit, qui Episcopo debetur. alicubi abrogatam esse hanc consuetudinem, tradit *Azor. lib. 10. cap. 27. quæst. 10.* sed eam nos ea qua decet reuerentia retineamus.

A fortiori ubique abstinendum erit à celebratione Missæ, ubi Papa eo die celebravit, cuius propria Diœcesis est totus Orbis. Idem fiat cum Legato à latere intra fines suæ legationis; cuius rei causâ ex prædictis patet.

Sciendum quoque est, in Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex priuilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus Festis) non posse in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annuntiatione, Assumptione beatæ Virginis, Festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum, ex Decreto sacræ Rituum Congregationis 17. *Novembris 1607.* quo declaratur magis Decretum *Concil. Agathen. cap. 21. de Consecration. Dist. 1. Si quis.* Ordinarij locorum optant, addi prædicto Festorum numero Festum Patroni principalis loci, quod est primæ classis & præcipui cultus in proprio loco; & meo iudicio, esset addendum ab ipsismet priuilegiatis, absque nouo Decreto in gratiam proprii Patroni principalis. Nominè Paschatis & Pentecostes, dies prima dumtaxat intelligitur ex communi sentu, vsu Romano, & modo loquendi, & ex Doctoribus in materia de Interdicto, *Siluest. Interdictum. 5. quæst. 2.* quare Feriæ sequentes non sunt exceptæ, licet sint solemniora Festa, quæ excludunt alia solemniora, etiam primæ classis; multò minùs excluduntur alij dies infra Octauas. De qua re

dubitauere nonnulli, ea moti ratione, quia Octaua reputatur dies vnus à Radulpho Tungrensi. quæ ratio non valet in omnibus.

In ijs item Oratorijs quæ separata sunt à domibus, in agro, prope domos priuatas, sicuti potest Episcopus celebrationem Missæ concedere; ita maximè decet, vt ea moderatione concedatur, qua fiat vnica tantùm Missa ibidem in die, & ad commoditatem certæ familiæ; nec in die Festo, nisi celebrata Missa Parochiali. quæ leges Bononiæ & alibi ritè obseruantur.

Addam in gratiam Regularium, quòd in Oratorijs, quæ sunt in domibus Religiosorum Priuilegia Societatis Iesu participantium, iuxta concessionem Gregorij XIII. si ea deputentur ad Missam celebrandam à Prouinciali, poterunt ibidem Sacerdotes alij non regulares celebrare, *Scortia cap. 13. lib. 2.*

Numquam in mari neque in flumine celebrari debet, ob periculum effusionis calicis. & est communis, *contra Duran. lib. 4. cap. 1.* Neque enim imitandi sunt Lusitani, quos defendit *Scortia loco citato num. 5.* exemplis historicis, quæ potiùs admirationem habent, quàm postulent imitationem.

Denique nihil refert, quo nomine vocentur, Oraculum, Cellala, Cappella; nam Oraculum vocat *Anastaf. in Leone IV.* Cellulam *Georgius Codinus in Constantinopoli apud Belingerum lib. 3. cap. 31.* Cappella fuit apud antiquos pia domus itineraria ex pellibus caprarum fabricata, & à pellibus his Cappellas, earumque custodes Cappellanos vocant. *Gemma verò lib. 1. cap. 128.* deducit

cit Cappellam à capeno, quod significat domum, ad quam confluunt pauperes pro recipienda eleëmofyna: quod verè congruit Cappellæ Ecclesiasticæ, in qua velut mendici oramus Deum. Addit *Duran. lib. 2. de Rit. cap. 9.* idem esse in Gallia apud rusticos cappam, & tugurium, quam Itali cappannam dicunt; & fortè inde duplici pp dicta est Cappella, quasi sit tugurium Deo minùs dignum. *Baronius in Notis Martyrolog. ad diem 11. Inny* docet, Cappellam, & cubiculum, de quo *Matthæi 6. Intra cubiculum tuum, & ora,* esse idem: Cubiculariosque SS. Petri & Pauli à sancto Leone constitutos, *ut dicitur in Brenario Romano,* fuisse Cappellanos. notat etiam Oratorium & Sacellum, minùs tamen propriè, idem significare; recentius autem Oratorium quàm Cubiculum appellatum esse, & Sacellum quàm Oratorium.

HActenus de Altari, ornamentis, & vsu eiusdem, iuxta Rubricam Missalis, quæ necessaria ad Missam celebrandam comprehendit, & ut ita dicam, substantialia. accidunt alia, quæ hoc loco tacere non debemus.

Nam Umbraculum, seu Baldachinum super Altare appendi conuenit forma quadrata, colore, vbi commodè fieri possit, conformi colori ceterorum paramentorum, pro temporum ac celebritatum varietate. Quòd si ciborium adsit super Altare ex lapide confectum, Umbraculum omitti potest. Hæc in *Carimon. Episcop. lib. 1. cap. 12.*

Tabernaculum, in quo assiduè diuinissima seruatur Eucharistia, conopeoseo, vel similis materiæ, vestiri

debet, eius item coloris cuius est Altaris pallium: quamquam pro colore nigro violaceus congruentior erit in honorem Christi viuentis. quod probabimus *infra 4. par. tit. de Feria quinta in Cæna Domini.*

Vasa quoque sacratum Reliquiarum exponi solent hinc inde, vel inter candelabra, *ut in Cerimoniali Episcop. loco citato,* vel in gradu superiori. Qua in re cauendum illud erit, ne vniquam supra locum Sacramenti, præsertim si exponatur populo pro oratione publica, ea vasa collocentur. decet enim sedere Dominum in altiori loco supra seruos suos, sicuti diximus de Cruce præalta super ipsa candelabra.

In Festis solemnioribus plura candelabra debent apponi, non tamen vltra sex, in linea recta, etiam in Missa solemnè, non Pontificali: quæ neque omnino æqualia erunt, sed ab utroque Altaris latere surgent, ita ut ex eis altiora sint immediatè prope Crucem. In Festis autem minùs solemnibus pauciora, saltem quatuor apponenda forent, ut supra diximus.

Floribus item, & exquisitis quibusdam ramulis, aptè & concinnè dispositis, seu veris, seu fictis, pro temporum varietate, siue in vasculis elegantibus, siue alia ratione, ornari poterunt Altaria, exemplo Nepotiani, quem hac de re perhonorificè S. Hieronymus commendat.

Gradus Altarium vestiri poterunt tapetibus, & præsertim suppedaneum illud, quod proximum est Altari, super omnes gradus: in eoque arcula apponi posset, ad sputum excipiendum, à latere Euangelij, ne fœdetur suppedaneum, tapetève, aut pauimentum circum Altare.

Lampa-

Lampadem ardere ante vnumquodque Altare, plures ante Altare maius, suadet auctoritas *Cerimonial. Episcop. loco citato.*

Telis stragulis Altaria conegi decet, finitis Missis; & ante Missas, detractis stragulis, mappæ ipsæ detegendæ forent scopulis ad id tantum paratis, vt mundissimæ semper appareant. ita sanctus Carolus in Regulis & instructionibus de nitore & munditia Ecclesiarum; quas ad verbum compositas à Carolo à Basilica Petri, Præposito tunc Generali nostro,

& ad vsum Congregationis nostræ editas, transtulit ille sanctus ac pius Vir in Acta Ecclesiæ suæ Mediolanensis, ad totius Ecclesiæ vtilitatem & splendorem.

Denique sepimento Altaria munda conseruantur, quo arcentur & laici, ne Altaribus inhæreant indecorè. Alia, quæ ad nitorem & munditiam totius supellestilis prædictæ ad Altaris vsum spectant, dabimus infra, & debitas cuiusque rei mensuras. Atque hic esto finis Rubricarum primæ Partis,



81
COMMENTARIA
IN RVBRICAS
MISSALIS ROMANI.

PARS SECVNDA.

Ritus seruandus in celebratione Missæ.



ALTEA pars Rubricarum generalium in duo capita diuiditur, quorum alterum ea complectitur, quæ ad integram & accuratam Missæ celebrationem spectant,

nempe Ritus, & Cærimonias: alterum ea continet quæ scitu sunt necessaria, ne malè celebratio fiat, videlicet Defectus occurrentes; quibus & adhibentur remedia. Sufficiens ergo huius Partis est diuisio, vt ritè semper & malè numquam celebretur.

De præparatione Sacerdotis celebraturi. I.

¹ **A**cerdos celebraturus Missam, præuia Confessione sacramentali, quando opus est, & saltem ^b Matutino cū Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, & ^c Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliq̃, ad celebrationem necessaria habentur: ^d accipit Missale, perquirat Missam, perlegit, & signacula ordinat ad ea quæ dicturus est. Postea ^e lauat manus, dicens Orationem inferius positam. Deinde ^f præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul ^g cum Patena itidem inaurata, ^h ab Episcopo consecratus: super eius os ⁱ ponit Purificatorium mundum, & super illud Patenam ^l cum Hostia integra, quam leuiter extergit, si opus est, à fragmentis, & eam tegit ^m parua Palla linea, ⁿ tum Velo serico: super velo ponit ^o Bursam coloris paramentorum, intus habentem ^p Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem, ^q simul cum Palla benedictum.

L a Sacer-

a *Sacerdos.*] Ita dictus est quasi sacra dans, vel sacra dos, id est, ipsamet sanctitas, vel sacer dux, vel sacra docens: nam docere debet verbo, ducere exemplo, sanctus esse, & sacra alijs dare, vt sancti fiant.

De confessione Sacramentali dicemus infra, cum de defectibus animæ. Hoc loco monebo tantum, ne Sacerdos indutus Sacerdotalibus indumentis confiteatur, sed antequam ea vestiat: hoc enim magis decet, quod & notauit *Didacus Murilius in Scala spirituali p. 1. lib. 3. cap. 13.*

b *Matutino cum Laudibus.*] Missam ante Matutinum ne præsumamus dicere, apertè his ipsis verbis vetuit *Innocen. IV. ad Episc. Tuscul. can. 11.* Recenset *Barbosa de Potest. Episc. p. 2. alleg. 24. num. 15.* auctores viginti, quos ipse sequitur, negantes, esse peccatum mortale, celebrare Missam ante Matutinum; & ibidem numerat alios decem & nouem, quibus addi debet *Francol. de Tempore Hor. Canon. cap. 42.* affirmantes esse peccatum mortale; inter quos duo Sancti numerantur, S. Antoninus, & S. Raymundus. excusat autem iusta causa, *Silu. v. Missa 1. quest. 6.* Quid facies, pie Lector, in re tam dubia, in qua totidem sunt hinc inde auctores, pro affirmatiua sanctiores; præterea verò duo summi Pontifices, *Innocentius IV.* & *Pius V.* qui collocauit hunc inter defectus grauiores *tit. 10. de Defectibus num. 1.* inter eos defectus, qui de communi Doctorum sententia non accidunt sine culpa mortali de suo genere? Ego certè tutiorem, quæ in Rubrica est, sequor libentiùs sententiam.

c *Orationes inferius positas.*] Scilicet Antiphonam, *Ne reminiscaris;* quæ in Duplicibus duplicatur; & pariter

ante eas Missas quæ ritu Duplici celebrantur, hoc est, cum vnica Oratione, siue sit Votiuua pro re graui, siue pro Defunctis (quamquam pro Defunctis omitti possunt Antiphona & Psalmi, vt dicemus infra) & tempore Paschali additur *Alleluia.* Psalmos quinque habes cum Orationibus, *Quam dilecta tabernacula,* &c. de quibus mentio est apud *Microlog. cap. 1. & 23.* vt interius, inquit, & exterius Sacerdos summo Sacerdoti placere valeat. Addit *Innocen. III. lib. 1. cap. 47.* vt quidquid immundum quinque sensuum transgressione commisit Sacerdos, quinque Psalmorum oratione detergat: quædam enim continentur in ipsis, quæ rectè conueniunt celebraturis Missam, vt legenti patet. eisdem hoc loco instituit *Cælestinus I. ex Duran. lib. 4. cap. 2.* *Microlog.* vnã tantum Orationem pro peccatis nouit, *Innocentius III.* plures, quæ, inquit, manifestè pertinent ad impetrandam cordis & corporis munditiam, & munimen. ex quo conijcio, de iisdem Orationibus eum loqui, quæ apud nos sunt in vsu. Numero sunt septem, iuxta numerum petitionum Orationis Dominicæ, ad septiformem gratiam Spiritus sancti obtinendam. Has ego legi in *Missali M. S. Vaticano ante 300. annos scripto, volum. 4743.* Oratio, *Conscientias,* est Ambrosiana, ex *Pamelio, in Sabbato Domin. 5. Aduen. Ambrosiano more.* Septem autem versus præcedentes respondent iisdem septem Orationibus. Cum autem habeatur in titulo & Rubrica, *Pro temporis opportunitate,* inde patet, nullum esse peccatum, si celebraturus eas omittat: & communiùs omittantur ij Psalmi à Sacerdotibus.

d *Accipit Missale.*] Nec sicut librorum
Missæ.

Missæ celebranda est; aliàs grauitèr peccatur, *Nauar. cap. 25. num. 85. Azor. lib. 10. cap. 29. quest. 4.* Neque aliud Missale, nisi Pij Quinti, adhiberi potest à Romanis, ex eiusdem Pij Bulla. Conuestitur Missale ab accuratioribus proprio integumento coloris Missæ conuenientis, tum ad decorem, tum ad reuerentiam in eo contentorum. Quod autem hoc loco iubetur, vt perlegatur Missa, siue prælegatur, eo sine dicitur, vt, si mutanda sit Oratio, maxime secreta, quæ sit eadem cum alia, puta commemoratio- nis & Festi, opportunè mutationi sit prouisum; & præterea ne accidat error in prolatione verborum, cum scanda- lo auditorum.

e. *Lauat manus.*] Vt spiritualiter mundet actus, *Innocent. III. lib. 1. cap. 49.* & propter reuerentiam tanti Sacramenti, *Duran. supra cap. 3.*

f. *Preparat Calicem.*] Calix à voce Græca *καλίξ*, ex *Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 2.* ab aqua calida dictus, vt aiunt *Varro lib. 4. Latin. lin. & Festus lib. 3.* quam vino mixtam habebant veteres in deliciis, vt *Persius docet.* Vel ab alia voce Græca *χαλδόν*, quæ lignum significat, *Isid. lib. 20. Orig. cap. 5.* nam ex ligno, aut, fiebant calices. Porrò in Calice argenteo consecrassè dicitur Christus à *Baronio, ex Beda, anno 34. nu. 63.* Vereor tamen, ne Calix hic, in quo, vt narrat idem *Beda*, seruatùr spongia potus aceti ministra, & habet duas an- las hinc inde, adhibitus fuerit potius ad potandum Christum felle & aceto, quam ad vltimam cœnam. Valen- tiæ venerantur Calicem lapideum alium pretiosum ex *Agatha*, quam vocant, quo dicunt vsum fuisse Christum in vltima Cœna. *Lege Carthagenam de Euchar. Homil. 26. Αχαθόν* Latine

bonum: & quid bonum eius, nisi vi- num huius Calicis germinans Virgi- nis? *Zachar. 9.* inde mos inoleuit, quòd non in alio vase quàm in Cali- ce Sanguis consecrètur, ex *Pascha- sio de Sanguine & Corpore Domini cap. 20.* Vasculum dixerè Patres *Con- cil. Tribur. cap. 18.* Vas mysticum, *Synesius Constit. 2.* Poculum, *Cle- mens lib. 8. Constit. cap. 15.* Poculum sanctum, *Nazian. Orat. 25.*

Ligneos autem adhibuere Calices Apostoli, *Honor. in Gemma lib. 1. c. 89.* deinde vitrei decreti sunt à *Zephyri- no, apud Damasum in eius Vita: & Cali- cem vitreum fractum à sancto Do- nato Aretino restitutum habes in lib. 1. Dial. S. Greg. cap. 7.* Sed & tunc tem- poris argentei erant in vsu apud ali- quos, vt notat *Baron. in Notis Mar- tyrol. 7. Augusti, ex August. Epist. 165.* *Urbanus* argenteos & aureos instituit, *de Consecr. Dist. 1. cap. Vasa. ex Concil. Triburiensi cap. 18.* non ex ære neque auricalcho fiant, ne ærugo generetur, neque vomitus prouocetur; potius ex stanno, *ead. Dist. cap. Vt Calix. ex Conc. Rhemensis cap. 6.*

Octo angulis formabantur, ex *Pru- dentio apud Bulengerum lib. 2. cap. 20.* imaginibus etiam decorabantur, quos effigiatos historia pastoris & ouis do- cet, *Tertull. de Pudicit. cap. 7. & 10.* & Imaginatos Calices ideò appellat *S. Remigius* in suo testamento, quid? idem interripit in Calice proprium nomen citra vanitatem, *apud Surium Tom. 1. Calicem verò gemmatum mi- sit Epiphanius Constantinopolim ad Hormisdam. vnde etiam in Ord. Rom. paratoria dantur, id est, capsæ ad Cali- ces recondendos. Solebat (quod do- leo) dicere S. Bonifacius Martyr, & Episcopus Ultraiectensis: Quondam*

aurei Sacerdotes utebantur ligneis Calicibus, nunc lignei Sacerdotes aureis Calicibus, *VValafr. Strabo cap. 24.*
& in cap. Vasa.

g *Cum Patena.*] Patena, seu patina; vox tamen prima est frequentior. Discus in *Liturgia S. Iacobi* appellatur. A patendo est dicta, *Amal. lib. 3. cap. 27.* vel quia patula est, *VValaf. cap. 24.* vel quia dispersis patentibusque oris sit, *Isidor. lib. 20. Orig. cap. 4.* Patenæ verò eiusdem fuere materiæ cum Calicibus. Forma earumdem nunc multò minor quàm antiquarum: nam erant apud *Damasum in Vita S. Siluest.* ponderis quindecim vel triginta librarum, cum multi in Missa communicarent. Patena adhibita tunc temporis pro Pixide.

h *Ab Episcopo consecratus.*] Habetur consecratio hæc in *Ordine Romano*; & durat consecratio, donec frangatur, vel intus de nouo auro liniatur, *Suar. disp. 81. sec. 7.* idcirco Calix & Patena vocantur vasa sacra à *Sixto de Consec. Dist. 1. cap. In Sancta.* & vngi Calicem expressè iussit *Siluester, ex Innoc. III. in Epist. decret.* Hinc fit, quòd non omnibus licet hæc vasa tangere. non licuit Subdiaconis ante Concilium Laodicenum, vbi *cap. 21.* iisdem interdicitur eorum contactus. fuit concessus in *Braccar. 1. cap. 28.* inferioribus autem alijs negatus in *Conc. Rom. II. cap. 9.* nisi mappula adhibita, *iuxta Ordinem Rom.* An verò sub mortali? negat *Bonac. disp. 4. quæst. ult. pun. 9. num. 20.*

i *Ponit Purificatorium.*] Neque nomen Purificatorij, neque rem apud antiquos de ritibus Scriptores inueni. *Duran. lib. 4. cap. 55.* perfusionem digitorum appellat purificationem; & inde Purificatorium ad extergen-

dum digitos perfusos, & Calicem, dictum esse patet. *Burchard.* vocat Purificatorium.

Quærent, An sit benedicendum; negat *Suarez 3. p. disput. 81. sec. 8. Quarto.* nec in Ritualibus inuenitur benedictio propria, sicuti neque Veli, neque *Bursæ Corporalis*, de quibus statim dicemus. Ratio esse potest, quia sine his videbatur Sacrificium non incommodè fieri posse. utebantur enim paruis mantilibus à Manipulo diuersis, ad tergendas manus, & mappulis quibusdam, *ex Beda in Collect. de Septem Ordinibus*, quas & tenebant manibus, *ex Duran. lib. 3. cap. 6.* sed decentius fit, proprium adhibendo Purificatorium; quod vt ab alijs lineis pannis ad tergendas manus dignoscatur, conuenit, vt in medio illius pingatur Crux, vt in *Concilio Prouinciali III. Mediol. in Instrucl. supell. lib. 2. fuit decretum.*

l *Cum Hostia.*] De hac plenius & commodius infra *tit. 7. num. 1.*

m *Parua Palla lineæ.*] Ad differentiam Corporalis, quod & Palla dicebatur, *can. Sacratas. Dist. 23. ex Soter.* nam erat Corporale magna Palla; Palla verò à palliando, *Duran. lib. 4. c. 29.* vestimentique genus est, *ex Basilio de Re vestiaria c. 13.* Ceterùm *Innoc. III. lib. 2. cap. 56.* eam distinguit à Corporali, quatenus Calicem tegit. antiquitus enim Corporale quoque tegebatur Calicem altera sui parte, *ibidem.* S. Anselmus antiquior in *libro de Diuers. Sacram.* putat tutius, quòd Calix operiatur, ne aliquid indecens in illum cadat. Ergo eo tempore Palla fuit in vsu apud aliquos; quia non præcipit, sed suadet Anselmus, quod est tutius, geritque vicem Corporalis, sed diuisi. Quare & eiusdem materiæ debet esse, cuius est Corporale, de quo paulò post

pòst dicemus. Cur autem vulgò Anima vocatur? Auctor Græcus, in *Liturgia quadam cit. à Vicecomite lib. 7. cap. 5.* eam vocat Pſychian; & pſychi ſignificat animam: vel quia intra Corporale plicatum aſſeruat, quaſi anima intra corpus.

Qui duplicem adhibent Pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hoſtia, approbante, vt aiunt, Summo Pontifice, non ſunt reprehendendi: non tamen imitandi ſunt ab alijs ſine Pontificia facultate. Eſſet enim additio ritus, quæ eſt à Pio V. prohibita.

n *Tum Velo ſerico.*] De hoc antiqui, *Clem. can. 72.* vbi quia lauari iubetur, è lino conijcitur fuiſſe. Pepli ſudarij, vel aëris, quo operiuntur ſancta, meminit *Chryſoſt. in Liturgia.* vocat *S. Germanus in Theoria Velamen, & Velamentum;* & ſignificare docet aërem tenebroſum noctis paſſionis Domini, ſeu lapidem monumenti. Sericea Vela donata fuerunt Hormiſdæ ab Epiphania cum Calice gemmato, de quo ſuprà, vt in *Epift. 1. Hormiſdæ:* & benedicti ſolita cum alijs veſtibus puto, quia in *can. cit. 72.* ſanctificata dicuntur. Docet *Amalar. Præfat. 2. ad lib. de Eccleſ. Offic.* apud Romanos Calicem inuolutum ſudario ad Altare porrigi: Velumque inde dicitur, quia velando Calicem, eiufdem etiam velata eſſe myſteria ſignat. *Victorinus Premoſus in Memor. Cleric. p. 3. cap. 7.* numerat Velum hoc inter alia neceſſaria ſub mortali, nullo Auctore, nulla ratione allata, quod non placet, ex dictis ſuprà, cum de Purificatorio ageremus.

o *Burſam.*] Peram vocat *Chronicum Moguntin.* ſed Burſam *Burchard.* conueniuntque vt Crucem in medio habeat, vt mos eſt. Non videtur in vſu

fuiſſe ante Concilium Rhemenſe, in quo *cap. 5.* iubetur, recondi Corporale ſimul cum libro, ſeu cum Calice: quæ verò pars eius aperta eſt, in hoc caſu celebrantem reſpiciat, velo anteriori ſuper eam reuoluto, vt Calix commodiùs deferri queat à Sacerdote ad Altare. Intra quam Burſam (aliàs ſuperflua Burſa eſt) omnino recludatur Corporale (neque gratis diſtinguas, vtrum plures, an pauciores in Eccleſia dicantur Miſſæ) vt cautiùs & decentiùs Corporale deferatur. Pius V. diſpenſauit cum Hiſpanis, vt extra Burſam Corporale portari queat, ex *Hier. Cantono in ſuo Ordinario Diuin. Offic.* Vereor ergo, ne pigeat aliquos educere Corporale de Burſa: & quid, ſi in via in terram cadat?

p *Corporale plicatum.*] Palla dicitur à *Clem. Epift. 2. ad Iacobum.* Sindon ab *Iſid. Peleſ. lib. 1. cap. 123.* Palla Corporalis in *Ord. Roman. tit. de Pallio.* Corporale verò dicitur, quia in eo ponitur Corpus Chriſti, *Alcuin. c. 2. de Celebrat. Miſſ.* cuiusque auctor eſt Eufebius Papa ante Silueſtram, quem communiter auctorem dicunt. *lege Burchard. lib. 3. Decr. cap. 99.* Sixtum auctorem facit *Polyd. Virg. lib. 6. c. 12.*

Ex lino debet eſſe, *cap. Conſulto. de Conſecrat. Diſtinct. 1. ex Epift. Eufeb. & Silu.* quia ſindonem Chriſti repræſentat, *ibidem.* Ex cannabe fieri poſſe, concedit *Azor. lib. 10. cap. 28. quaſt. 8.* neque debet miſceri alia materia etiam pretioſiore, ex *Concil. Rhemen. cap. 3.* ſed hoc intellige in interiori parte ſam Corporalis quàm Pallæ parua: nam in illius extima & Pallæ ſuperiori parte potèſt ſericum & aurum addi, vt ait *Suarez 3. par. diſput. 81. ſect. 6.* nunc, Ara breuiori facta, breuius etiam eſt Corporale quàm apud antiquos.

Quod attinet ad plicaturam Corporalis, docet *Alcuin. loco citat.* ita plicandum esse, ut nec initium nec finis appareat, quod & hodie obseruatur ab accuratioribus in Ecclesiastica disciplina: quia, *inquit*, Corporale significat lintheamina, & fudarium, præsertim capitis Christi. Cùm autem caput Christi sit Deus, qui nec initium habet nec finem; eadem, ut in Corporali sacra palla pallientur, & abscondantur, quàm maximè decet.

¶ *Simul cum Palla benedictum.*] *Cap. Consulto. de Consecr. Dist. 1.* neque benedicitur Palla separatim; quia est vnum quid & veluti pars Corporalis; nec in Pontificali datur distincta benedictio, vnde & eodem cultu ve-

neranda sunt, & adeò, ut non modò non tangenda sint à laicis, nec à sacerdotibus feminis, *can. Sacratas. Dist. 23. ex Sotero, ut Damascius ait, non ex Sixto, ut ait Platina*, sed neque lauanda ea sint in communi vase, ut statuit sanctus Clemens, & in *Ordine Romano* habetur eiusdem Decretum. Possunt quidem Corporalia tangi post eorundem benedictionem & lotionem, sed non post vsum: neque post lotionem iterùm debet benedici, *Silu. ver. Corporalia*. Si verò immunda adhibeantur notabiliter, peccatum mortale est, *Emman. Sà ver. Sacra. num. 5. & est communis*. De eorundem verò vitio contactu, an sit peccatum mortale, dic vt suprà de Calice.

2 *Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera aut scissa, sed integra, & decenter munda ac pulchra, & ab Episcopo item, vel alio facultatem habente benedicta: calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; induit se, si sit Prælati secularis, supra Rocchettum; si sit Prælati regularis, vel alius Sacerdos secularis, supra superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.*

Paramenta non debent poni in Altari, in quo Missa est facienda, nisi pro solis Episcopis & Cardinalibus, vt decreuit S. Rituum Congregatio die 7. Iuly 1612. Deficiente verò Sacrificiâ, aut mensa separata, si in casu necessitatis ponantur in Altari, innumquam tamen in medio, sed in cornu Euangelij collocentur.

Birretum deponens Sacerdos, vt paramenta induat, ne illud super Missale deponat, neque super Calicem. Scopis item se purget, & mundet à puluere.

¶ *Non debent esse lacera.*] Si figura paramenti destruitur, vel inepta sit ad vsum sacrum, amittitur quoque benedictio, *arg. c. Quod in dubys. de Consecrat. Eccles. vel Alt. ex Suarez 3. par. disp. 82. sect. 2.* Cingulum ergo nondum ruptum potest nodo reparari: quòd si rumpatur, altera quidem parte poteris vti, non autem toto per nodum refarcitò sine noua benedictione, quia forma amissa est. Et nota, quòd ligamina, quibus verè te cingis, sunt magis de forma Cinguli, quam illæ eiusdem partes, quæ pendent versus terram;

ram; vt feias ferre iudicium de eodem iterum benedicendo.

f *Et decenter munda.*] Lethale peccatum admitti docet *Siluest. ver. Missa 1. quest. 2. §. 3.* si enormiter quis cum immundis celebret paramentis. lauanda verò sunt in proprio vase, *ex Conc. Ilerden. can. 4. de Consecr. d. 4. cap. Omnis.*

r *Ab Episcopo benedieta.*] Sacra vocat, hoc est, benedieta indumenta, ante alios primus *S. Anacletus Papa Epist. 2. tum Soterus Epist. 2.* deinde Sacrata dicta sunt, *cap. Vestimenta. de Conf. Dist. 1. ex Stephano.* quod autem docet *Nauar. in Man. c. 25. num. 84.* de vestibus, intelligitur etiam de Cingulo, contra *Scotum 4. d. 13. q. 2.* An verò benedictio vestium præcipitur sub mortali? affirmat *Nau.* & habentur in *Ord. Romano* etiam Cingulorum benedictiones omnium vestium Sacerdotalium.

Quod autem ab Episcopo sint benedicenda, docet expressè *Innoc. III. lib. 1. Myst. Missa cap. 9.* & addunt Doctores, benedictionem hanc esse ordinis Episcopalis, non iurisdictionis, quam idcirco Episcopus alijs delegare non potest sine facultate Papæ.

u *Vel alio facultatem habente.*] Hac de re dicemus infra in proprio loco circa finem Missalis; vbi de paramentorum benedictionibus.

x *Calceatus pedibus.*] Præceptum volunt esse *Silu. ver. Missa. & Sotus 4. dist. 13. quest. 2.* sed non nisi ad maiorem honestatem & decentiam hoc præscribi notat *Suarez 3. p. dist. 82. sect. 3.* Ordo Rom. *de Parasceue:* Non licet, inquit, Presbyterum, Diaconum, vel Acolythum ad Altare ministrare per nudos pedes. Et *Exod. 13.* cum calceamentis edebatur Agnus, quo signi-

ficatur asperitas vitæ, *ex Nazianz. Orat. 42.* & promptitudo ad omnia, *ex Esaiæ Abb. Tract. 22.* Laudandi verò sunt Clerici Regulares nostri, qui in Sacristia deponunt etiam communes crepidas, seu calceos, & alias ibidem ad id paratas crepidas induunt, ad maiorem nitorem & sacri ministerij splendorem.

y *Saltem talum pedis.*] Vestis Clericorum erat antiquitus etiam talaris; vnde & vocabatur Caracalla, *Beda testante de Gestis Angl. lib. 1. cap. 7.* & eum exponente *Baronio anno 303.* In clericis peregrinis & rusticanis tolerandæ videntur breuiiores vestes, non tamen supra medium crus, *Homob. Tract. 4. quest. 145.*

Vestis autem & tonsura sunt sibi inuicem correlatiua, de qua *Dion. Eccles. Hierar. p. 2. cap. 3.* & *Baronius anno 58. num. 13.* Extrat Bulla Sixti V. contra non ferentes habitum & tonsuram, grauiissimis impositis pœnis. Significat tonsura abiectionem terrenarum cogitationum, *Augustin. lib. de Contemptu saculi;* tum vitiorum resecationem, *Steph. Eduen. in Prol. lib. de Sacram. Altaris;* tum regiam Sacerdotis dignitatem, *Isid. lib. 2. de Offic. cap. 4.* tum coronam Christi spineam, quam peccatores denotant, portandam à Sacerdote, *S. German. in Theoria.* De hac *Ezech. 16. vt legit Hier.* Coronam grauiarum suscipiet vertex tuus. Concilium autem Palentinum sub Urbano VI. definiuit, coronam Sacerdotis esse debere ad mensuram maioris Hostiæ; Toletanum IV. coronam clerici ad mensuram minoris Hostiæ, ergo Diaconorum & Subdiaconorum erit formæ mediæ.

z *Rocchetto.*] Dicebatur Linea, quia ex lino, in *Ordine Romano;* & quidem

dem hoc ordine numerantur ibi vestes Pontificis, Linea, Amictus, Linea Dalmatica (quā *ibidem* vocat Albam) Cingulum, Dalmatica, Orarium, Stola, & Planeta. ergo Linea Pontificis ante Amictum Rocchettum erat. Remanfit in Linea S. Cyprianus prope martyrium, ex Pontio, hoc est, in Rocchetto, ait *Baron. anno 261.* alij explicant in Alba; sed assentior Baronio. quod si verum est, adhuc habes antiquiorem Lineæ seu Rocchetti vsum apud Adonem in *Martyrolog. 26. Nouemb.* vbi S. Alexander Episcopus & martyr sub Antonino dicitur suscepisse gladium stans in Linea: quo ferè loquendi modo vtitur Pontius in S. Cypriani morte. Nomen est nouum, cuius synonymum est *Riecha apud Crassum lib. 1. cap. 21.* Gallica profectò vox, Auenione fortè, cum degerent ibidem Summi Pontifices, introducta: nam in Calepini Dictionario septem linguarum Latina vox *Supparus* Gallicè sic vertitur, *Roquet.* *Supparus* autem, ex *Varrone lib. 4. de Lat. lingua,* dictus est, quod supra induatur, sicut subucula, quod induatur subtus. Ignatius Braecius vocem à Græco deducit idiomate; Primò, vt simplex vocabulum, à *ῥίον*. quod, vt vetera Lexica testantur, corymbi sunt ornatus gratia Sacerdotum stolis annexi; arque ita dicti, ob mali punici similitudinem. Limbus autem Rocchetti lineis corymbis, aut alio simili artificio acu pingi solet. Deinde, vt vocabulum compositum ex *ῥά* & *χίτων*: siquidem *ῥά* particula molle & delicatum significat, vt *magnus ait Etymologus*: *χίτων* tunicam significat, ex eodem, & præcipuè lineam; ita vt *Rochiton* Græcis sit, Latinis tunica mollior & delicatior. Idem ab Hebræo de-

duci posse docet, à verbo *Rah*, quod est spectare, intueri, & à nomine *Chetan*, quod est lineum. qua ratione Rocchettum esset linum spectabile, seu vestis-linea speciosa. Hæc ille argutè. Manicas habet angustiores, vt ad opera bona manus sint expeditiores: in ceteris significatione communem habet cum Superpelliceo, de quo statim scribo.

[*Superpellicenum.*] Antiquitus induebatur hæc vestis supra tunicas pelliceas, de pellibus animalium factas, *Durand. lib. 3. cap. 1.* ad indicandam innocentiã supra peccatum Adæ, quem vestiuit Deus tunica pellicea; ideoque coloris albi est hæc vestis. Meminit *S. Hieron. lib. 1. adu. Pelag.* candidæ vestis ad vsum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliqui ordinis Ecclesiastici in administratione Sacramentorum: quæ verò alia inferiori Clero potuit esse communis vestis, nisi Superpelliceu? Est item laxa, quia clericalis vita debet esse in eleëmolyntis larga, *Gemm. lib. 1. cap. 232.* Induitur supra communes vestes, quia charitas operit multitudinem peccatorum: & habet formam Crucis, vt passionis Christi vestigia imitetur Ecclesiasticus, *Durand. loco citato.* qui & *cap. sequenti* in Superpelliceo, veste prima ante Amictum, intelligit fidem.

Sed vnde *Cotta* dicitur? *Hetrusci* vocant *Cottam*, quam vestem & togam Latini appellant. *Ioachimus Perionius de Lingua Gallica cum Græca cognatione lib. 3.* vocabulum Gallicum *cotte* à Græca voce *χίτων* deducit, quæ tuniculam significat, mutatisque inter se litteris duabus, factum esse ait *Cothinium.* *χίτων* autem est diminutiuum à *χίτων*, de quo diximus supra, cum de Rocchetto. *Pagninus in Enchi-*

Enchiridio ait, *Chitam* vel *Chetan*, significare linum, vnde & *Chituna*, id est tunica linea; quamquam *Angelus Caninius* putat, hæc Punica potius esse vocabula quam Hebræa. *Ignatius Braccius* addit, non incongruè à *Cottis*, quod apud *Dores* caput significat, ex *Rodig. lib. 7. cap. 23.* *Cortam* dici posse, eò quòd in eam caput primò inferatur, mox reliquo corpore velato, solum ferè caput ex ea conspiciatur exertum. Extendebatur vltra medias tibias *Superpellicium* clericale, *Concil. Basilien. sess. 21.* & *Camisia* idèd dicta est à *Codino de Officijs Constantinopolitanis*, apud *Buleng. lib. 2. cap. 39.* ad vsum *Lectorum* & *Psalmistarum*.

b *Singulas Orationes.*] *Seuerus Alexandrinus* meminit precum ad sacras vestes induendas. *Stephan. Eduens. de Sacram. Alt. cap. 10.* habet eandem precem ad *Manipulum* qua nos vtimur. *Chrysost. in Matth. Homil. 38.* indicat recitari aliquas preces, & certè conuenit, cum sint hæ sacra vestes, & ad *Sacrificium* ordinatæ.

Concordant *Orationes* hæ maiori ex parte cum significationibus vesti-

mentorum *Sacerdotalium tropologicis*, seu moralibus, quas antiqui tradidere, & nos infra enarrabimus. Sed dubitari potest, an *Orationes* originem ducant à prædictis interpretationibus, an verò interpretationes ab *Orationibus*: crederem ego, *Orationes* omnes, vt sic, ad *Missam præparatorias*, longè posteriores esse, etiam post *Durandum*, qui secutus antiquiores, de *Stola* scribit, significare iugum *Domini*, & *Casulam* charitatem, citato *Ordine Romano in ordinatione Presbyteri*, quæ interpretationes discordant ab *Orationibus* hodie dicendis ad *Stolam* & *Casulam* induendas: illam enim in *Oratione* appellamus *Stolam immortalitatis*, hanc verò iugum *Domini* suauè. Sensus autem dictarum *Orationum* patebit, cum infra de *Mysterijs* vestimentorum agemus in fine huius tituli.

Neque debent omitti hæ preces sine causa, aliàs lethale peccatum est, *Nauar. cap. 25. num. 73.* licet *Burchard. Decretorum etiam Doctor* moneat, non ex præcepto, sed ex deuotione eas dici solitas esse. excusat *Suarez. disputat. 82. in 3. p. initio.*

3 *Ac primùm accipiens* c *Amictum* circa extremitates & chordulas, d *osculatur* illud in medio, vbi est *Cruce*, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachijs, & circumducens per dorsum, ante pectus re-ducit & ligat. Tum e *Alba* induitur, caput submittens, deinde f *manicam* dextram brachio dextro, & sinistram sinistro imponens, *Albam* ipsam corpori adaptat, eleuat antè, & à lateribus hinc inde, g & *Cingulo* per ministrum à tergo sibi porrecto, se cingit. *Minister* eleuat *Albam* supra *Cingulum* circum circa, vt honestè dependeat, & tegat vestes; ac eius simbrias diligenter aptat, vt ad latitudinem digiti vel circiter supra terram equaliter fluat. *Sacerdos* h *accipit Manipulum*, i *osculatur* *Crucem* in medio, l & imponit brachio sinistro;

M

stro;

stro, deinde ambabus manibus ^m accipiens Stolum, simili modo ⁿ de-
osculatur, & imponit medium eius collo, ac transuersando eam ^o an-
te pectus in modum Crucis, & ducit partem à sinistro humero pen-
dentem ad dextram, & partem à dextro humero pendentem ad
sinistram, sicq; utramque partem Stole & extremitatibus Cinguli
hinc inde ipsi Cingulo coniungit.

c *Amictum.*] Ab amiciendo dicitur Amictus. Anabolagium, Ambolagium, Anagolagium, Humerale, & Amictus eadem sunt in Ordine Romano. Superhumeralia dictum est ab *Alcuino* cap. Quid sign. vestimenta. Humerale ab *Honorio* quoque in *Gemma*, lib. 1. cap. 201. quia humeros tegit. *Raban.* 1. *Instit. Cler.* c. 15. vocat Ephod-Bat, & esse ab Hebræis deductam ad nostros scribit. ergo Apostoli sunt vsi. *Orale*, de quo *Innoc. III.* cap. 53. putat Vicecomes esse Amictum; sed idem *Innocentius* distinguit ab Amictu, de quo cap. 50. hic enim ante Albam, illud post Albam induitur. diuersa est vtriusque forma, vt Romæ videre est. Et *Orale*, quod hodie dicitur Fauon à *Marcello* in *Carim. Pap.* lib. 2. cap. 14. est propria Papæ vestis.

Caput amictu cingitur, tum collum, dorsum, & pectus. De collo *Amal.* lib. 2. cap. 17. De vittis reliqua cingentibus, *Gemma* supra, & *Innocen. III.* lib. 1. c. 50. Mysteria aperiemus infra.

d *Osculatur illud in medio.*] Cruces in vestibus Sacerdotalibus adhibitas esse à tempore sancti Marci Papæ, tradit *Baron.* anno 336. hodie in Amictu, Manipulo & Stola cruces adesse solent, ad recolendam Domini passionem. Sicuti Stola imponitur collo cum osculo, vt ait *Durand.* lib. 3. c. 5. ita simili ritu imponendus est capiti Amictus, in honorem sanctæ Crucis. Omittant igitur hoc loco signum

Crucis, quod præter Rubricam sibi faciunt quidam manu & Amictu simul à fronte ad pectus: vel signent se antequam accipiant Amictum; nam antiqui ter se signabant, vt scribit *Seuerus Alexand.* de Ord. oblationis, ante Amictum, & manu tantum. Quod autem super Casulam reflectitur Amictus à Regularibus, indicant hunc ritum *Rup.* lib. 1. cap. 19. & *Innoc. III.* lib. 1. cap. 58. ex quo sequitur, simplicis Amictus vsus esse valdè nouum.

e *Alba induitur.*] Podèris est appellata à *Nazian. Orat.* 3. quia Græci vocant pedes *podas*, & hæc vestis ad pedes demittitur, *Duran.* lib. 3. cap. 9. *Camisia* ab *Amal.* cap. 18. *Tunica* à *Rabano* loco citato cap. 17. *Tunica* linea ab *Iuone Serm.* 3. de *Indum.* dicta quoque est *Linea Dalmatica* ab eodem Ordine Romano supra num. 2. citato: vbi etiam & absolutè *Linea*, quia ex lino. Denique *Supparus* ab *Alcuino*. *Alba* verò ante Amictum ab *Ambrosianis*, à Romanis autem post Amictum induitur, vt in *Liturgia Chrysostr.* in *Conc. Carthag. IV.* cap. 41. & in *Ordine Rom.*

f *Manicam dextram brachio*, &c.] *Burchard*: Motus enim naturalis à dextra est in sinistra; & creditur Christi manus dextra cruci prius affixa fuisse quàm sinistra, ex *beata Birgitta* lib. 1. cap. 10. & lib. 4. cap. 70.

g *Et Cingulo*, &c.] *Ordo Rom.* Cingulum nominat. *Alcuin.* supra, *Zonnam*. *Baltheum*, *Ioan. Diac.* in *Vita S. Greg.*

S. Greg. lib. 4. cap. 80. & Gemma an. lib. 1. cap. 201. Duarum eiusdem summatum meminit *Innocen. III. lib. 1. cap. 37.* fortasse enim tunc temporis, ut apud nos, extremitates cum ornatu erant. *Leo IV. in Epist. ad Episcopos* non meminit Cinguli (quia non est vestis) inter vestes Sacerdotales.

h *Accipit Manipulum.*] Quarto loco indui Manipulum, scribit apertè *Raban. loco cit. cap. 18.* alij, vel negligunt ordinem vestium, vel Episcopaliū ordinem seruant. Mappulam *Ord. Rom.* appellat, qua pituita oculorum, narium & oris detergebatur, inquit *Alcuin. loco citato.* Sudarium, *Alcuin. idem, & Amalār. cap. 17.* quo sudor abstergitur. Cingulum brachiale, *Ord. Rom. in Consecrat. Episc. Fauonem, Leo IV. Epist. ad Episc. & Gemma cap. 208.* Manipulum, *Rupert. lib. 1. cap. 33. & Hugo Victor. in Spec. cap. 6.* Phanonem, & Mantile, *Rabanus de Instit. Cler. lib. 1. cap. 18.* qui & Mappam parua vocauerunt. Lintheum cineticulum sacerdotale, *Hesychius apud Bulenger. lib. 1. cap. 42.* Aërem, *Chrysost. in Liturgia.* Decem ergo nomina certa Manipulus habuit, & apud antiquos Patres in vsu fuisse, tradit *Concil. Rhemen. apud Burchardum lib. 2. cap. 50.* Et nomina quidem sunt ad placitum, sed res eadē est apud prædictos; tum ex fine, ad tergendum pituitam, & sudorem; tum ex eo, quia in læua, secundum omnes, portabatur.

Dubitatur, An idem sit cum Manipulo Palla illa linostima, quia ex lino erat apto ad tergendum, quam concessit Diaconibus *S. Siluester*, ut cum Dalmaticis ad læuam vterentur: affirmans sententia placuit valdè *Roberto Cardinali Bellarmino*, quo cum eam communicauimus. Vox ipsa linosti-

ma vim facit, quasi linostoma, quæ ex duabus constat vocibus Græcis, altera significante linum, altera os: nam vsus Manipuli erat ad tergendum os & oris pituitam, ut diximus. Stola volunt esse alij, ex *Damaso citato in Actis Eccles. Mediolan.* de cuius tamen expositione non constat. & Stola potius læuum, non læuam tegit; humerum, pectus & dextram partem conuertit; Manipulus propriè læuam partem tantum ornat. Fimbrias additas Manipulo describit *Rupert. loco citato*, qui primus inter Scriptores eum Manipulum appellauit. Quod si hanc vocem legas apud *Seuerum Alexandrinum*, seu *Stephanum Eduensem*, aduerte, quod est Interpretum vox recentiorum, non Græcorum auctorum *Ruperto antiquiorum.*

i *Osculatur Crucem in medio.*] Ut supra de Amictu est dictum.

l *Et imponit brachio sinistro.*] Concordant omnes citati Auctores, eo fine, ut brachium dextrum liberius sit ad ministerium. vnde & ideo ministri Manipulos deponunt in induendo Pontifice, ut longè sint expeditiores in eo ministerio, quod notat *Duran. lib. 3. cap. 5.* Adde, quod dextera manu commodiùs tergebantur oculi & os, mappula pendente à læua manu. Ligari verò debet Manipulus infra cubitum, non supra, nec longius à manu, ut ex prædicto fine & vsu constat.

m *Accipiens Stola.*] Orarium eam vocat *Ordo Romanus* in genere masculino, alij in genere neutro; quia Oratorum, hoc est, prædicatorum habitus est, ex *Alcuino supra.* quare non datur nisi Presbyteris, & Diaconibus, quorum tantum manus proprium est concionandi: ab oratione deducit *Beda* vocabulum in *Collectan. cap. de*

Septem ord. quia in oratione & in ministerio Sacramentorum frequens est Stola vsus. Stola dicta est etiam in *Ordino Romano* à Græco *σολῶν*, id est indumentum, vel à *σῶλον*, id est orno. Ad gena tendit, ex *Amal. lib. 2. cap. 20.* nam licet Stola esset vestis candida pertingens ad talos vsque, ut ait auctor *Gemma lib. 1. cap. 204.* tamen, introducta Alba, seu Camisia sacerdotali, mutata est Stola in torquem, ut *ibidem* & apud *Durand. l. 3. cap. 5.* cum fimbrijs eam describit *Rupert. lib. 1. c. 33.* cuiusque vsus habetur in *Actis S. Clem. Metensis*, patris *S. Clem. Papa*, apud *S. Antonin. p. 1. tit. 6. cap. 26.* qui Stola sua cinxit draconem. Sed & *Cedrinus apud Buleng. lib. 1. cap. 38.* scribit, Augustæ Stolas Apostolorum fuisse repertas.

Stolam verò in Missa omnino adhibendam esse, decreuit *Concilium Braccaren. III. cap. 3.* & habetur 23. cap. *Ecclesiastica.*

n. *De osculatur.*] *Durand. loc. citato*, ut de osculo amictus supra diximus. & imponit collo ut torquem, ait *Gemma loco cit.* non longè à collo, contra quosdam. longè enim à collo est proprium Episcopi. premens cervicem, & utrumque humerum, ait *Conc. Braccaren. citatum.* si premit cervicem, ergo prope collum.

o. *Ante pectus in modum Crucis.*] Ita *Concil. Braccaren. loco cit.* quod tamen *Innocentij III.* tempore Romæ non

obseruabatur, ut ipse indicat *lib. 1. cap. 54.* nisi fortè dicamus, eum ibi loqui de Stola Pontificali, in qua neque hodie obseruatur prædicta forma Crucis; quia Crucem pectoralem Episcopus habet.

p. *Ducit partem à sinistro humero.*] *Burchar.* Hoc autem est notandum diligenter; tum quia à sinistro ad dextrum latus Stola ductio prior in memoriam reuocat, me esse prius Diaconum quàm Sacerdotem (Stola namque Diaconalis est ab humero sinistro ad dextrum latus) sicut Episcopus prius induit Tunicellam Subdiaconi, & postea Dalmaticam Diaconi, ut quasi per gradus meminerit suæ summæ dignitatis; tum quia in ordinatione Sacerdotis eodem prorsus modo aptata fuit Stola collo eialdem ab Episcopo, & sic ad eiusdem rei memoriam est continuandum; tum quia hac ratione, si benè aduertas, pars dextra Stola formans Crucem in pectore remanet superior supra partem sinistram eiusdem, quod infra tit. 3. in simili casu, non casu fieri dicendum est; pollice dextro, inquit Rubrica, super sinistram posito in modum Crucis. Meminit autem huius ritus in Stola distinctè *Iuo Carnot. Serm. de Signific. indumentorum.*

q. *Extremitatibus Cinguli, &c.*] Et hoc etiam describit *Iuo ibidem cum Innocent. III. lib. 1. cap. 54.*

4 Si celebrans sit Episcopus, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere: & antequam accipiat Stolam, accipit paruum Crucem pectoralem, quam osculatur, & collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad Altare, cum in Confessione dicit, Indulgentiam, illumq. prius osculatur.

r. Non

r Non ducit Stulam in modum Crucis.] Quia ante pectus gestat eius loco Crucem pectoralem, quam ante Stulam accipit, vt solus notat *Innoc. III. cap. 53.* qua de re infra, cum de Vestibus Pontificalibus.

5 Postremò Sacerdos accipit ^u Planetam.

u Planetam.] Ordo Roman. Vstratum est vocabulum Planetæ, quidquid neget Durandus apud Latinos antiquiores reperiri, *lib. 1. cap. 9.* vbi negat, fuisse vniquam à Græcis usurpatum. Planeta verò errore sonat, & limbus Planetæ Sacerdotalis errabundus erat vtrimque, & idcirco ad brachia reflectebatur, & subleuabatur, inquit *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 207.* Penula quoque dicta fuit, non tamen ea, de qua *Paulus 2. Timot. 4. vide Baronium anno 58. num. 69.* Casula item dicitur ab eodem Ordine Romano, hoc est, parua Casa, in *Gemma loco citato.* Infula ab *Hugone Victorin. in Specul. Eccles. cap. 6.* Tunica item à *Seuero Alexandrino de Ord. oblat. Cappa ab Isidoro lib. 15. Orig. cap. 12.* ex conie-

[Osculatur.] Scribit *Duran. l. 3. c. 9.* t *Mantiliu quoque.*] De quo idcirco *Innoc. idē c. 43. & 59.* post Casulam Episcopalem agit: apertius *Duran. l. 4. c. 7.* & idem habetur in *Ord. Rom. causamque cum alijs dabimus infra nu. 6.*

ctura tantum, quia capit totum hominem. Sed vide quæ diximus de Pluuiiali in *1. p. tit. 19. num. 3. contra Durand.* Phelonium dicitur in *Actis Eccles. Mediolan. par. 4. lib. 2.* Planetæ sancti Petri meminit *Hugo Cluniacensis in Vita sancti Hugonis Abb.* quæ asseruatur Parisijs, ergo ab Apostolis ortum habet. Erant Planetæ totæ clausæ; post tempora *Ruperti diuisæ sunt.* & *Innocen. indicat lib. 1. cap. 42. & 58.* olim cum Cruce, etiam in parte posteriori; nunc cum columnæ potius specie, recentiori vsu, quæ & ad Passionem Domini spectat: quasi Sacerdos sit inter Columnam & Crucem Christi. Qui aliquam prædictarum vestium sponte omiserit, peccat mortaliter, ex *communi Doctorum sententia.*

6 Si sit Episcopus, & solemniter celebret, x accipit paramenta, & alia vt in Pontificali.

Pro Pontificali, debet intelligi *Caerimoniale Episcoporum.*

x Accipit paramenta.] Hoc est, Caligas, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stulam, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, Planetam, Mitram, Annulum, & Manipulum: de quibus hoc loco, quia in Missali hoc ordine nominantur, & numerantur, omittamus tamen ea quæ sunt communia Sacerdoti.

Caligæ, Sandalia, apud sanctum Hieronymum in *Isai. lib. 5. cap. 20.* sunt

idem. Soleæ dicuntur ab *Alcuin. cap. Quid sig. vestim.* sed distinguuntur in habitu Episcopali, ex *Innocent. III. lib. 1. cap. 48.* nam Caligæ primùm induuntur vsque ad genua, & Sandalia generis feminini, seu Sandalium apud alios, pedes tantum contegunt, *Iuo Carnot. Serm. de Significat. indum. Sacerd.* Caligæ, quia ligantur, sic dictæ, ex *Isid. lib. 19. Orig. cap. 34.* Cambagi, & Pedules, in *Ordine Romano.* Compagi, à *S. Gregorio lib. 7. Epist. 28.* Campobi, ab *Amalar. lib. 2. cap. 18.*

M 3

quorum

quorum usus ab Apostolis manat, ex Rabano lib. 1. Instit. Cler. cap. 22. & probat ex Marci cap. 6.

De Cruce pectorali, quam Philacteria seu Filacteria (eò quòd filo suspendi solet, *Viccom. ait*) appellat S. Gregorius Papa lib. 12. Epist. 7. ut notat Baron. ex Ioan. Diacono anno 604. & 827. & Encolpium vocat Nicephorus Episc. Constantinop. ad Leonem III. Papam, ut exponit idem Baronius anno 811. solis apertè ante alios Innocentius III. agit, Crucem appellans pectoralem; quia pectus ornat, ut supra significauimus num. 4. & laminæ Hebrææ eam suffectam esse, tradit idem ibidem.

Tunicellæ & Dalmaticæ originem & causas attulimus supra in prima parte tit. 19. num. 5. quæ ambæ in Ordine Romano ad usum Pontificis aliquando dictæ fuerunt Dalmatica maior, & minor; quia altera latior, altera strictior. Cur autem utraque datur Episcopo? an quia in eo eminenter omnium sacrorum Ordinum sunt gradus; an quia duorum testamentorum custos? ita Durand. supra cap. 10. & 11. ex Hugone Victorino in Specul. Eccles. c. 6. Antea verò non induebant Dalmaticas Episcopi sine Papæ licentia, ut indicat S. Gregorius lib. 7. Epist. 113. ad Aregium, & habetur can. Communis filius. Distinct. 23. primumque à Siluestro concessa est Episcopis Dalmatica, ex Durand. lib. 3. cap. 11. hoc est aliquibus: sed sicuti ea, quæ in Ordine Romano lanca erat, serica deinde fuit, ex Eduensi c. 11. ita, quæ aliquorum erat, omnium deinde Episcoporum facta est communis vestis.

Chirothecæ ab Ordine Romano dicuntur Manicæ, quia manuum sunt ornamenta. conuenit enim, ut Episco-

pi qualibet pars ornatior appareat. Ab Apostolis deducit hunc ritum Gemma lib. 1. de Antiquo ritu cap. 215.

Mitra, seu Apex, ex August. 2. Ciuit. 15. seu Sertum cum gemmis, ex Ennodio de Mitra sancti Ambrosij; seu Corona Sacerdotalis, ex Ammiano Marcellino lib. 29. seu Corona gloria, ex Euseb. Casariensi lib. 10. Histor. c. 4. seu Pileum, generis neutrius; vel Galea, vel Tiaria, ex Isidor. lib. 19. Orig. cap. 21. seu Infula, ex Hug. Victor. lib. 1. de Sacrament. cap. 55. seu Cidaris, ex Alcuino cap. de Singulis vestibus. seu Phrygium, ex Niceph. lib. 14. cap. 34. quod imposuit capiti S. Siluestri Constantinus; seu Lorum, ex Balsamone apud Buleng. de Vest. Pontif. lib. 1. c. 6. seu Auriphrygium circulare, ab Innocentio III. in Sermone de S. Siluestro (nomina multa, eadem res) ab Apostolis ortum habet, ex Baron. anno 34. num. 298. & inter Episcopi insignia enumeratur, ad ornandum illius caput, & erudiendum Episcopum ut, infra. Abbatibus non fuit concessa ante annum 1091. quo Urbanus II. eam dedit S. Petro Cauensi, Abbati Cluniacensis Ordinis, qui & eandem ut sibi minus congruam recusauit, Acta Conc. Beneuent. Sed alij docent, ante annum 1000. à Siluestro II. datam fuisse Mitram Abbati S. Sauini Placentiæ, & à Leone IX. anno 1049. Abbati S. Iustiniæ Patauino; & extant Diplomata Pontificia. Mitra verò (ut alia taceam nomina) ex Varrone lib. 1. de Lingua Lat. vox est Latina, Græca, & Syriaca, vel Hebræa, quæ verba interpretatur Iosephus Scaliger hoc modo: Mitra Syriacum, Diadema Græcum, Vitta Latinum, idem significant in lingua sua, nempe vinculum. Calus Rhodiginus lib. 16. cap. 10. à *μῆδος* eam deducit

deducit, quod significat filum, ut *uirga* sit quali *uirga*, ex filo. erat enim fascia ad obligandum caput, ex *Hier. in Isa. 3.* ad usum feminarum in capite, *Judith cap. 10.* virorum etiam, ex *Goropio in suo Vertumno.* Sacerdotum quoque, *Exod. 39* ubi LXX. Cidarim legunt ex bysso. Duo redimicula addebant Phryges in Festis solemnibus per maxillas fluentia, ex *Hieronymo Prado in Ezech. c. 21. vers. 26.* vel sub mentum ligabantur, ex *Buleng. loco cit.* quæ in nostra Mitra habentur. & fortè ab iisdem Phrygibus auri-phrygiata Mitra aliquid accepit: de qua in *Carimoniali Episcop. lib. 1. c. 17.* Duo cornua Mitræ accepta puto à Cidari Hebræorum, referente quasi cornua Moysis ex consortio Dei. *Nicolaus Lyranus Exod. 28. ex Iosepho* asserit, quod Mitra in acutum tendebat, & quod lamina aurea, secundum aliquos, corniculata erat.

Pars Mitræ S. Siluestri asseruatur Romæ in Ecclesia S. Martini in Montibus, quæ acutam formam refert, non altiorem palmo communis manus: serico & auro est contexta, coloris cærulei, cum imagine B. Virginis & pueruli Iesu inter duos angelos stantes Diaconali veste indutos. Valentia quoque visitur Mitra sancti Augustini altioris formæ, & item acutæ, qui, ut supra, eam Apicem appellauit: serica est, & alba, quam cingit & diuidit à cuspide linea cærulea serico & auro texta. testatur eandem esse *Martinus V. in Sermone de sancta Monica.* Similem ego vidi Bononiæ in Ecclesia S. Stephani auro & margaritis ornatam, quæ erat sancti Isidori Hispalensis, cuius corpus ibidem quiescit. Ex quibus probatur antiquitas formæ in nostra Mitra. Quod si velis cum Ab-

bate Constantino Caietano, Opusculo de Tribus Hispaniarum Patronis, alium esse Isidorum, non Hispalensem, quem ille rectè probat Hispali mortuum, & ibidem quiescere corpus eius, sed Italo Siculam in Sicilia Episcopum, qui Bononiæ obiit, non perit argumentum nostrum de antiquitate; quia hi duo Isidori, ex eodem Caietano, fuere condiscipuli S. Gregorij Magni, & coætanei. Lubens auctores nominino, honoris & veritatis ergo; quod & facere debuerat recentior, qui de Iure Abbatum scribens, in suum librum transtulit ipsamet verba, quæ de Mitra & alijs Abbatialibus vestibus in hoc Volumine scripsi, tacito Auctoris nomine, nominato in leuioribus alijs à se non semel.

Regula verò est, Mitram & Baculum in Episcopis esse correlatiua, ut dicitur in *Carim. Episcop. lib. 1. cap. 17.* & licet in Missali nihil de Baculo, quia ad eum assumendum nullam Episcopus recitat Orationem, sicut ad alia ornamenta præscriptas Orationes recitat in Missali positas, quarum causa de his hoc loco cum Missali agimus; tamen de eo breuiter hæc notabo, ne, Baculo omisso, à Lectore sine baculo corripiar.

Baculus, Virga Pastoralis, Pedum, Ferula, & Caputa, sunt synonyma, ex *Iuone Carnot. Epist. 8. & Hon. in Gem. lib. 1. cap. 217.* Cambucam alij vocant apud *Petrum Conestorem in Histor. Exodi cap. 52.* Cambuttam vocat *Ordo Romanus in Dedicatione Eccles.* sed Caputa & Cambutta corruptæ sunt voces, à Cambura voce barbara, quæ significat baculum retortum. Porro tres habet partes, summam retortam, ut pedum pastorum recuruum, ad colligendas, ut ait *Festus,*

oues;

oues; mediam rectam, imam acutam. talis est S. Saturnini Apostolorum discipuli, qui Tholosæ cum imagine Sancti antiquissima habetur; & Valentia S. Augustini Baculus, qui est eburneus & rotundus; & item S. Isidori, quem ego vidi Bononiæ, vbi supra, cum Mitra eiusdem, datur enim Episcopo, ad regimen animarum; vnde versus:

*Curua trahit mites, pars pungit acuta
rebelles.*

Et sub imagine præfata S. Saturnini legitur iste versus,

*Curua trahit quos virga regit, pars
ultima pungit,*

vt refert Hugo Victor. *Spec. Eccles. cap. 6. Innoc. autem III. lib. 1. cap. 62.* affert hoc carmen auctore incerto;

*Collige, sustenta, stimula, vaga,
morbida, lenta:*

id est, Collige vagos, sustenta debiles, & punge pigros. Est autem Baculus vltimum Episcopi ornamentum, *Innocen. III. lib. 1. cap. 10.* quem gestat ille manu sinistra, quæ cordis esse dicitur, & partem curuam populo vertit, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 8.* nec ornatur sudario, quod conuenit Abbati, *Acta Mediol. Eccl. in Instruct. fabr. Eccl. ad differentiã Episcopalis.*

Annulus datur Episcopo, de quo *Oprat. Millen. lib. 1. contra Parmenidem, & Ordo Rom. in Consecratione Episcopi.* qui & aureus debet esse, *Innocen. III. lib. 1. cap. 46.* & benedictus, vt in *Ordine Romano.* daturque ad honorem, & significationem, quod Ecclesiæ suæ sponsus est; & quod velut Annulo signatorio non omnibus omnia reuelare mysteria debet. ita *Isidor. 1. de Eccles. Off. cap. 5.* & regulariter quidem in digito indice manus dextræ defertur; neque in gem-

ma sculptum quid esse debet, ex *Durand. lib. 2. de Rit. cap. 9.* sed in Missa Pontificali iubetur Episcopus gestare Annulum in digito annulari dextræ manus, *Carim. Episc. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 8.* cui & in eodem digito in consecratione datur concelebraturo cum consecrante, *Pontif. Rom.* Alij caueant, ne vniquam Annulum gestent in Missa; qui expressè prohibitus fuit Protonotarijs non participantibus, & quibuscumque Doctoribus, à sacra Rituum Congregatione die 11. *Februarij 1623.* & item Canonicis Cathedraliũ Ecclesiarum, qui se maiores aestimabant Protonotarijs, die 20. *Novemb. 1628.* Canonicorum verò nomine hac in re intelliguntur etiam Dignitates, siue sint siue non sint de gremio Capituli.

Vltima vestis Episcopi est Manipulus, *Ordo Roman.* de quo supra diximus non pauca. hoc loco quærimus, Cur ille sit vltima vestis Episcopi? solus *Durandus lib. 4. cap. 7.* hunc ritum in Episcopo declarat; & Primò inquit, quia dum eum accipit in confessione ante Missam, ornamentum accipiens inferioris ordinis, & ab inferiori ministro, id est Subdiacono, cuius propria vestis est Manipulus, humilietur Episcopus coram Deo. Secundò, vt quod ore confitetur se peccasse, per fructum boni operis, qui significatur in Manipulo ad brachium ligato, reficiatur in mente. Tertiò, vt concessa temporalia, per Manipulum adumbrata, videatur accipere per alienam manum, & cum sui cognitione in humilitate, ne ob temporalia eleuetur in superbiam. Quartò, ad notandum, quod tunc honorum operum Manipulum cum præmio portabimus cum Christo, quando ad Altare Dei æterni tribu-

tribunal Iudicis peruenerimus: nam Episcopus typum gerit Christi Capitis nostri.

De Gremiali Episcopi, quia ad eius gremium ponitur ita dicto, neque Missale, neque nos loquimur; & præterea nihil de eo occurrit dicendum, nisi quod Episcopo deseruit tantum super femora cum Planetam indutus sedet. Succinctorium dici putat *Viccom. lib. 3. cap. 15. sed Innoc. III. lib. 1. cap. 10.* tertium Succinctorio datur locum; tum solus Papa eo vititur, *Carim. Papa lib. 2. cap. 14.* & usus eius est circa renes, *ex Inon. Carnot. loco citato.*

Pluuiiale item est vestis Episcopi ad Horam Tertiam, Vesperas, Laudes, & Processiones, de quo diximus supra. De quibus autem Missale tacet, ut de Pallio Archiepiscopi, Orali Papæ, & alijs eiusdem vestibus ad Missam spectantibus, alijs, Deo dante, scribemus.

Nunc breuissimam prædictorum omnium indumentorum subiiciamus significationem, quæ supra promisimus, quæ triplex est, Anagogica, Allegorica, Tropologica, & Moralisis.

Anagogica significatio est de Christo, cuius imago gloriosa est Episcopus.

Allegorica est de Passione Christi, quam Sacerdos minus gloriosè vestitus indicat.

Tropologica, seu Moralis, eruditionem continet conformem moribus Sanctorum quorumcumque ministrorum Ecclesiasticorum, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi.

Expositio Anagogica vestium Pontificalium de Christo.

C Aligæ & Sandalia denotant Incarnationem Christi, de qua in Psalm. 9. *In Idumeam extendam cal-*

ceamentum meum, ex Stephano Eduens. si de Sacr. Alt. cap. 11.

Amictus, latibulum capitis, id est, diuinitatis in Christo, *idem Stephan. cap. 10.*

Alba, Resurrectionis gloriam, *idem Eduens. ibidem.* nouitatem vitæ in Christo, *Innocent. III. lib. 1. cap. 36.* & munditiam eiusdem, *S. Bonauent. de Myst. Missæ.*

Cingulum, charitatem Christi, cuius extremitates duæ sunt, fecit, & docuit, *Innoc. cap. 37.* Maiestatem deitatis, *S. Germ. in Theoria.* Virginitatem Christi, *Bonau. loco cit.*

Crux pectoralis, passionem Christi, exemplar passionum aliorum Martyrum, quorum Reliquiæ in Cruce asseruantur. nihil apud Auctores inueni in hoc sensu anagogico.

Stola designat obedientiam Christi, *ex Steph. Eduensi loco cit.* & voluntariam seruitutem, *Bonauent. loco cit.*

Tunicella, doctrinam Christi inconstitilem, quæ scindi non potest, *Innoc. cap. 39.*

Dalmatica, misericordiam Christi erga nos latam, & largam, *idem c. 40.*

Chirotheca, hædorum pelliculæ, similitudinem carnis peccati in Christo, *idem cap. 41.*

Planeta, Ecclesiam vniuersalem, Christi vestem; posteriorem quidem partem antiqui Testamenti, anteriorem noui, *idem cap. 42.* integra ea erat, vndique clausa antiquitus, quia vna Ecclesia est, *Rupert. 1. cap. 22.* Plenitudinem gratiæ Christi, *ex Biel. lect. 11.* indicat.

Mitra, summam Christi honorificentiam, *Innoc. cap. 44.*

Baculus, potestatem, *idem cap. 45.*

Annulus, perfectionem donorum Spiritus sancti in Christo, *idem c. 46.*

N

Mani-

Manipulus in lana, beatitatē Christi, qui Viator & Comprehenfor erat, *idem cap. 43.* vel humilitatem Christi, *Bonauent. de Myster. Miss. vel amorem cordis ad passionem, Tolet. lib. 2. cap. 2.* futius ista leges explanata locis citatis.

Expositio Allegorica vestium Sacerdotalium de Passione Christi.

Amiectus significat velamen faciei Christi, *Gabriel Biel in Can. lect. 11.* seu Coronam spineam. nam velat caput, non faciem, amictus, *S. Thom. 3. par. quest. 83. artic. 5.*

Alba, vestem ab Herode Christo datam, *S. Thom. quest. 40. artic. 7.*

Cingulum, flagellum à Pilato iustum, *Durand. lib. 3. cap. 4.* vel funes, *S. Thom. loco cit.*

Manipulus, funem quo captus est, *S. Thom. loco cit.*

Stola, ligaturam ad Columnam, *Durand. cap. 5.* vel Crucem, *S. Thom. loco citato.*

Casula, purpureum vestimentum coram Pilato, *S. German. in Theoria.*

Sex numero sunt Sacerdotales vestes; in quarum senario numero, ait *Zachar. Andr. de Missa lib. 2. c. 1.* recolenda est illius passio, qui sex diebus creatum mundum, sexta atate, sexta die, & hora sexta eundem reparauit.

Expositio Tropologica omnium vestium Pontificalium & Sacerdotalium.

Multæ sunt, eaque ornatissimæ Sacerdotum Tunicae, quia Sacerdotalis Ordo est veluti oculus ipsius Dei, vel Ecclesiae, quibus per *Zachariam cap. 2.* dicitur: *Qui tetigerit*

vos, tangit pupillam oculi mei. Et sicuti multis tunicis munitur oculus & tegitur, ijsque adeò speciosis, vt iridis speciem referat, quod latè docet *Galenus de Vsu partium lib. 10.* ita Sacerdotes tam varijs tamque ornatis voluit Deus vestiri tunicis, vt memores essent, se tamquam oculos à Deo diligere; illudque muneris sui proprium esse, vt in Ecclesia Dei oculorum vice fungantur.

Itaque Caligæ & Sandalia monent, gressus rectos esse faciendos, & genua roboranda in præparationem Euangelij, quod est proprium Episcoporum, & prædicatorum; & item affectuum custodiam, qui sunt pedes animæ, *ex Iuone Carnot. Ser. de Signif. indum.* concordant hæc cum Oratione qua dicitur ad Caligas.

Amictus docet decem. Labores esse ferendos, *Alcuin. cap. Quid sign. vestim.* Vel custodiam vocis, quæ formatur in collo, *Amal. lib. 2. cap. 17.* Vel spem celestium, qua onns portamus, cuius Virtutæ duæ sunt, fides, & operatio; timor pœnæ, desiderium gloriae, *Honor. in Gemma lib. 1. cap. 201.* Vel iustitiam, *Hugo Viet. in Specul. Eccles. c. 6.* Vel munditiam bonorum operum, *Raban. de Instit. Cleric. lib. 1. cap. 15.* Vel galeam salutis, *Gemma lib. 1. c. 82.* concordat hoc cum propria Oratione. Vel fortitudinem operum cum duabus quasi Virtutibus, intentione, & fine, *Innocen. lib. 1. cap. 50.* Vel fidem, *Biel lect. 12.* Vel fiduciam, *Scortia lib. 2. cap. 8.* Vel contemplationem, *S. Thom. quest. 83. artic. 5.*

Alba connotat duodecim. Persecutionem, *Alcuin. supra.* Vel castigationem totius corporis, *Amalar. supra cap. 18.* Vel castitatem totius vitæ, *Gemma supra cap. 202.* Vel munditiam animæ,

animæ, *Hugo Vict. loc. tit. & concordat cum propria Oratione quæ dicitur ad Albam. Vel munditiam carnis, idem Erud. Theol. lib. 1. cap. 46. Vel continentiam, vel summam iustitiam, Raban. cap. 16. supra. Vel nouam vitam Sacerdotis, Rupert. supra cap. 20. Vel loriam iustitiæ, Gemmalib. 1. cap. 82. Vel munditiam vitæ latam in libertatem filiorum Dei, Innocen. III. supra cap. 51. Vel fidem, & innocentiam, S. Thom. loco citato.*

Cingulum indicat septem. Discretionem, moderatricem virtutum omnium, *Alcuin. supra. Continentiam, Amalar. supra cap. 22. Custodiam cordis, Gemma cap. 203. Castitatem corporis, Hugo Vict. supra. Feruorem continentiae, ne sit remissa, Raban. cap. 17. concordat cum Oratione propria. Arcum contra hostes, Gemma lib. 1. cap. 83. Fortitudinem, Hesych. lib. 5. in Leuit.*

Crux Pectoralis memoria est Passionis Christi, & Martyrum, vt eam Pontifex recondat in pectore, *Innocen. III. lib. 1. cap. 53. concordat cum sua Oratione.*

Stola decem significat. Iugum Christi est; feratur ergo vtroque humero, *Alcuin supra. ad genua tendit, ad humilitatis indicium, Amal. supra c. 20. ab humeris ad vtrumque latus descendit, vt per arma iustitiæ à dextris & à sinistris muniamur. Cingulo colligatur, quia virtutes virtutibus iuuantur, Iuo Carnot. supra. Obedientiam Evangelij significat, quæ tum à sinistro humero actiue vitæ, tum à dextro contemplatiue Crucem in pectore format, & mundo crucifixum facit, Gem. lib. 1. cap. 204. Fortitudinem cum perseuerantia, Hugo dicto cap. 6. Munditiam vitæ, idem supra cap. 48. Ora-*

rium ad pectus est, vt ore & corde præceatur, *Rab. supra cap. 19. Hasta est contra hostes, Gemma supra cap. 82. Memoria est Passionis Domini, & Crucis in pectore, Bonauent. in Mysterys Missæ.*

Tunicella, quæ non videtur in Episcopo, demonstrat virtutes intimas Episcopi proprias, *Amal. lib. 2. c. 22.*

Dalmatica immaculatæ vitæ typus est, *Durand. supra cap. 11. Liberalitatis erga pauperes, Innocen. III. cap. 56. & idem fuit etiam data Diaconis, quorum munus erat præcipuum, ministrare mensis, Act. 6. Religionis immaculatæ, quæ, ex Iacobo, est, apud Deum Patrem, visitare pupillos & viduas in tribulatione, & immaculatum se custodire, Amalar. cap. 21. supra. Charitatis geminæ, Hugo Vict. supra cap. 6.*

Chirothecæ manus tegunt, vt opus sit in publico, intentio in occulto, *Gem. cap. 215. vel exempla Sanctorum præ manibus habenda esse movent, Durand. 3. cap. 12.*

Planeta, quæ super omnes est, charitatis est symbolum, *Alcuin. supra;* idem duplex est, ante pectus, & post humeros, vt Deus ametur, & proximus; amicus, & hostis, *Amalar. cap. 19. parua casa est, quæ totum hominem regit, charitas, Gemma lib. 1. cap. 207. Vel prudentiam cum charitate duæ Casulæ partes persuadent, Hugo supra cap. 6. contra hostes clypeus est, Gemma dicto cap. 82. reliqui supra citati charitatem interpretantur. Pars anterior strictior est, quia Deus vnus; posterior est latior, quia proximi amor est multiplex, Tolet. lib. 2. cap. 2. Obedientiam denique significat, ex Bellarmino nostri Ordinis in Doctr. Concil. Trident. par. 3. cap. 5. num. 6. Concordare potest Ora-*

tio propria cum prædictis, quia iugum amoris Casula est, & Stola iugum patientiæ, inquit *Suar. 3. part. disput. 83. sec. 2.*

Mitra cum duobus cornibus scientiam requirit vtriusque Testamenti contra hostes, *Hugo Vilt. supra cap. 6.* duæ vittæ, seu fimbriæ posteriores, sunt Spiritus & Littera: ad humeros pendunt, vt, quod docet Episcopus, opere compleat, *Innocent. III. cap. 60.* Baculus correctionem pastorem docet, eâ ratione qua *Hugo Victorin. dicto cap. 6.*

Per Baculum rectum doceas, Episcope, rectè

Vinere, per flexus ferri properes misereri.

Annulus fidei Sacramentum est cum Sponsa, à qua numquam descendendum est, ex *Stephan. Eduen. de Sacra. Altaris cap. 2.* fertur in digito indice manus dextræ, quia digitus index salutatis dicitur à *Duran. lib. 2. de Rit. cap. 9.* digitus autem significat Spiritum sanctum, cuius dona Episcopus distribuit in ordinatione Clerici, *Innocent. III. cap. 46.* In Gemma nihil sculptum esse debet, ex *Synodo Mediolan. de Sacra suppellectili,* vt Deum ipsum in Annulo veneremur Episcopi.

In Missa verò Pontificali fertur Annulus in digito dextræ manus, non autem sinistræ, quod est sponsæ proprium; & item in digito annulari, qui est remotior ab indice; ne indice quasi coronato ab Annulo Episcopus vti videatur ad consecrationem Corporis Christi, si, quod sentio, dicere liceat. Nam Annulus corona manuum dicitur à sapientioribus, & coram Christo digitorum coronam deponere conuenit, seu remo-

tius saltem gestare: vnde & alij, vt dictum est supra, prohibetur vsus Annuli in Missa; tum ad differentiam Episcopi, tum ad humilitatis indicium coram sanctissimo Sacramento, quod manu tractari debet.

In Manipulo septem disce. Quia portatur in sinistra, presentem vitam laboriosam repræsentat, *Alcuin. supra.* Repudium mundanæ cogitationis, quia eo tergebatur pituita, *Amal. supra cap. 24.* Pœnitentiam cum fletu, ad tergendas animæ labes, *Gemma. an. 208.* & concordat cum Oratione quæ dicitur ad Manipulum. Vigiliantiam contra acediam, quia eo tergebantur oculi, *Eduenf. cap. 10.* contra hostes Claua est, *Gemma d. cap. 82.* Discretionem deuotam, *Biel. lect. 12.* Retributionem futuram bonorum operum, *Rup. lib. 1. cap. 33. ex Psal. 125.* *Veniunt cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Verùm clausula fit cum *Iuone Carnot. Sermon. cit.* Ornamenta hæc, ait, non sunt virtutes, sed virtutum insignia, quibus tamquam scripturis videntes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Prouideat ergo, inquit *Innocent. III. cap. 64.* diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiosè, vt signum sine significato non ferat, vt vestem sine virtute non portet, ne fortè similis sit sepulchro deforis dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam iam honor non commendat vestium, sed splendor animarum. *Hæc Innocent.*

De

De ingressu Sacerdotis ad Altare. I I.

Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem ut supra preparatum, quem portat eleuatum ante pectus, Bursum manu dextra super Calice tenens, & ^a facta reuerentia Cruci, vel imagini illi, que in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, ^b ministro cum Missali & alijs ad celebrandum necessarijs (nisi ante fuerint preparata) ^c precedente superpellicem induto. Procedit autem oculis demissis, incessu graui, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reuerentiam: si ante locum Sacramenti, ^d genuflectat: si ante Altare, ubi celebretur Missa, in qua eleuatur vel tunc ^e ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

^a Facta reuerentia.] Hæc vox, quæ hoc loco primùm occurrit, reuerentia est nomen genericum, quod habet species, id est, inclinationem capitis, vel genuflexionem; poniturque in sequentibus Rubricis iuxta specificam significationem, quæ rei congruit cui fit reuerentia: quod semel dixisse, sit satis. Et hoc loco reuerentia fit capite cooperto, & profundè, ex numero seq. inclinato. non enim verbum illud cooperto concordat tantum cum sequenti accedit, sed etiam cum precedentibus. nec inconuenit, cum paulò post idem fieri præscribatur, quando transit Sacerdos ante Altare maius, in quo item Crux esse debet, iuxta Rubricam superiorem in prima part. tit. 20. Cooperatum verò caput hoc loco significat cum birreto: quare de Regularibus non loquitur Rubrica, quos neque decet vti birreto, nisi sint Canonici Regulares.

Prima fit hoc loco de sacris imaginibus mentio, de quibus præclare scripsit Tobias noster de Sacris Templis part. 1. cap. 63.

^b Ministro cum Missali.] Si Missale tantum gestandum erit, quod magis deceret, illud portet minister ambabus manibus erectum ante pectus, manus apponens angulis inferioribus eiusdem. ceterum sine ministro celebrari non debet, de Fil. Presbyt. tit. 17. cap. Proposuit. ex Alex. III. sub mortali, ex S Thom. quest. 83. art. 5. ad 12. neque minister femina sit, Azor. lib. 10. c. 29. ubi fufius, ex cap. Inhibendum. de Cohabit. Cleric. ex Conc. Magunt. Vnus autem sufficit minister, ex Conc. Nanneten. cap. 30. apud Iuon. 3. p. c. 70. posset tamen excusare necessitas, vt sine ministro fieret Missa, & Sacerdos responderet sibi, vt ad Orare fratres, & ad Kyrie. vel prædiceret laico presenti quæ respondere debet, ne populus careat Missa, Suar. disp. 88. sect. 2.

^c Precedente.] Eodem modo incedente, vt mox dicitur de Sacerdote, oculis demissis, & incessu modesto, factis debitis reuerentijs Cruci in Sacristia, Altarique maiori simul cum Celebrante, à latere sinistro. eiusdem paulò post eum.

N 3.

d Genu-

d *Genuflectat.*] Cooperto adhuc capite, ne amota manu dextra cadat aliquid de Calice. Sacramento verò patente in Altari, cautè se gerat, dum amouet manum dextram ad detegendum caput, iuxta proximam Rubricam. neque incedat idcirco longius aperto capite, quod titulo maioris reuerentiæ aliqui faciunt, sed minus cautè, ob Calicem quem manu gestant.

e *Ministratur Sacramentum.*] Eodem modo fiat, si expositum sit in Altari sanctissimum Sacramentum; vel

si aduertat in Altaribus minoribus adhuc esse post consecrationem Sacramentum. Hoc loco *similiter* significat quidem genuflexionem vnico genu; sed in eleuatione Hostiæ vsque ad Calicis depositionem duobus genibus fit adoratio.

Si verò transeat ante Altare, in quo sit exposita solemniter Reliquia insignis Sancti, de quo fit Festum ibidem, conuenit, vt apertum caput inclinet illi profundè, in alijs Reliquiarum expositarum casibus habeatur ratio Altaris tantùm.

2. *Cùm peruenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, f caput detegit, birrètum ministro porrigit, & Altari, seu imagini Crucifixi desuper posita profundè inclinat. Si autem in eo sit & Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reuerentiam. Tunc ascendit ad medium Altaris: ibi ^h ad cornu Euangelij sistit Calicem, extrahit Corporale de Bursa, quod ⁱ extendit in medio Altaris, & super illud Calicem ^l velo coopertum collocat, Bursam autem ad cornu Euangelij. Si ^m in Altari paramenta accepit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari vt Missam inchoet.*

f *Caput detegit.*] Sanctus Paulus 1. Cor. 11. Omnis vir orans velato capite, deturpat caput suum. dixerat autem paulò antè, Caput viri, Christus. Signum enim est libertatis, sicut in feminis & Sacerdotibus Hebræis velatio capitis indicium est seruitutis, & subiectionis. Nudo capite, quia non erubescimus, ait *Tertull. lib. de Orat. Zacharias itaque Papa cap. Nullus. de Conf. Dist. 1.* iussit, ne velato capite Sacerdotes adstarent Altari. peccaret autem, si absque iusta causa, & sine dispensatione, tecto capite, etiam pileolo, quis celebraret. Si verò necessitas adit, & difficile sit petere dispensationem, vel non sæpè accidit, excusatur à peccato, *Siluest. ver. Missa. 1.*

quest. 2. §. 1. sed eo casu secretò celebrer, *Nauar. de Celebrat. Miss. consil. 7. num. 1.* & quamuis ibi concedat idem *Nauar.* posse renouari antiquum ritum amiciendi caput Amictu, qui ante Albam assumitur; negat tamen, nisi incommodæ valetudinis gratia, *Azor. sup. cap. 28. quest. 16.*

Verùm Sedi Apostolicæ reseruata est hæc facultas concedendi pileoli vsum, tum ex Decreto, quod est Papale, & in Concilio Romano, tum ex praxi Romana. nam sacra Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 2. *Ian. 1590. & 17. Ian. 1595.* concessit extra Canonem vsum pileoli Episcopo Faentino; & respondit Archiepiscopo Vrbinati, eo non posse

posse vti sine licentia Sedis Apostolica. Idem sensit sacra Rituum Congregatio 31. Ian. 1626. & 24 April. eodem anno, ad Papam scilicet spectare hanc dispensationem.

Afferunt Doctores, dispensationem hanc (sine qua non sufficit iusta causa, ut dicitur in *Defectib. tit. 10. num. 1. Si celebrat*, inquit, *capite cooperto sine dispensatione*) fieri posse ab Episcopo; & id dicunt quidem, sed non probant. At canon ille tam Episcopo quam Presbyteris prohibet, ne velato capite assistant Altari. An ergo Episcopus, cui fuit prohibitum à Papa, secum ipse & cum alijs dispensabit? Ioannes Andreas, post Hostiensem, in *c. 1. de Sup. neglig. Prel. in 6.* dicit notabile verbum (obseruante hoc Siluestro v. *Dispensatio. quest. 13.*) vbi Canones, ait, imponant legem ipsis Episcopis, non dispensat Episcopus, nisi hoc reperiat concessum. & Romæ vidi pauperes gratis dispensatos à Summo Pontifice. Hinc prædictæ sacra Congregationes constanter remittunt ad Papam, ut dispenlet; & ita respondit rursus sacra Rituum Congregatio die 26. Feb. & 7. Aug. 1628. à quibus non decet dissentire Decretis.

g *Tabernaculum.*] Hic prima mentio de Tabernaculo immobili SS. Sacramenti, quod appellatum est Pastophorium à *Clem. lib. 8. Const. Apost.*

3 *Si est consecraturus* ⁿ *plures Hostias pro Communione faciendâ, quæ ob quantitatem super Patena manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem; aut in aliquo Calice vel ^o *vase mundo p. consecrato ponit eas retrò post Calicem, & alia Patena seu* ⁿ *palla cooperit.**

ⁿ *Plures Hostias.*] Hoc est, particulas, ita dictas infra *tit. 10. num. 6.* de qua voce vide *Baron. anno 57. num. 149.* vbi *Tertull. de Monogam. c. 11.* eas vo-

c. 13. hoc est Thalamus, ex *Hier. c. 40. in Ezech.* Ad formâ columbæ fabricabatur illud ætate S. Basilij, ex *Amphilo. in eius Vita*; item ex auro, vel argento, *ibid.* Armariolū ligneum erat, apud *Reverum S. Laur. de quo Duran. lib. 1. cap. 16.* Quod autem hic dicitur, *genuflectens debitam facit reuerentiam*, intellige vnico genu, ut aliàs diximus.

h *Ad cornu Euangely sistit.*] An cornu nobilius prima vice Calicem excipit? sed reuera hoc fit, quia cornu Epistolæ occupatur à Missali.

i *Extendit in medio Altaris.*] Solent multi acu pingere Crucem in Corporali circa oram, & in medio; & tunc congruit, ut latus illud ad anteriorem partem Altaris referatur, *Acta Mediolanen. Eccles. Osculantur autem eandem Crucem osculaturi Altare*, quod nec approbo, nec reprobo. Certe conuenit, ut ora Corporalis oram Altaris tangat, ut manus intra Corporale post Consecrationem contineantur commodius.

l *Velo coopertum.*] In anteriori parte lateat totus Calix, quousque, reuelato Calice, reuelentur propria passionis Christi mysteria, ut dicemus, cum de Offertorio. habet igitur mysterium velatus Calix.

m *In Altari paramēta.*] Ex tolerantia hoc dicitur, deficiente Sacristia. & eo casu fiat, quod supra diximus *tit. 1.*

cat Buccellas, & *S. August.* Particulas. *Albaspinus* tamen explicat *Tertullianum in Notis ad eundem*, de elemosynis quæ pane erogato fiebant.

o *Vase*

o *Vase mundo.*] Id est Pyxide, infra titulo 10. num. 6. quam vocem usurpat sanctus Leo Papa ad Michaël. Imperat. Ciborium etiam à cibo, quem continet, appellavit, & paruum Ciborium, sanctus Chrysostomus Homil. 42. in Acta Apostolorum. Turrim vocat, quæ à Diacono gestari poterat, fortasse ob formam, Gregor. Turonen. lib. 1. de Gloria Mart. cap. 86. frequentius Pyxidem, Symmachus Papa in lib. Pontificali. Arca illustrationis Dei dicta est ab Hesychio apud Buleng. lib. 2. cap. 18.

p *Consecrato.*] Burchardus huius vocis est auctor hoc loco. latè tamen sumitur hinc consecratio pro simplici benedictione, quæ habetur in Ordine Romano, sine vñctione. decet enim

Pyxidem benedici saltem ut Corporale: & ab eo benedici potest, à quo & Corporale.

Nec est necesse, quòd sit eiusdem materia cuius est Calix, vel Patena; quia nullum Ius de hac re, Suarez 3. par. disputat. 81. sect. 7. qui monet, in vase inferioris materia, carente etiam auro lito, includendum esse aliud vas lineum simile Corporali, ob reuerentiam tanti Sacramenti. sed melius est, linire auro vas interius, ad dignoscenda & colligenda fragmenta; &, experientia teste, amyllum, quo linam illud imbuitur, generare solet animalia quædam minuta in Pyxide.

q *Palla cooperit.*] Si Pyxis proprium habet operculum, eodem tegatur.

4 *Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam, & signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum ^r Cruci reuerentia, ^s vertens se à cornu Epistolæ, descendit post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem.*

Apertio libri ad Sacerdotem spectat, qui representat Agnum aperientem librum, Apocal. 5. ex Innoc. III. lib. 2. cap. 3.

r *Cruci reuerentia.*] Cum capitis inclinatione, quod in sequentibus obserua: & sit semper profunda, ut supra num. 2. dictum est.

Multi addunt similem Cruci reuerentiam collocato Calice in Altari, antequam accedant ad librum aperiendum. qui ritus placet, uti valde pius, & habetur in libello de Cerim. Missa edito Romæ 1628. eo quia

fit post actionem circa Calicem, quam moram habet.

s *Vertens se à cornu Epistolæ.*] Sensus horum verborum est iuxta motum naturalem, qui clarius describitur infra tit. 5. num. 1. cum Celebrans dicitur est Dominus vobiscum; & militat in utroque casu eadem ratio motus à dextra Sacerdotis, quæ est sinistrum latus Altaris.

t *Post infimum gradum.*] Non supra gradum, sed in plano Cappellæ, ad humilitatem coram Deo magis indicandam.

5 *In Missa solemnè ^u Missale apertum super Altare, Calix verò ^v & ^x alia necessaria præparentur ^y in Credentia cooperta linteo, antequam Sacer-*

Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem & procedit cum Diacono & Subdiacono, qui capite cooperito, simul cum eo tenent manus iunctas ante pectus, ^a Acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde ^b collocantur super Credentia: & cum pervenerit ad infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à sinistris, ^c antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.

Ritus & Carimonia in Missa solemniori servanda parcius in Rubricis Missalis sunt descripta; tum quia de his in Carim. Episcoporum paulo ante Missalis recognitionem actum erat satis; tum quia minutiora persequi, non videbatur in Missali peropportunitum. Quare, ne quid in his nostris Commentarijs, sacrorum Rituum studiosiores desiderent, addam suis locis non pauca, imò plurima, quæ in Congregatione habita super Missalis recognitione, sub Clemente VIII. me quoque præsentem, declarata fuerunt, adnotata iam magna ex parte in Carimontali Congregationis nostre, multo cum labore nostro, & iussu Capituli Generalis nostri, eiusdemque auctoritate approbato, & edito anno 1607.

Illud autem primò admorebo, Missam solemnem, de qua hic loquimur, dici in Rubric. Principalem, & Conventualem. Publicam vocat Ordo Roman. titulo de Dedicat. Eccles. & Concil. V. a. sens. I. c. 2. Canonicam, S. Gregorius in lib. Capitulari c. 45. Generalem, Microc. c. 45. tum eam fuisse antiquiorem priuata, ut ex Dion. de Eccles. Hier. colligitur, & Clemente in Const. Apostolicis. nam Baronius anno tantum 418. Missæ priuatae nouit originem.

Ea verò est solemnior hoc loco, quæ in Festis solemnioribus cantatur, in qua nihil omittitur quod ad solemnior-

tatem indicandam spectat: nam in proleptis cantantur quidem Missæ cum Ministris; sed aliquando absque annotatione Altaris & Chori, sine Credentia, sine osculo pacis, quæ tolerantur potius, quam conceduntur, in Collegiatis (sunt) ut inter Festa & profesta appareat differentia. quo casu Subdiaconus portat Calicem, Diaconus librum de Sacrificia ad Altare. Hic, deposito & aperto libro, descendit ad Celebrantem, cum quo Confessionem facit; & interim Subdiaconus, explicato Corporali, collocat Calicem in medio Altaris, quod etiam innuitur infra ut. 7. num. 9. initio: eodemque modo, finita Missa, reuertuntur in Sacristiam. Toleranda hæc sunt potius quam concedenda, & de his non scribimus, quæ minus approbamus.

u. Missale apertum super Altare.] Per Carimontarium, aut Sacristam poni debet, antequam Celebrans incipiat Confessionem, si minus illud, antequam veniat ad Altare, collocatum fuerit: quia etiam in Missa priuata aperitur Missale ante Confessionem.

x. Aliæ necessaria.] Nimirum Missale unum, seu duo, pro Epistola & Euangelio cantandis, Velum longum, pro Subdiacono, Pellicula eum, vrceolis & manutergio, Calix cum Purificatorio, Hostia in Patena, Pallula, Velo, Bursa cum Corporali, Calix

lix autem erit in medio Credentia, cetera hinc inde.

y *In Credentia cooperta linteo.*] Erit hæc breuis, demissa, simplex, à latere Epistolæ, sine gradibus, sine Cruce, vel imaginibus, cooperta linteo, vsque ad terram vndequaue pendente, *Cærimonial. Episcop. lib. 1. cap. 12.*

z *Procedit cum Diacono, &c.*] Antequam exeant è Sacristia, Celebrans imponat capite aperto incensum in Thuribulum, ministrante Diacono nauiculam, & Thuriferario Thuribulum, cū benedictione, eo modo prorsus qui describitur *infra tit. 4. num. 4.* & nos ibidem exponemus. Thuriferarius autem portans Thuribulum manu dextra, in anulum quidem maiorem pollice immisso, anulum verò catenæ mediæ, siue operculi, annulari digito sustentans, & nauiculam, illis scilicet pedem, sinistra manu tenens ita, vt pars, quæ aperitur, à parte exteriori sit, non pectus respiciat, præcedit ante omnes, sicut in lacris Processionibus. Diaconus & Subdiaconus, de quibus hîc, procedunt capite cooperto vnus post alium, *Hugo Victorin. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 14.* Pares autem cum Celebrante, si hîc Pluuiale sit indutus pro asperione aquæ benedictæ, *Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 30. & 31.*

a *Acolythi, &c.*] Latine Ceroferrarij, quorum ordo apud Baron. idem est ac Acolythorum, *anno 58. num. 70.* qui sint pares statura, vt æqualia in motu sint candelabra. Ferant autem eadem illi, ita vt, qui à parte dextra incedit, apponat dextram nodo candelabri medio, sinistram pedi eiusdem: & qui à sinistra incedit, è conuerso, sinistram nodo, dextram pedi. Si adsit Cærimoniarus, procedit so-

lus post Acolythos, *Cærimon. Episcop. lib. 2. cap. 3. in casu simili.*

b *Collocantur super Credentia.*] Ante Confessionem, *Cærim. Episc. lib. 2. cap. 8.* & collocantur accensæ in cornibus mensæ anterioribus, ad differentiam candelabrorum quæ collocantur in Altari, & vt vsui præstò sint Acolythi.

Birreta Celebrantis (qui dat Diacono suum) & ministrorum deponuntur à Cærimoniaro extra Credentiam super aliquod scamnum, puta, vbi sunt tessuri, vel in alio loco decenti.

c *Antequam ascendat.*] Genuflectit, si in Altari est tabernaculum sanctissimi Sacramenti; vel, si non est, caput profundè inclinat Cruci, antequam incipiat Confessionem. Ministri verò omnes etiam Cruci, quæ in Altari est, genuflectunt in tota Missa, *vt in tit. 4. num. 7. expresse habetur.* Simile quid habes in Absolutione post Missam Defunctorum, in qua Diaconus genuflectit Cruci quam portat Subdiaconus; ergo genuflectunt Cruci inferiores Ministri, ad differentiam Celebrantis. ad Confessionem autem genuflectunt Acolythi, & Thuriferarius prope Credentiam. Cærimoniarus si adest, genuflectit vbi vult, à latere commodiori ad functionem suam, cui neque stanti assignari potest certus locus in presbyterio; vt plurimum stabit à cornu Epistolæ.

Porro Processio ante Missam antiqua est, & habetur in *Ordine Romano*, cum Acolythi candelabra & incensum portantibus; cuius mysteria, sicut & sequentium rituum, vno in loco collecta post finem Missæ totius indicabimus, vnâ cum Mysterijs Missæ priuatæ.

Si in hac Processione contingat tranlire

transire ante Altare sanctissimi Sacramenti, fiat, vt supra, in Missa priuata; sed Celebrans semper detegat caput, quia non gestat Calicem, & genuflectat medius inter ministros, qui & eadem cum eo præstare debent.

6 In Missa Pontificali omnia seruentur, vt in Pontificali & Cerimoniali Romano ordinatur: cuius Pontificalis ordinem Episcopus nunquam præmittat, quandocumque cum Diacono & Subdiacono paratis celebrat.

Fortasse & nos dabimus in lucem proprias Noras in Rubricas Pontificalis & Cerimonialis Romanorum. Verùm de Missa Pontificali nihil habet amplius Pontificale modernum, post editionem Cerimonialis Episcoporum, in quo tradita est integra Pontificalis Missa: quare in præcedentibus & sequentibus, pro Pontificali intellige Cerimoniale Episcoporum.

De principio Missæ, & Confessione facienda. III.

1 **S**acerdos cum primùm descenderit ^d ad infimum gradum Altaris, conuertit se ad ipsum Altare, vbi stans in medio, ^e iunctis manibus ante pectus, extensis & iunctis pariter digitis, & ^f pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis, (quod semper seruetur quando iunguntur manus, præterquam post consecrationem) detecto capite, facta prius Cruci vel Altari profunda reuerentia, vel, si in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, facta genuflectione, erectus incipit Missam.

^d Ad infimum gradum.] Idem significat, quod infra dicitur num. 4. ante infimum gradum.

^e Iunctis manibus.] Meminit Nicol. Roman. Pontif. ad Conf. Bulgarorum rescribens, de constrictis ante pectus manibus in oratione; & ait, fieri humilitatis gratia, quia in Evangelio (Matth. 22. ligatis manibus) reproborum manus ligari reperiuntur. quasi dicat orans: Domine, ne ligari manus præcipias, quia ecce iam eas ligavi, & ecce in flagella pa-

ratus sum. Hec ille. Item iunctio manuum deuotionem significat, Durand. lib. 4. cap. 7. supplices etiam manus indicant, supplicio destinatas esse.

^f Pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis.] Ita Burchardus. Quadrat iunctioni manuum, secundum prædicta: nam forma hæc & signum Crucis excitant ad humilitatem & deuotionem; & videtur hoc ritum quasi formari nodus vinculi manuum, de quo paulò antè.

2 Si celebraturus sit coram Summo Pontifice, sistit se in infimo gradu Altaris ^g à cornu Euangelij ante ipsum Pontificem, vbi genuflectus expectat: ^h accepta benedictione erigit se, & stans aliquantum versus

ad Altare, incipit Missam. Si autem sit ⁱ coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, ¹ Archiepiscopo, & Episcopo ^m in eorum residentijs, vel loco iurisdictionis, stans in infimo gradu à cornu Euangelyi vt supra expectat: dato signo, facit profundam reuerentiam Pralato, & versus ad Altare incipit Missam.

g *A cornu Euangelyi.*] Eò quia Summus Pontifex occupare debet locum medium ante Altare, vt pote nobiliorem. idem locus debetur & alijs Pralatis. Minister autem erit in cornu Epistolæ. Si verò locus non capiat Prælatum in medio, nihilominus Celebrans prædicto in cornu Missam incipiat.

h *Accepta benedictione.*] A Papa petit Celebrans benedictionem, non ab alijs inferioribus Papæ, quibus profundè tantum inclinatur caput, quia vestibus paratus est Sacerdotalibus; illi verò etiam genuflectit tamquam summo Sacerdoti.

i *Coram Cardinale.*] Addit *Burchard.* in loco sui Tituli, seu Cardinalatus. sed verè vbique terrarum Cardinales aliquam iurisdictionem habent, & summam in toto Orbe præminentiam, ex *Carim. Episcop. lib. 1. cap. 4.* tamquam Consiliarij Papæ. vnde & vbique Mozettam, seu Birrum lacernum induunt, indicium iurisdictionis; & est (colore rubeo excepto) vestis Episcopalis, apud *Baron.*

de sancto Cypriano. an. 261. Plura de Birro *Gabriel Pernottus in Histor. Tripartita Can. Reg. lib. 1. cap. 22.*

l *Archiepiscopo.*] In tota eiusdem Prouincia; in qua ideirò & ipse Mozettam induit.

m *In eorum residentijs.*] Episcopis datur hic honor in Ecclesijs, etià Regularium & exemptis, intra suas dioceses, in quibus vsum habent Rochetti nudi & Mozettæ, quæ sunt plenariæ iurisdictionis indicia.

Docet *Microl. cap. 22.* Sacerdotem sacrificaturum debere se inclinare Episcopo pro licentia celebrandi; id est, si proprius est Episcopus.

Cum alijs Principibus & Prælatis debet Sacerdos ita se gerere, vt eos quidem honoret, sed parcius quàm prænomatos in Rubrica, puta, antequam accedat ad Altaris gradus, Calicem tenens manibus, vt supra, sese illis inclinet, capite tecto, profundè, & profundius pro dignitate personarum. Idem præstare poterit in fine Missæ recedens ab Altaris gradibus, dum adhuc est in plano Cappellæ.

3 *Si autem solemniter celebrat coram Summo Pontifice, aut alio ex Pralatis prædictis in Ecclesijs eorum iurisdictionis, stans à sinistris Pralati, facit cum eo Confessionem, & alia seruat, vt in Pontificali & Cerimoniali Romano ordinatur.*

Et nos aliàs. Superfluit, vt diximus, verbum illud *Pontificali.*

4 *Stans igitur Celebrans ⁿ ante infimum gradum Altaris, vt supra, producens manu dextra à fronte ad pectus ^o signum Crucis, dicit intelli-*

intelligibili voce, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiam si Sacramentum eleuet, sed continue prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemnibus, & simul ꝑ etiam à Ministris.

n Ante infimum gradum.] Variatur locutio, sed res eadem, id est, in plano.

o Signum Crucis.] Ante omnem actum manus pingat Crucem, s. Hieronym. Epist. 22. ad Eustoch. cap. 16. & manus dextra, ex Iustino Martyre ad Orithod. Resp. ad quæst. 118. & manus plena, hoc est, quinque digitis, ad quinque Vulnera Christi significanda, Durand. lib. 2. cap. 46. sed tribus digitis signum Crucis exprimendum esse, quia sub inuocatione Trinitatis imprimitur, aiebat Innocent. III. lib. 2. cap. 45. & memorat Leo IV. Epist. ad Episcopos: ita ut manus à superiori descendat in inferius, & à dextra transeat ad sinistram; quia Christus

de Cælo descendit in terram, & à Iudæis transiit ad Gentiles. Quidam tamen, sicut ille, à sinistra producunt in dextram (quod nos hodie præstamus) quia de miseria transire debemus ad gloriam, sicut & Christus de morte transiit ad vitam. Hæc Innocentius. vbi etiam habes inuocationem Trinitatis: In nomine Patris, & Filij, &c.

p Etiam à Ministris.] Intellige de Ministris paratis, non de inferioribus. Sed expediret Missas priuatas facere procul ab Altari vbi Missa fit sollemnis; vel omittere pulsationem campanulæ ad eleuationem, iudicio prudentis Sacrificæ.

5 Cum seipsum signat, semper sinistram ꝑ ponit infra pectus: in alijs benedictionibus cum est ad Altare, & benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis iunctis & extensis, à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, paruum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicens, totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis & extensis: quod in omni benedictione observatur.

Eadem omnia Burchardus.

q Ponit infra pectus.] Ita, ut sinistra manus sit extra terminos Crucis à dextra impressæ, sed tamen supra Cingulum eam ponat. Reliqua patent, & habentur apud Innocentium III. citato loco. Cui autem benedicens alijs rebus in Altari, ponat si-

nistram super Altare, causam dabitur infra tit. 7. num. 5. nam in utroque hoc casu non decet sinistram manum suspensam quasi in aëre teneri; sed deponi debet, ut quiescat, cum proportione tamen ad terminum, ad quem mouetur dextra: & hæc doceat Rubricæ.

6 Postquam dixerit, *In nomine Patris, &c.* ut supra, iungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam, ^r Introibo ad Altare Dei. Minister verò retrò post eum ad sinistram genuflexus (& in Missa solemnè Ministri hinc inde stantes prosequuntur) Ad Deum qui lætificat iuventutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, & prosequitur cum Ministro, vel Ministris, alternatim Psalmum, ^t *Iudica me Deus, usque ad finem, cum Gloria Patri.* Quo finito, repetit Antiphonam, Introibo, cum Ministris, ut supra. Qui Psalmus ^c numquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore, ^u à Dominica Passionis inclusivè usque ad Sabbatum sanctum exclusivè: in quibus semel tantum dicta Antiphona, Introibo, cum Ministris, ut supra, Sacerdos statim subiungit *ŷ. Adiutorium nostrum, &c.* ut infra. cum in fine Psalmi dicit, *Gloria Patri, &c.* caput Cruci inclinat.

^r Introibo ad Altare Dei.] Habet Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 2. & docet solitum dici Microl. cap. 23.

[*Iudica me Deus, &c.*] Habet Microl. ibidem. & ex Decreto Cælestini dicit, asserit Duran. lib. 4. c. 7. cum Platina, qui Martinum Cassinatem citat.

^t Numquam prætermittitur, nisi, &c.] Quoniam in Missis Defunctorum, & de Passionis tempore, abstinemus à Versu lætitiæ, *Gloria Patri, & Filio*, quo Psalmus, *Iudica*, concludi debet; idèò Psalmus totus omittitur, præterquam quòd lætitiæ quoque Psalmus est, dum dicitur con-

tra tristitiam, *Quare tristis es anima mea?* at in his casibus non est fuganda tristitia.

^u *A Dominica Passionis.*] Docent aliqui recentiores Hispani, hanc Rubricam servandam esse quoque in Missis Votivis de Cruce, & Passione, tempore passionis; & alteram item, de qua infra, ad *Lavabo*, ut non dicatur *Gloria*. Sed verè dispar est ratio: nam hæ Votivæ sunt, hoc est, non concordant cum Officio de Tempore. tum Missa de Cruce discordat etiam in colore paramentorum à tempore passionis.

7 Repetita Antiphona, Introibo, dextra manu producens signum Cruci à fronte ad pectus, dicit *ŷ. Adiutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit calum & terram.* Deinde Altari se profundè inclinans, iunctis manibus dicit, ^x *Confiteor Deo, ut in Ordine Missæ: & prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec à Ministro, vel Ministris, dictum sit, Misereatur.* Cum incipitur à Ministris *Confiteor*, se erigit; cum dicit, ^y *mea culpa*, ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita.

^x *Confiteor Deo.*] Liturgia sancti Iacobi à Confessione incipit, Azor. l. 10.

cap. 36. quest. 1. Damasum autem auctorem facit, quod apud Romanos sit in

in vsu, *Radulph. Propos. 23. Pontianum Berno de Offic. Miss. cap. 25. & rectè solet esse iustus in principio accusator sui, Proverb. 18. meminit Aug. Confessionis huius Serm. 48. de Tempore. Neque addas arbitrio tuo in Confessione hac Patroni nomen, aut alterius Sancti; quia Pius V. hoc expressè concessit Ecclesijs Hispaniarum: ergo non sine Papæ licentia fieri debet additio, Bulla Py V.*

y *Mea culpa, ter pectus, &c.*] Percutimus pectus, exemplo Publicani *Luc. 18. quasi peccata intus inclusa contestantes, ex Cypr. lib. de Orat. Dom. vel, ac si cogitationes velimus à corde pellere, ex Hier. in Vita Hilarionis; vel quia tussio pectoris est contritio cordis, ex Augustino Enarrat. 2. in Psalm. 31. vel, ex Ni-*

col. I. cap. 54. ad Bulgary. signamus, quòd in nobis ferimus, antequam Deus feriat: vel flagellis & percussionibus nos dignos fatemur, ex Euthymo; vel mundari cor optamus, & euacuari sordibus, ex Hier. contra Luciferianos: vel, vt excitemus cor nostrum, ait Theophylact. vel ad placandum iudicem, ultionem de nobis sumimus, ex Chrysost. Homil. 41. ad Pop. vel, vt castigemus carnem nostram, qua Deum offendimus, ex August. in Psalm. 146. Ab Apostolis ortum habet hic ritus, ex Nauarr. de Hor. Canon. cap. 4. inclinationis autem ante Altare, quæ fit in Confessione antequam ascendatur, meminit Cyprian. Epist. 64. tussionisque pectoris hoc loco ad Confessionem, August. Sermone 48. de Tempore supra citato.

8 Si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum prouincia, ciuitate, vel diocesi constitutis, ubi dicit, vobis fratres, dicat, tibi pater: similiter in fine, ubi dicit, vos fratres, dicat, te pater: quod dicens Summo Pontifici genuflectit, alijs Prælati profunde se inclinat.

9 Cùm minister, & qui intersunt (etiam si ibi fuerit Summus Pontifex) respondent Confiteor, dicunt, tibi pater, & te pater, aliquantum conuersi ad Celebrantem.

Vide hoc loco dignitatem Sacerdotis, cui coram Papa dicitur à circumstantibus, tibi Pater, & te Pater.

10 Facta à circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet, ^z Misereatur vestri, &c. Deinde producens manu dextra à fronte ad pectus signum Crucis, dicit, Indulgentiam, &c. (& si est Episcopus, ^a accipit Manipulum, osculando illum in medio.) Et stans inclinatus iunctis manibus prosequitur, Deus tu conuersus, & quæ sequuntur in Ordine Missæ, clara voce vsque ad Orationem, ^b Aufer à nobis, &c. & cùm dicit, Oremus, ^c extendit & iungit manus:

z. Mife-

z *Misereatur, &c.*] Habet *Microl.* loco citato, & item, *Indulgentiam*. Ad *Misereatur* Ministri adhuc inclinati manent, sicut ad *Confiteor*; stant autem ad *Indulgentiam*.

a *Accipit Manipulum.*] Vide supra qua diximus in. i. num. 6. de *Manipulo Episcopi* pag. 96.

b *Aufer a nobis.*] Habetur hæc

Oratio in *Ordine Romano* post *Litanias* in *benedictione Ecclesie*. quis huc transtulerit, ignoratur.

c *Extendit & iungit manus.*] *Extensione* manuum quasi colligit Sacerdos altantium corda, iunctione quasi cogit eadem in unum ad orationem; unde & clara voce dicit, *Oremus*. Ita *Melchior Huelamus de Carim. Missa*.

11 Et tunc, si coram Summo Pontifice, aut alijs Prælatijs, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, alijs Prælatijs profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit secreto, *Aufer a nobis*, ut in *Oratione Missæ*.

In Missa solemnî Ministri inclinent, percutiant sibi pectus, ut supra; sed ad *Oremus* non diducant manus, quod solius est Sacerdotis inuitantis: ijdem manus semper iunctas teneant à prin-

cipio confessionis vsque ad finem. Signa quoque Crucis sibi adhibeant vna cum Celebrante; quod etiam in tota Missa observent, excepto Subdiacono, dum Patenam tenet.

De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis. IV.

1 **D**um dicit, *Aufer a nobis, &c.* Celebrans iunctis manibus ascendit ad medium Altaris; & ibi inclinatus, manibusq; item iunctis super eo positus, & ita, ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabule seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare & se retento, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (qua omnia semper observantur, cum manus iuncte super Altare ponuntur) secreto dicit, *Oremus te Domine, &c.* & cum dicit, *Quorum reliquie hic sunt,* d osculatur Altare in medio, e manibus extensis aequaliter hinc inde super eo positus: quod semper servatur quando osculatur Altare: sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione siue Altaris, siue libri, siue alterius rei, f non produciturn signum Crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.

d *Osculatur Altare.*] Meminit *Infin. in fin. Apol. 2.* osculi Altaris inter orandum, in signum venerationis. Hoc autem loco fit, ex *Innocent. III. lib. 2. cap. 15.* ut sicut Altare Christum designat, ita Sacerdos meminisse debet desiderij & amoris sponsæ,

Osculetur me osculo oris sui, ibid. Est etiam osculum signum reverentiæ, unde *Esther* osculabatur apicem virgæ Regis. Caueat ergo, ne audiat Celebrans vocem illam, *Osculo filium hominis tradis?* *Duran. lib. 2. cap. 57.* caueat item, ne osculetur à la Cre Altaris

ris, ferè similis Iudæ, sed in medio Altaris illud idem osculetur, vbi sunt Reliquiæ Sanctorum.

Monet Hier. Cantonus in *Ordinar. diuin. Offic.* quòd, vbi non sunt Reliquiæ Sanctorum, ex dispensatione Apostolica, in Altari, omitti debent verba, *Quorum Reliquia hic sunt*: eoque casu osculum Altaris fieri debet ad ea, *indulgere digneris.* & bene monet.

e. *Manibus extensis*, &c.] Hæc Durand. lib. 4. cap. 39. quia, inquit, si renuit operari, amor non est, secundum

Gregorium; & quia omnium temporalium curam deponere debet, qui tanto Sacrificio operam dat, idem. vel ad pacem indicandam à Christo vtrique populo nuntiatam, qui significatur in vtroque latere Altaris, *Eduens. cap. 12.* Iunctio item manuum ad anteriorem & superiorom Altaris partem, significat, Christum fecisse vtraque vnum, *Scortia lib. 3. cap. 12.*

f. *Non producit signum Crucis.*] Quia Altare, vel Ara est consecrata; liber etiam, & aliæ res alijs decaus sanctificatæ.

2. *Osculato Altari accedit g ad cornu eius sinistrum, id est Epistola: vbi stans versus Altare, & producit à fronte ad pectus h signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum missæ, & prosequitur iunctis manibus. Cùm dicit, Gloria Patri, tenens iunctas manus, i caput inclinat versus Crucem. Cùm repetit Introitum, non signat se vt prius: & eo repetito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, vbi stans versus illud similiter manibus iunctis, dicit eadem voce ter, l Kyrie eleison, ter, Christe eleison, & iterum ter, Kyrie eleison, alternatim cum ministro. Si minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus nouies dicit.*

g. *Ad cornu eius sinistrum.*] Appellat Iuo Carnot. *Sermon. de Conuen. noui & veter. Sacrificij*, Epistolæ latus, dextram partem Altaris, & significare dicit Israëlitas, qui erant à dextris Dei, sed quod est sinistrum, sibi est dextrum, respectu dextræ Celebrantis. Idem habet *Innoc. III. lib. 2. cap. 22.*

h. *Signum Crucis, &c.*] *Burchard. & hîc præcisè Missa incipit: quare cõuenit, vt signum Crucis faciat Sacerdos.*

De Introitu & eius partibus egimus *sup. par. 1. tit. 8. num. 1. pag. 20.*

i. *Caput inclinat.*] Cùm Trinitati datur gloria, Crucifixio reuerentiam exhibemus, in quo tota Trinitas, ob vnitatem essentia cum Verbo, reperitur esse: & eo casu satis est conuerrere caput ad Crucem, non personam; quod in sequentibus nota.

l. *Kyrie eleison.*] Vide *supra tit. 8. num. 2. pag. 21.*

3. *Dicte ultimo Kyrie eleison, Sacerdos stans m in medio Altaris, & n manus extendens, eleuansq, vsque ad humeros (quod in omni manuum eleuatione obseruatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit, Gloria in excelsis. Cùm dicit, Deo, iungens manus, o caput Cruci inclinat:*

P

clinat:

clinat: quo erecto, stans iunctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, Adoramus te, Gratias agimus tibi, & Iesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, & iterum, Iesu Christe, caput Cruci inclinatur. Cum dicit in fine, Cum sancto Spiritu, se ipsum p̄ à fronte ad pectus signat, interim absolvens, In gloria Dei Patris, Amen.

m In medio Altaris.] Quia mediator Christus est, quem representat Sacerdos, Dist. 10. Quoniam & quia Angeli media nocte Natiuitatis Christi in medio Pastorum hunc Hymnum cecinerunt, Durand. lib. 5. cap. 13.

n Manus extendens, &c.] Ad decentiam motus hic terminus manuum præscribitur usque ad humeros, non ad mysterium; & eleuatio earum designat, quòd caelestia diligimus, ex Orig. Homil. 11. in cap. 17. Exod. extenlio verò vim affectiuam orantis, ex Basil. in cap. 1. Isaia.

De Gloria in excelsis, vide supra tit. 8. num. 3. pag. 22.

o [Caput Cruci inclinatur.] In sex locis caput inclinamus in hoc Hymno: & ratio est summæ reuerentiæ; ideo-

que caput inclinatur Cruci, quæ est in medio. Caput Deo inclinatur, ait Burchardus, ac Deus in Altari est in Cruce: ergo Cruci inclinemus, vt docet Chrysostomus in Liturgia.

Monet Io. Baptista Constantius in Monit. ad Curatos, genuflectendum esse ad verbum adoramus, & in Symbolo ad verbum adoratur; si nimirum ibi est Sacramentum, sed gratis dicit, & nullo auctore.

p A fronte ad pectus signat.] Hoc est, signo Crucis. Quid dubitas? estne aliud signum? sicut etiã in fine Symboli; quia Hymnus Angelicus & Symbolum sunt de verbis Euangelij, quod Crucem continet, Belet h. c. 50. at sinistram infra pectus pone, vt supra; & iunge manus in verbo Amen, in fine.

- 4 In Missa solemnè Sacerdos facta confessione q̄ ascendit cum ministris ad medium Altaris: ubi dicto, Oramus te Domine, & ^r osculato Altari, ponit ^f incensum in Thuribulum, ^t ministrante Diacono nauiculam, & ^u Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinat versus Celebrantem dicit, Benedicite pater reuerende, & ^x osculatur cochlear & manum Celebrantis antè & post, Celebrans ^y ter incensum ponit in Thuribulum, dicens interim, Ab illo benedicaris: & deposito cochleari, producens manu dextra signum Crucis super ihu in Thuribulo, illud ^z benedicit. Postea Diaconus ^a dimissa nauicula accipit Thuribulum, & dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, & manu illius dextra. Qui, facta Cruci profunda reuerentia, eam ter incensat, nihil dicens: & facta iterum Cruci reuerentia, ^b incensat Altare, ter ducens Thuribulum equali distantia, ^c prout distribuuntur candelabra, à medio eius usque ad corc u Epistola.

le: ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, & mox superiorem, bis ducto Thuribulo; & conuersus ad Altare, eleuans manum incensat eius planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum vsque ad medium: ubi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vsque ad cornu Euangelij: & pariter incensata inferiori & superiori parte ipsius cornu Euangelij duplici ductu, adhuc stans ibidem, eleuans Thuribulum, ter incensat superiorem tabula partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ; deinde manu aliquantum demissa, incensat anteriorem eius partem, seu frontem, ter ducens Thuribulum dum procedit à cornu Euangelij vsque ad medium Altaris: & facta Cruci reuerentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem vsque ad cornu Epistolæ; ubi reddito Thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

q Ascendit cum Ministris.] Diaconus sinistra manu, Subdiaconus dextra Albam & vestem anteriorem Celebrantis paululum eleuat, dum ille ascendit.

r Osculato Altari.] Ministri non osculantur, neque tangunt Altare, sed suo quisque loco genuflectit, & statim surgit, quod semper obseruent.

l Incensum in Thuribulum.] Hic primum Thuribuli nomen habetur. Thymiamaterium appellat Ambros. lib. 4. de Sacerd. cap. 1. Thymiam significat incensum, Canon 3. Apost. meminit, & Damas. in Vita Soteris, & Siluestri; vsumque ad nos ab Hebræis manasse, docet Bellar. lib. 2. de Missa cap. 15. Sed nota, si quidquam aliud misceatur cum incenso, maior quantitas semper esse debet incensi, ut dicitur in Cerimon. Episc. lib. 1. cap. 23. ut incensum dici queat. Thuribulum autem significat Christum igne Spiritus sancti plenum, & odore bono, Amalar. lib. 3. cap. 5. & 18. Tres catenulæ tres denotant vniones in Christo, quibus diuinitas & humanitas iunguntur, scilicet vnionem carnis ad

animam, diuinitatis ad carnem, & eiusdem ad animam; quarta catenula deitatis ad compositum, Innoc. III. lib. 2. c. 17.

t Ministrante Diacono nauiculam.] Datur illi nauicula aperta sine osculis à Thuriferario. Nauicula verò dicitur, quia formam nauis refert. Acerra dicta est à Tertulliano Apolog. aduersus Gentiles cap. 9.

Subdiaconus in hoc casu stat à sinistris Celebrantis.

u Thuriferario Thuribulum.] Hoc est, sustentante Thuriferario annulum maiorem manu sinistra, & eleuato altero annulo operculi manu dextra, eademque manu complectente catenulas circa medium earum inter operculum, & Thuribulum, flexoque quasi genu dextro, offerente Thuribulum æqualiter eleuatam ad nauiculæ altitudinem Celebranti.

x Osculatur cochlear & manum.] Osculum rei, quæ porrigitur, fit ad fidem, & dicitur osculum fidei. Osculum verò manus est ad venerationem, ait Hier. in Rufinum. vtrumque osculum requirit Crass. lib. 1. cap. 20.

y *Ter incensum ponit, &c.*] Manum sinistram pectori admouet Celebrans, & dextra sumit ter, & immittit ter incensum in Thuribulum de nauicula.

z *Benedicit.*] Non addit, *in nomine Patris, &c.* Benedictio verò incensi est antiqua in *Liturgijs S. Basilij, & sancti Chrysosti.* Apud nos cum Prolepia fit, & loquimur cum incenso ipso: *Benedicaris.*

a *Dimissa nauicula.*] In manu Thuriferarij, qui sine osculis, demisso operculo, statim tradit Thuribulū Diacono,

b *Incensat Altare.*] Habetur in *Liturgia sancti Iacobi.* tum *Dion. cap. 3.* & *Ambr. in Luc. cap. 1.* astruunt Altaris incensationem. sed initio Missæ eam faciendam esse, & apud quasdam Ecclesias fuisse tunc in vsu, scribit *Hugo Victorin. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 14.* Fit autem incensatio ad repræsentandam gloriam Dei, qui in nebula

apparebat; tum ad reuerentiam loci, vt malus odor inde pellatur concurrentis populi, *Bellarmin. lib. 2. de Miss. cap. 15.* tum ad repræsentandum odorem bonum Christi, *ex S. Germano in Theoria;* tum orationem ad Deum dirigendam esse, *ex Psal. 140. S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 5.* demum ad expellendos etiam dæmones, *Innocentius III. lib. 2. cap. 17.*

c *Prout distribuuntur candelabra.*] Non enim incensantur candelabra, sed posterior illa pars Altaris, in qua sunt candelabra. Si pauciora ea sint quàm sex, adhuc triplici ductu Thuribuli ea pars est incensanda, *vt in sequenti numero dicitur.*

d *Mox superiorem, &c.*] Id est, semel inferiorē, semel superiorem, nō vnquamque partem semel & iterum.

Nihil in tota hac incensatione à Celebrante dicitur.

5 *Si verò in Altari fuerint e Reliquia, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, & facta ei reuerentia, antequam discedat à medio Altaris, primum incensat eas quæ à dextris sunt, id est à parte Euangelij prope Crucem, bis ducens Thuribulum, & iterum facta Cruci reuerentia, similiter incensat bis alias quæ sunt à sinistris, hoc est à parte Epistolæ: deinde prosequitur incensationem Altaris, vt supra, ter ducens Thuribulum in vnoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquia vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.*

e *Reliquia.*] Reliquijs, seu Imaginibus, id est, statuis Sanctorum (non pictis imaginibus in pariete) fit reuerentia cum thure hoc loco; tamen istdem non inclinat caput Celebrans, ad differentiam Crucis, cui inclinare debet; ea ratione, qua abstinemus à genuflexione, quæ fit, verbi gratia, Episcopo proprio, si coram eo sit Cardinalis, aut Papa. & hic ritus seruatur Romæ, ne scilicet fiant immediatè

tres capitis inclinationes, vt attentè consideranti pater. Approbat incensationem Imaginum Sanctorum *Synodus 7. Act. 4.* ergo multò magis Reliquiarum. Et, *sancto Basilio teste,* hoc ipsum, quòd erga conseruos bonos honor, erga ipsum Dominum commune benevolentia signum exhibetur. Honor autem & cultus Reliquiarum habetur *lib. 6. Const. Apost. cap. 30.*

ORDO INCENSATIONIS ALTARIS.



6 Si in Altari fuerit Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto Thuribulo antequam incipiat incensationem, ^f genuflectit, quod item facit, & quotiescumque transit ante medium Altaris.

^f Genuflectit.] Ob presentiam sanctissimi Sacramenti, quamvis lateat & eo casu non inclinat caput Cruci, quam incensat. adorat igitur quod lateat, & patet, Sacramentum, & Crucem; incensat quod manifestè patet, id est Crucem. Antitypa corporis Chri-

sti, id est Symbola, vocat Eucharistiam Clem. lib. 6. Const. cap. 26.

^g Quotiescumque transit.] Accidit transire ante medium Altaris in incensatione bis; & textus loquitur tantum de incensatione Altaris, non de alio transitu in Missa.

7 Diaconus & Subdiaconus hinc inde ^h assistunt Celebranti dum incensat, & cum transeunt ante Crucem semper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono à dextris eius, Subdiacono à dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ, ⁱ legit Introitum, & Kyrie eleison. Cum verò intonat Hymnum, Gloria in excelsis Deo, Diaconus & Subdiaconus, ^l unus post alium, stant à tergo Celebrantis: postea ^m ascendant ad Altare, & hinc inde, Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris, cum Celebrante Hymnum submissa voce ⁿ prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur cum dicitur Credo, & cum dicitur, Dominus vobiscum, Oratio, Prefatio, & Pater noster, Diaconus & Subdiaconus similiter stant unus post alterum à tergo Celebrantis.

^h Assistunt Celebranti.] Ministri inferiunt hinc inde eleuando planctam eam partem, quæ est circa brachia Celebrantis, vt non impediatur; altera eorum manu pectori interim admota.

Diaconus in accipiendo Thuribulum à Celebrante osculatur primò manum eius, tum catenularum summitatem, eumque incensat, cum inclinatione semper profunda capitis, ante & post, cui Celebrans nec modicum quidem caput inclinat.

Librum amouet de Altari Thuriferarius, si abest Cærimoniarius, & restituit statim, quando nimirum incensandum est cornu Epistolæ, seu Evangelij, tempore incensationis huius, & Oblatorum infra. quòd si adsit Assi-

stens Pluiali indutus, eiusdem erit amouere librum, Cærim. Episc. l. 1. c. 7.

Subdiaconus autem ad incensationem Celebrantis à Diacono sistit se contra cornu Epistolæ, neque cum Diacono caput inclinat Celebranti.

Finite incensatione redit in Sacristiâ Thuriferarius, qui propterea non habet locum stabilem in Presbyterio.

ⁱ Legit Introitum.] Solus Celebrans legit, non ministri: qui tamen respondent, & dicunt cum eo nouies, Kyrie, & Christe eleison, in eodem cornu Epistolæ usque ad nonum.

^l Unus post alium.] Diaconus super secundum gradum, Subdiaconus in plano Cappellæ se locant, formantes rectam lineam, tanquam serui post Dominum.

^m Ascen-

m Ascendunt ad Altare.] Facta in medio tantum, ubi sunt, prius genuflexione, non alia iterum ad Altare.

n Prosequuntur usque ad finem.] Caput inclinant ministri cum Celebrante, & signant se in fine. Si sedendum erit, parato scamno oblongo, & decenter vestito à latere Epistolæ, in plano Cappellæ, postquam Celebrans dixerit secretò Hymnum Angelicum, facta Cruci à Celebrante inclinatione, seu genuflexione (si in Altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti) & à ministris semper genuflexione, descendunt vnus post alium per breuiorem viam à latere Epistolæ ad sedem paratam, in qua sedent cooperato capite; quod tamen aperiunt cum inclinatione ad verba suprâ notata Hymni, dum cantantur à Choro: in fine verò non se signant rursus signo Crucis. quæ omnia & in Symbolo sunt obseruanda.

Sedet Celebrans medius inter Dia-

conum à dextris, & Subdiaconum à sinistris. Stant Acolythi regulariter apud Credentiam.

Reuerturi verò ad Altare, dimissis birretis, procedunt vnus post alium per planum Cappellæ, & facta in medio reuerentia Altari, vt suprâ, ascendunt quisque ad locum suum, vno remanente post alium.

Si verò sedendum non sit, quod maximè decet coram Sacramento in Altari exposito, stabunt apud Altare quasi pares, ex communiore vsu Romano, à principio vsque ad finem dicti Hymni cantati à Choro, & inclinabunt, vt suprâ dictum est: finitoque Hymno, facta à ministris genuflexione ibidem, descendunt ad gradus suos, vt vnus stet post alium.

Habes in fine huius Rubricæ, quoties ministri stare debent vnus post alium in Missâ, id est, nouies; ergo non in alijs casibus, quàm hoc loco præscriptis, & numquam extra Missam.

De Oratione. V.

DICTO Hymno, Gloria in excelsis, vel, si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans ^o osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, vt suprâ, extensis; tum illis ante pectus iunctis, & demissis ad terram oculis, vertit se à sinistro latere ad dextrum & versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, & extendens ac iungens manus ante pectus, vt prius, dicit voce prædicta, ¹ Dominus vobiscum (vel, si sit Episcopus) ¹ Pax vobis (quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est Hymnus, Gloria in excelsis) &c. ² Et cum spiritu tuo, & iunctis vt prius manibus ³ reuertitur per eandem viam ad librum, ubi eas extendens & iungens ante pectus, caputq; Cruci inclinans, dicit, ⁴ Oremus; tum ⁵ extendit manus ante pectus, ita vt palma vnus manus respiciat alteram, & digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiâq; non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus seruetur. ⁶ Stans autem, vt suprâ, extensis manibus, ⁷ dicit Orationem. Cum dicit, ⁸ Per Dominum nostrum, iungit manus, easque iunctas

iunctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel, Qui vivis, cum dicit, in unitate, iungit manus.

Hæc, & quæ sequuntur usque ad numerum 4. inclusivè, ferè omnia Burchardus.

o *Osculatur Altare.*] Alia ratione hic osculatur Altare Sacerdos salutaturus populum, quasi qui accipiat pacem à Christo, per Altare, ut supra, significato, ut eandem det populo, pro quo statim est oraturus: cui idè dicit, *Dominus vobiscum*, vel, si Episcopus est, *Pax vobis*. Extensio verò & iunctio manuum eadem significant quæ diximus in verbo *Oremus* supra tit. 3. num. 10. pag. 112. Præter extensionem & iunctionem manuum, addit congruè elevationem earumdem *Carim. Episcop. lib. 2. cap. 8.* Qui utuntur perspicillis, solent ea hoc loco deponere primum: deponant autem ea quidem super Altare, numquam tamen super Corporale.

p *Versus populum.*] Ita Amalar. lib. 2. cap. 9. quos salutamus, eis faciem presentamus. Et à sinistro latere ad dextrum se vertit Sacerdos, tum quia hic motus naturalis est; tum quia bonum est omen in dextra. *Dextera Domini fecit virtutem, Durand. lib. 4. cap. 14.*

q *Dominus vobiscum.*] Ijs quæ supra diximus part. 1. tit. 7. num. 7. pag. 19. adde, haberi in *Liturgia Græca sancti Petri* divinissimam hanc salutationem, quæ ita appellatur à *Dionysio de Eccles. Hier.* per hanc autem salutatur Ecclesia, etiam si vnus tantum sit præsens, *Alexand. Alens. p. 4. quest. 36.* & tribuitur Apostolis eiusdem usus à *Conc. Braccar. 1. cap. 21.*

Septem sanè vicibus dicitur in Mis-

sa, si benè numeres, *Dominus vobiscum*, quatenus, exclusis septem vicibus capitalibus, suscipiat populus septiformem gratiam, ex *Innocen. III. lib. 2. cap. 24.* qui tamen indicat *cap. 22.* vel suo tempore non dictum esse *Dominus vobiscum* in fine Confessionis ante Missam; vel Missam ab eo præcisè sumi ab Introitu tantum: nam salutationes septem ab eo indicatæ explicantur à *Durando lib. 2. cap. 14.* ut vna earum sit illa, quæ fit ante Communionem, *Pax Domini sit semper vobiscum*, quam nos non numeramus inter eas.

Ex his etiam septem vicibus ter non vertit se Sacerdos ad populum, nempe, in fine Confessionis, ante Euangelium, & in Præfatione. & in hac quidè, quia, *inquit Innocen. dicto cap. 22.* cor habet sursum ad Dominum, iamque proximo Sacrificio totus intentus est: ad Euangelium autem, *inquit Durandus*, totus est intentus ad verbum Dei annuntiandum. ferè idem dicam & ego in fine Confessionis, totus est ad se purgandum.

Nota præterea, quòd alternatim non se vertit, & se vertit, salutaturus populum Sacerdos, præterquam in fine Missæ; quia populum mox est dimissurus. Prima, tertia, quinta vice non se vertit; secunda, quarta, sexta, & septima se vertit; quod valet etiam ad varietatem.

r *Pax vobis.*] Dicitur in *lib. 8. Const. Apost. cap. 15.* Pax Dei. illud autem habetur expressè in *Liturgijs sancti Iacobi, & S. Basilij*, tamquam prima vox Christi ad Episcopos, ex *S. Remigio, à quo Innocentius III. lib. 2. c. 24.*

vt ostendat Episcopus, se esse Christi Vicarium, sicut in sequentibus salutationibus se demonstrat deinde Sacerdotem, *idem ibidem*. Tribuit Anaclero *Hugo Vist. lib. 2. cap. 11.* ritum dicendi, *Pax vobis*. Et verè solius est Episcopi distribuere dona Christi, cuiusmodi est pax, *ex Optato Milles. lib. 1. circa finem.*

[*Dicitur est Hymnus, Gloria.*] Indicat *Ordo Romanus*. Ratio est *Durandi loco citato*, quia in Hymno Angelico dicitur, *Et in terra pax*, idè subditur, *Pax vobis*, ab Episcopo: & quia hæc Salutatio à Christo facta fuit in die lætitiæ, qua plenus est Angelicus Hymnus.

[*Et cum spiritu tuo.*] Nihil melius, ait *Florus Magister in expositione Missæ*, quàm quòd optet populus Sacerdoti, quod ipse optat Ecclesiæ. habetur hoc in *predictis Liturgijs*, quod & à populo toto respondebatur, teste *Chrysostomo Homil. 36. in Epistolam 1. ad Corinthios*, & *Microlog. cap. 2.* nunc Minister respondet pro populo. Est autem sumptum à sancto Paulo *2. Timoth. ultimo*. Neque dicitur *tecum*, quia spiritualiter officia Ecclesiastica fiunt, *ex Petro Damiani, de Dominus vobiscum, cap. 3.* vt nimirum vnus sit affectus Sacerdotis, & populi, *Amar. lib. 2. cap. 9.*

[*Reuertitur per eandem viam.*] Ita & *Durand. loco citato*, & ratio motus est ad librum ipsum.

[*Oremus.*] Habetur in *Liturgijs sanctorum Petri, Iacobi, & Marci.* ante Orationes publicas dicitur semper, *ex August. Epist. 106. ad Vitalem*: & hoc loco habet *Ordo Romanus*. vnde ab *Vranio*, scriptore *Vite sancti Pau-*

lini Episcopi Nolani, appellatur *Indictio Orationis*, qua inuitamus alios ad Orationem quæ sequitur, vt patet: sed *Durand.* innuit, dici ante medium Altaris ab aliquibus; ab alijs verò, vbi Orationem sunt dicturi, vt inter insinuationem & Orationem nihil omnino interponatur, *ibidem*. quod à nobis est vsitatum, quia congruentius.

[*Extendit manus.*] Ex Paulo *1. Timoth. 2. Leuantes puras manus.* scribit *Tertull. de Orat. cap. 13.* manibus sublimiùs elatis, temperatè & probè elatis: temperatè inquit, & idè in *Rubrica præscribuntur fines*, vt humeros non excedant. in *Missâ* verò significat extensionem Christi in Cruce, in qua statim orauit pro crucifixoribus, *Innocentius III. lib. 2. cap. 28.* & ante eum *Microlog. cap. 16.* Fortè desumptum est à veteri Testamento: nam *Moyles* leuans manus vicit *Amalechitas*, *Exod. 17.* & *Salomon* expandit manus suas orans Deum, *3. Reg. 8.*

[*Stans.*] Stare in Oratione iustum est; genua flectere peccatorum, *ex Iustino Martyre libro Questionum, quest. 115.* Ritus autem standi hoc loco habetur apud *Innocentium III. libro 2. cap. 22.*

[*Dicit Orationem.*] Vide quæ diximus supra *titulo 9. par. 1. pagina 25.*

[*Per Dominum nostrum, iungit manus.*] De varijs conclusionibus supra *titulo 9. num. 17. pag. 29.* iunctio manus, quod est deuotionis & humilitatis signum, respondet optimè conclusioni Orationis; & multò magis cum dicitur in *unitate*, vtraque scilicet manu iuncta.

- 2 Cùm nominatur Iesus, caput versus Crucem inclinatur: quod etiam facit cùm nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariae, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit ^c commemoratio: item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinatur, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicenda, idem in eis, in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

Aperta est causa reuerentiæ in his nominibus. Cruci verò, quia ibi præterea est imago Christi, æquum est, ut ad nomen Iesus caput inclinetur. quæ de re Octava Synod. can. 3, & Concilium Moguntinum cap. de Vsu imaginum §. 2.

^c Commemoratio.] Nomine commemorationis hoc loco ne tamen intelligas suffragia communia Sanctorum in Oratione, *A cunctis*; sed commemorationem de Festo Simplicis Sanctorum, seu de Octava, ad quorum nomina, etiã in Canone, caput inclinatur.

- 3 Si Altare sit ^d ad Orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cùm diciturus est, Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite missa est, vel daturus benedictionem, sed osculato Altari in medio, ibi expansis & iunctis manibus ut supra, salutatur populum, & dat benedictionem.

^d Ad Orientem.] Ex traditione Apostolorum orandum est ad Orientem. Sanctus Athanasius de Plur. & necess. quest. 14. addit causas; quarum Prima est, quia ex Psalm. 131. adorandum est ubi steterunt pedes Domini, qui, ex Zachar. 14. in monte Oliuarum in Oriente stare dicuntur. Altera est, quia Deus est lux vera. Tertia, ut respiciamus Paradisum, vnde Adam eiectus fuit, est Clem. lib. 8. Constitut. cap. 15. & Nysseni de Orat. Quartam addit Iustin. ad Orthodox. quest. 118. quia Oriens est pars honoratior mundi. Quintam, Damasc. 4. de Fid. orthodox. cap. 13. quia Christus in Cruce Occasum respiciebat, eodemque situ caelum ascendit, & inde est venturus ad iudicium. conuersi igitur ad Orientem, quasi sedem Christi, nos in Oc-

casu semper ob culpam oremus. Sextam, sanctus Thomas 1. 2. quest. 3. artic. 3. ad 5. ad differentiam Iudæorum, qui ad Occidentem orabant, ut ex situ Templi Salomonici colligit Anastas. Niven. quest. 18. Septimam, Tertull. contra Valentin. cap. 3. quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste. Octauam, August. lib. 2. Serm. Dom. cap. 9. quia monemur conuertere animum ad naturam præstantiorem, id est Deum; sicuti conuertimus corpus terrenum ad caeleste nobilius. Verum nunc ad omnem partem Missam celebramus, quia Deus ubique est; neque intelligitur hæc Rubrica de omni Altari ad Orientem, sed de eo, in quo Celebrans habet & Crucem & populum ante faciem suam.

4 In Quatuor Temporibus, vel aliàs quando dicenda sunt plures Orationes cum Prophetijs, dicto Kyrie eleison in medio Altaris, reuertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum extensis & iunctis ante pettus manibus, & caput Cruci inclinans, dicit, Oremus, ^c Flectamus genua, & illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, & sine mora surgens, eadem voce ministro respondente, Leuate, manibus extensis ^f dicit Orationem, ut supra, & in conclusione eas iungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.

^e Flectamus genua.] Habet Microl. cap. 28. ut Oratione quæ fit cum ieiunio, addita humilitate, sit efficacior, Durand. l. 4. c. 14. Habes ritum genuflectendi, & statim surgendi, ad indicandum, quod propter peccatū in terram delapsi sumus, & per benignitatē Dei reuocati sumus, apud Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 2. ubi etiam hunc eundem ritum deducit ab Apostolis.

Duo genua flecti vult Alcocer in

suo Cerimoniali ex vi verborum, Flectamus genua; sed vim non faciunt, quia dum singuli genua, plura genua tunc flectuntur.

^f Dicit Orationem.] Populus saltem acclinis esse debet ad Orationem usque ad Per omnia, ex Alcuino cap. de Celebratione Miss. additum est Amen ab Analecto, ex Hugone Victorino lib. 2. cap. 11. de cuius significatione diximus supra titulo 9. num. 17. pag. 30.

5 In Missa solemnī cum dicitur, Dominus vobiscum, & Oratio, Diaconus & Subdiaconus stant retrò post Celebrantem. ^g Flectamus genua dicitur à Diacono, à Subdiacono verò, Leuate, illo primū genuflectente, hoc primū surgente, ^h Celebrans verò non genuflectit.

^g Flectamus genua.] Ad Diaconum spectat, teste Casar. Arel. Homil. 30. de Gen. flect.

^h Celebrans non genuflectit.] Vide supra titulo 17. num. 3. p. 1. pag. 54. Ministri caput inclinant in Oratione eo-

dem modo quo Celebrans; & deceret, ut manus iunctas iidem tenerent. Neque Diaconus in fine Orationis tenetur dicere submissa voce, Amen; quod quidam putauere: satis enim est, quod à Choro respondeatur Sacerdoti.

De Epistola, Graduali, & alijs vsque ad Offertorium. V I.

1 **D**ictis Orationibus, Celebrans, positus super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmae librum tangant, vel, ut placuerit, librum tenens, ⁱ legit Epistolam intelligibili voce, & respondetur à ministro, Deo gratias, & similiter stans eodem modo prosequitur Graduale, Alleluia, & Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, Celebrans

Q 2

lebrans si priuatiu celebrat, ipsemet, seu minister portat librum Missalis¹ ad alteram partem Altaris in cornu Euangelij, & dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinatur, & Missale sic locatur, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, siue ad partem eius contra se directam.

i Legit Epistolam.] De qua docuimus multa *tit. 10. pagina 31.* ubi etiam de Graduali, Tractu, & Sequentia. Hæc cum sequentibus usque ad numerum quartum exclusiue Ioan. Burcharius habet.

1 Ad alteram partem Altaris.] Sinistrâ Altaris appellant antiqui hoc cornu, *Microl. cap. 9.* ad Aquilonem, legit

Alouin. cap. de Celebrat. Miss. quia contra Luciferum dirigitur Euangelium, & contra sequaces diaboli, *Eduen. cap. 12* & contra peccatores, *Innoc. III. lib. 2. cap. 25* & ad Gentiles vocandos, *Iuo Serm. de Con. veter. & noui Sacrif.* Item ad alteram partem itur, ut expedior sit Sacerdos in dextera ad conficienda mysteria, *Microl. cap. 9.*

2 Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans iunctis manibus ante pectus, eleuatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto, ^m Munda cor meum, & iube Domine benedicere, Dominus sit in corde meo, ut in Ordinario. Quibus dictis, vadit ad librum Missalis; ubi stans versus illum iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce, Dominus vobiscum. ^{Re.} Et cum spiritu tuo. Deinde pollice dextræ manus signo Crucis ^o signat primo librum super principio Euangelij quod est lecturus, ^o postea seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel, Initium sancti Euangelij, &c. ^{Re.} Gloria tibi Domine. Tum iunctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Euangelium usque ad finem. Quo finito, minister stans in cornu Epistole post infimum gradum Altaris, respondet, Laus tibi Christe. & Sacerdos eleuans parumper librum, ^o osculatur principium Euangelij, dicens: Per Evangelica dicta, &c. præterquam in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentijs, quo casu defertur ^o cuilibet prædictorum osculandus liber, & Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit, Per Evangelica dicta. Cum autem nominatur Iesus, caput versus librum inclinatur, & eodem modo versus librum genuflectit, cum in Euangelio est genuflectendum.

^m Munda cor meum.] Maiori na Euangelij, quam qui accipit, *Ambrosii. lib. 3. cap. 18.* & quomodo prædicabunt,

bunt, nisi mittantur? Rom. 10. Orat igitur Sacerdos, se mitti à Deo, Innocent. loco citato, cap. 38. & similis Oratio habetur in Liturgia Iacobi.

n Signat, &c.] Scribit Innocent. III. cap. 43. de signando libro, & explicat. quasi dicatur: Hic est liber Crucifixi. Dum signatur liber, sinistra manus apponi potest eidem libro, & est vsus cõmunissimus: neque signatio hæc dici debet benedictio, ita vt ex hoc titulo poni debeat sinistra super Altare: quia neque manu fit, sed pollice tantum; eoque modo, quo Episcopus in Confirmationis Sacramento signat pollice frontem signo Crucis, & manu statim benedicit. quæ duo sunt valde diuersa.

o Postea seipsum.] Iubet Ordo Romanus signa in fronte & pectore tantum, vt se ostendat discipulum Christi, cuius Euangelium non erubescit, & malas cogitationes de corde pellat, Alcum. loco cit. De signo in ore, quo confessio verbi Dei ad salutem fiat, meminit Honor. in Gemma lib. 1. c. 23. Pollice verò tantum fiunt hæc signa, non cum indice & pollice coniunctis in formam Crucis.

p Gloria tibi Domine.] Vide supra, sicuti etiam de principio Euangelij, & de ipso Euangelio, quæ diximus titulo 10. par. 1. num. 6. pag. 35.

q Osculatur principium Euangelij.] Tradit Dion. lib. de Eccl. Hier. cap. 3. & Ordo Rom. quasi dicamus, per Christum reconciliationem accepimus, Innocent. III. d. c. 43. vel ex charitate euangelizauimus, Durand. lib. 4. cap. 24. Pacem denique à Christo optamus, deletis peccatis nostris; vnde dicimus, Per Euangelica, &c.

r Cuiuslibet prædictorum.] Ob reuerentiam Prælatorum datur eisdem li-

ber osculandus. Si verò plures Prælati æquales interessent Missæ, nulli dabitur osculandus, nec etiam Celebrantis: si plures inæquales, tunc digniori tantum, Carim. Episc. l. 1. c. 30. quia Christus vnus est, quem representat ille qui osculatur librum, vt dicemus in Mystica expositione Missæ. aut vnus igitur & dignior osculatur, aut nullus; non duo, ne diuidatur Christus.

Tolerari potest illa consuetudo, qua defertur liber Prælato, continuante Celebrante Symbolum; quia antiquitus, dum Symbolum cantabatur, dabatur Euangelium osculandum toti populo, Gemma lib. 1. cap. 119. non autem placet altera, qua Prælatus osculatur librũ dicto Offertorio, quando non dicitur Credo. abusus est ad breuitatem Missæ introductus. Et Minister quidem deferret librum sine vlla reuerentia ad Prælatum; sed, postquam ille fuerit osculatus, libro statim clauso, reuerentiam illi debitam faciet: ille verò tantum, qui librum osculatur, dicere debet, Per Euangelica, &c. sunt enim verba osculantis propria, quæ ideò omisso osculo omituntur, vt in Missa Defunctorum hoc loco præscribitur.

Ex Decretis Congregationis Cardinaliũ super negotia Episcoporum 22. & 28. Aug. 1589. non defertur liber osculandus Vicario Apostolico, neque Commendatario, seu eiusdem Procuratori, ex Decreto S. Rituum Congregationis die 17. Septemb. 1611. neque alijs in hac Rubrica non nominatis, sine facultate Sedis Apostolicæ; Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis: & illis alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum.

3 *Dicto Evangelio, stans in medio Altaris versus Crucem, eleuans & extendens manus, incipit (si dicendum sit) ^l Credo. cum dicit, in unum Deum, iungit manus, & caput Cruci inclinatur: quo erecto, stans ibidem iunctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, Iesum Christum, caput Cruci inclinatur. Cum dicit, Et incarnatus est, usque ad, Et homo factus est, inclinat, genuflectit. Cum dicit, simul adoratur, caput Cruci inclinatur. Cum dicit, Et vitam venturi seculi, Amen, ^r producit sibi manu dextra signum Crucis à fronte ad pectus.*

[*Credo.*] De Symbolo & eius partibus egimus supra *iii. 11. pag. 36.* Ad ea verba, *Et in Spiritum sanctum*, non inclinatur caput; sicuti neque ad ea, *Patrem omnipotentem*, tantummodò in verbo *Deum*, quod nomen commune est tribus personis; & in verbo, *Iesum Christum*; de quo diximus supra *titulo 5. num. 2.* Item, quando dicit *adoratur* (non *ultra*, ad sequens verbum *conglorificatur*) caput inclinatur, ex vi verbi eiusdem.

^r *Producit signum Crucis.*] Ita Be-

leth cap. 40 ob rationem supra allatam in fine Hymni Angelici. Sed antiqua fidelium consuetudo fuit, ut, cum Symbolum fidei recitarent, in verbis illis, *Carnis resurrectionem*, frontem Crucis signaculo munirent, testaturque id *Ruffinus in expositione Symboli*: inde fortè translacum fuit signum Crucis ad sequentia postrema verba, ut quasi sigillo Crucis fidei totius professio firmaretur. In verbo *Amen* iunge manus, ut diximus in fine Hymni Angelici.

4 *In Missa solemnè Subdiaconus circa finem vltimæ Orationis ^u accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, & facta Altari genuflexione in medio; vadit ad parietem Epistolæ ^x contra Altare, & ^y cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono à dextris, & item Graduale, Tractum, &c. usque ad, Munda cor meum. Epistola cantata, Subdiaconus, facta iterum genuflexione Altari in medio, redit ad Celebrantem, & genuflectens ^z osculatur eius manum, & ^a ab eo benedicitur, præterquam ^b in Missis Defunctorum.*

[*u Accipit librum.*] Comitatus ab vno Acolycho, ait *Innocentius III. libro 2. cap. 29.* procedit Subdiaconus; sed habetur in *Carimon. Episc. lib. 1. cap. 10.* quòd Carimonario comite procedat ad cantandum Epistolam. comitatur autem Subdiaconum à sinistris eiusdem, quod & aliàs

facit, genuflectens cum eo vnico genu; quod semper fit, nisi aliud in Rubricis præscribatur.

[*x Contra Altare.*] Meminit huius situs *Seuerus Sulpicius lib. 3. de Vita sancti Martini*: Ante Altare, inquit, astante, qui lectionem sancti Pauli proferret. in dextra verò parte, Eccle-

fix

fiæ cantandam esse Epistolam, docet *Petrus Antisiodor. citatus à Durand. l. 4. cap. 15.* nunc cantatur iuxta cornu Altaris, vbi Celebrans legit Epistolam, in plano presbyterij: & est dextra pars Ecclesiæ intrantibus in eam.

y *Cantat Epistolam.*] Non habet Subdiaconus hoc munus ex consecratione; sed quando à Patribus datum est Diacono, vt cantaret Euangelium, datum est Subdiacono, vt Epistolam, *Amalar. lib. 1. cap. 11.* soli verò Subdiacono nunc conuenit adeò, vt potius Sacerdos ipse Epistolam legere debeat, quàm pati, vt inferior Subdiacono id exequatur, *Microlog. cap. 8. cap. 5. Subdiac. Distinct. 34. in Collectan. Martini Braccar.* Si verò infe-

rior cantare velit, ne sacras induat vestes, de quibus loqui videtur Canon; sed superpelliceum tantum, vt hoc eodem titulo infra num. 8. dicitur.

z *Osculatur eius manum.*] In vsu erat apud quosdam, teste *Durand. c. 17.* fortè loquitur de Romanis: nam *Innocentius III. lib. 2. cap. 30.* testatur idem de Romana Ecclesia.

a *Ab eo benedicitur.*] Non in principio, vt Diaconus, *Rupertus lib. 1. cap. 36.* sed in fine Subdiaconus, quia ante Euangelium lex Moysaica accepit finem in Christo, *Innocentius III. cap. 30.*

b *In Missis Defunctorum.*] His Missis non congruunt solemnitates, *Durand. vbi supra.*

5. Postèa idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, desert ad cornu Euangelij in Altare, & ibi ministrat Celebranti: qui in medio Altaris, submissa voce dicto, *Munda cor meum, &c.* & deinde lecto Euangelio, quod in fine non osculatur, c delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare, d imponit incensum in Thuribulum. Postèa Diaconus genuflexus ante Altare e dicit, *Munda cor meum,* & f accipiens librum Euangeliorum de Altari, g petit benedictionem à Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris: & h osculata illius manu, i precedentibus Thuriferario & duobus Acolythis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, l vadit cum Subdiacono à sinistris ad locum Euangelij m contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, dicit, *Dominus vobiscum, iunctis manibus.* Cum dicit, *Sequentia, &c.* signat librum in principio Euangelij, frontem, os & pectus: postèa n ter librum incensat, hoc est, in medio, à dextris, & à sinistris, & prosequitur Euangelium iunctis manibus. Interim Celebrans, post datam Diacono benedictionem, retrahens se ad cornu Epistolæ, vbi stat iunctis manibus. Et cum Diaconus dicit, *Sequentia S. Euangelij,* Sacerdos etiam signat se: & cum nominatur Iesus, caput inclinat versus Altare. Finito Euangelio, Sacerdos o osculatur librum p à Subdiacono sibi delatum, dicens, *P. Evangelica dicta, &c.* & à Diacono ter q incensatur. Si sit co-

ram

ram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, ut supra, & ille incensatur, ut in Pontificali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, Credo, stantibus post eum Diacono & Subdiacono; deinde ad Altare accedentibus, & cum eo prosequentibus, ut dictum est ad Gloria in excelsis.

c *Delato per Diaconum libro.*] Nullo comite. Comes enim datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando excundum est à Presbyterio.

d *Imponit incensum.*] Eo prorsus modo, quo in principio Missæ dictum est. Neque tamen Celebrans interrumpere debet Euangelium, quod ipse legit, ut ea præstet quæ circa Diaconum sunt peragenda; sed hinc expectet finem.

e *Dicit, Munda cor meum.*] Super primo Altaris gradu altiori hoc dicit: in quo etiam versus Celebratorem stantem in latere Euangelij, non omnino conuersus ad eum, petit benedictionem.

f *Accipiens librum Euangeliorum, &c.*] Iubet *Ordo Romanus* Diaconum orare ante Altare, tum petere benedictionem, deinde ab Altari accipere librum, tum à Sacerdote, qui benedicit illi, tacite dici, *Dominus sit in corde tuo, &c.* Hæc eadem *Amalar. lib. 3. cap. 18.* docet; Quasi, inquit, de Sion exeat lex noua, & verbum Domini de Ierusalem: neque tamen illud prædicetur, nisi post Orationem, & missionem à maiori.

Hoc loco commemorandum censeo venerationem adhiberi solitam libro SS. Euangeliorum in antiquis Concilijs: in quorum sede nobilitari, & media inter Episcopos collocabatur liber Euangeliorum, ut scribit *Baron. anno 325. & 451.* ut scilicet Christum repræsentaret. Certe liber Euangeliorum in Altaris medio po-

litus maiorem habet quam aliàs venerationem.

g *Petit benedictionem.*] Dicat Diaconus, *Iube Domne*, non *Domine*. nam hoc Dei est, illud hominis præclari, ut probat *Baron. Euodio lib. de Miraculis S. Stephani anno 416.* sed & sancti Hieronymi tempore omnes sancti, & homines alij vocabantur Domini, solus autem Deus, Dominus. Et interim Ministri, qui cum Diacono sunt, genuflexi manent, ex *Cerimon. Episc. lib. 2. cap. 8.* nisi fortè ratione dignitatis Episcopalis illud ibidem præscribatur, quod puto verius. & est in praxi communius, ut coram Episcopo tantum fiat.

h *Osculata illius manu.*] Nimirum dextra, *Innocen. loco citato cap. 36.* hoc est, gloriam Dei desiderat Diaconus, de qua *Cant. 1. Dexteram illius amplexabitur me.* Hæc ille.

i *Præcedentibus Thuriferario, &c.*] De Thuriferario, & luminibus, *Ordo Romanus.* De luminibus ad Euangelium, in signum lætitiæ, *Hier. aduers. Vigilantium:* ut videlicet Prædicator præmittat bonam opinionem, & lumen operum bonorum, *Innoc. III. cap. 40. lib. 2.* Populus etiam, ut cum fructu audiat verbum Christi, præmittat Orationem, denotatâ in Thuribulo ardente, & gaudium spirituale in cereis, *Durand. lib. 4. cap. 24.* vbi fusiùs ille.

Quæritur, An ministri peccent mortaliter, cantando Epistoliam, seu Euan-

Euangeliam, in peccato mortali; affirmat *Nauar. de Pœnit. d. 6. cap. 1. §. Sacerdos. num. 15.* cum alijs, negat *Suares. 3. par. quæst. 65. artic. 4. caue tibi:* nam de Diaconis ait Paulus 1. *Tim. 3. Ministrant, nullum crimen habentes.* Aliqui docent, Subdiaconum sine Manipulo ministrantem, quia ex officio non ministrat, non peccare, si in peccato vel censura ministrat; neque fieri irregularem, quod non est improbabile.

[*Vadit cum Subdiacono.*] Vadit autem Diaconus portans librum ante peccus, ex *Cerim. Episcop. lib. 1. cap. 9.* vt intelligat, Prædicatorem verbi Dei debere prius illud habere ante oculos, in corde, & in manibus, quàm in ore, *Rubens lib. 2. cap. 33.*

[*Contra Altare versus populum.*] Antiqui in edito loco legebant Euangelium; quem locum vocauit Tribunal sanctus *Cyprianus lib. 4. Epist. 5.* & Pulpitum, *lib. 2. Epist. 5.* quasi in publico statutum, ait *VValafr. cap. 6.* Dicterium, *Basil. Selenici lib. 2. de sancta Thecla.* Analogium, id est, super quo legitur, *Isidor. lib. 5. Orig. Lectorium, Anastas. apud Bulenger. lib. 3. cap. 17.* Vmbonem Latini, ex eodem *ibidem cap. 18.* alij Ambonem, vt in *Sixto, Platina, & Cassiod. lib. 10. Hist. tripar. cap. 4.* vel à Græco verbo ἀψάω, hoc est ascendo, ex *Bellarmin. lib. 2. de Missa cap. 16.* vel ab ambiendo, quia cingit intrantem, *VValafr. cap. 6.* vel ab ambiendo, quòd locus ille gradibus ambiatur vtrumque, *Durandus loco citato;* sed Græca vox est, quæ pulpitem significat, suggestum, & locum altum. Primò, vt audiatur ab omnibus, ex *Innoc. III. cap. 43.* Secundò, quia palàm ante oculos omnium, non in latibus, vt hæretici, annuntia-

mus Euangelium. Tertio, quia Christus docturus turbas ascendit in montem. Quarto, quia eminentissima est doctrina, *Amalar lib. 3. cap. 18.* Hodie communiùs cantatur ante Altare, sed contra Aquilonem, inter Altare & populum, quòd idem est, ac contra Altare versus populum: & vsus iam declarauit verba Rubricæ; quæ alioquin videntur pugnare inuicem, & non pugnant, sed locum, & situm quasi medium indicant; ita vt Diaconus neque totus sit contra Altare, neque totus sit versus populum, sed inter vtrumque faciem sistat suam. Causas autem vide supra *num. 1. pagina 124.* Reliqua quæ sequuntur patent ex supradictis *num. 2.*

[*Ter librum incensat, &c.*] Intellige à dextris libri, quæ est illius pars nobilior; & incensatio fit ad venerationem Christi in eiusdem verbis Euangelicis.

[*Osculatur librum.*] Diaconus redit vacuus, vt post prædicationem contemplationi se dedat, *Durandus supra.* Liber & Thuribulum reportantur ad Sacerdotem, quia Christus primus est & nouissimus, ad quem referenda omnia, *Innocent. cap. 48.* Sacerdos osculatur ex amore, & item quia acceptat verbum Christi, *Durand. ibidem.* incensatur in Sacerdote Christus, in gratiarum actionem, *idem ibidem, & Ordo Romanus.*

Dum cantatur Euangelium, Thuriferarius stabit post Diaconum ad sinistram eiusdem, *Ord. Roman.* & agitabit leuiter Thuribulum, eleuata aliquantulum operculi catenula, ne ignis extinguatur.

Subdiaconus & Acolythi immobiles stabunt, neque capita inclinabunt vquam, multò minùs genuflectent,

R

flectent,

flectent, vt dictum est in tit. 17. num. 4. parte 1. Carimoniarius post Diaconum stabit.

p *A Subdiacono sibi delatum.*] Subdiaconus defert librum apertum ad Sacerdotem sine vlla reuerentia, tam Altari, etiam in quo est Sacramentum, quàm Sacerdoti, ob reuerentiam fieri Euangelij: deinde clauso libro re-

uerentiam faciet vtrique; & deponet librum super Credentia. Acolythi, finito Euangelio, deponent candelabra sine mora.

q *Incentatur.*] Diaconus in plano medio ter incensabit Celebrantem: qui coram Prælato suo, sicuti non osculatur librum, ita neque incensatur, vt in sequenti textu.

6 *Si autem sit prædicandum, Concionator finito Euangelio prædicet, & Sermone, siue Concione expleta, dicatur Credo, vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium.*

Hoc loco concionandum est, ex Ordine Romano, vt Concionator sit quasi interpres sancti Euangelij: sed antiquiores post Symbolum concionabantur, ex lib. 8. Constit. Apost. cap. 4.

Si Celebrans concionari velit, sedeat super scamno nudo in cornu Euangelij capite tecto, aut sine Calula in pulpito.

Orator Romæ non vitur Stola su-

per Cottam, ob reuerentiam Papæ, qui extra Sacramenta Stola vitur. initio Concionis signabit se signo Crucis, quod docuit ex Corippo Poëta Barvinus anno 565. Stabant etiam auditores ad Conciones, vti ad Euangelium, ex Augustino lib. 50. Homil. Homil. 26. non tamen vbique. nam sedebant Act. 13. vers. 14. & apud Clem. lib. 2. Constitut. cap. 57.

7 *Cùm verò in Symbolo cantatum fuerit, Et incarnatus est, Diaconus accepta Bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert eleuatam cum solitis reuerentijs ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & reuertitur ad Celebrantem. Cùm non dicitur Credo, Subdiaconus defert Bursam simul cum Calice, vt infra dicitur.*

Quid agendum sit à Celebrante, & Ministris, ad ea verba, *Et incarnatus est*, dictum est suprâ par. 1. tit. 17. num. 3. pag. 54. qui verò tempore Symboli stant, ad prædicta verba genuflectant in suis locis versus Altare.

r *Explicat Corporale.*] Ita Ordo Romanus; seruatis ijs quæ suprâ docuimus initio Missæ priuata tit. 2. num. 2. pag. 103. Celebrans & Subdiaconus, si ad Altare sint, & non sedeat, paululum secedant versus cornu Euangelij, vt Diacono venienti quasi me-

dium Altaris totum relinquunt. Diaconus autem solus cum debitis reuerentijs portat Bursam sine comite, ex Carimon. Episc. lib. 1. cap. 9. per viam breuiorem ad Credentiam, per longiorem ad Altare.

Porro memorato Incarnationis mysterio, non prius, extendit Diaconus Corporale pro initio Sacrificij: quia & Christus non nisi post Incarnationem redemptioni per passionem operam dedit, Rubens lib. 2. cap. 45.

8 Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis: Euangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Euangelij, qui & in fine Missæ cantat, *Ite missa est, vel, Benedicamus Domino, aut, Requiescant in pace, pro temporis diuersitate.*

Antequam definiretur, quòd Subdiaconatus esset Ordo sacer, cantabat Epistolam Lector, vt colligitur ex Clem. lib. 8. Const. c. 28. & Conc. Carthag. IV. cap. 8. & cap. Lector. Dist. 23. Lege Ioan. Langbeccium in Spec. Canonum

lib. 6. cap. 28. Adde præterea, quòd in hac eadem Missa Celebrans dicit Kyrie in cornu Epistolæ, vt in alijs solemnibus. item, Humiliate capita, sed versus Altare, vt dicitur in Rubr. propria Fer. 4. Cinerum.

De Offertorio, & alijs vsque ad Canonem. VII.

1 **D**icto Symbolo, vel, si non sit dicendum, post Euangelium Celebrans osculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus, ibidem à manu sinistra ad dextram (vt dictum est supra) vertit se ad populum, extendens ac iungens manus dicit, *Dominus vobiscum,* & iunctis manibus reuertitur per eandem viam ad medium Altaris, vbi extendens & iungens manus, caputq. Cruci inclinans, dicit *Oremus,* tum iunctis vt prius manibus ¶ dicit Offertorium: & omnia quæ vsque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi vbi aliter ordinatur.

Hæc eadem, & quæ sequuntur ad finem vsque Missæ priuatæ, sunt ferè verba ipsius Burchardi, vt initio diximus.

[Dicit Offertorium.] Lege tit. 12. supra numero 1. in prima parte, pagina 40.

2 Dicto Offertorio, ¶ discooperit Calicem, & ^u ad cornu Epistola sistit, & manu dextra amouet paruam pallam desuper Hostiam, accipit ¶ Patenam cum Hostia, & ambabus manibus vsque ad pectus eam eleuatam tenens, oculis ad Deum eleuatis, & statim demissis, dicit, *Suscipe sancte Pater, &c.*

t Discooperit.] Velum plicatur à Ministro, & deponitur prope Tabellam Secretarum ab eadem parte Altaris vbi Calix, ne super Corporale aut extra illud remaneat non plicatum; quod, cum neque à Sacerdote

plicari conuenire videatur, plicetur à Ministro: & est ritus laudabilior. idem, explicato manutergio, in eadem parte collocabit ibidem peluiculam cum viceolis.

u Ad cornu Epistola.] Nullum mysterium:

sterium : sed quia ibi sunt ampullæ vini, & aquæ.

x *Patenam cum Hostia.*] dicitur Hostia, quia est materia ad Sacrificium, & Hostiam. Item Hostia, quæ ante hostium pugnam offerebatur, *Gemma lib. 1. cap. 98.* Panis est, quia Christus dedit se uti panem viuum, *Ioan. 6.* ex frumento est, cui comparauit se Christus, *Nisi granum frumenti,* &c. *Ioannis 12.* sine fermento, id est, sine peccato, &, ex prima institutione, in azymis, *Gemma lib. 1. cap. 31.* mundissima debet esse, ex Decreto Aniceti apud *Burchar. lib. 5. c. 29.* in modica quantitate, ex Decreto Alexand. Papæ dicentis, *Quantò paucior, tantò potior,* *Radulph. Propos. 23.* in modum denarij, cum imagine Christi, seu litterarum nominis Christi, quia traditus est & venditus triginta denarijs; & est verus denarius laborantibus in vinea Domini, quo etiam reparatur in nobis imago Dei, *Gemma ibidem cap. 35.* formæ rotundæ, ex *Epiph. in Ancor.*

integra debet esse, ob Christi integritatem, ex *Concil. Coyacensi cap. 3.* vocatur oblationis Corona a *S. Gregor. 4. Dial. 55.* quasi Orbis, ad significandum Christum, qui est Alpha & Omega, Dominus Orbis, *Duran. lib. 4. cap. 30.* Et in rotunditate Hostiæ, Patenæ, & Calicis intellige Sacrificij nostri perpetuitatem usque ad finem mundi. Figuram habet Hostia in altera tantum parte; quia Christus Deus & homo est, ut Deus figura caret. notat *Humber. Card. in Diss. contra Gracos,* Romanam Ecclesiam in pane, aqua, & igne præparato sacrificare tres substantias in Christo, carnem, animam, deitatem. Imago verò Crucis in Hostia deducitur à *Baronio anno 58. ex lib. 1. Dial. sancti Gregor. cap. 11.* & ex Romanorum usu, qui panem coquebant quadrifida incisione in formam Crucis decussatam. ex quo laudabilior est imago Crucifixi tantum in Hostia, quam aliud quidquam.

3 *Si fuerint alia Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice seu vase pro Communione populi consecranda, Calicem illum seu vas y dextra discooperit, & intentionem suam etiam ad illas offerendas & consecrandas dirigens, dicit ut supra, Suscipe, &c. ut in Ordine Missæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea z facit signum Crucis super Corporale, & deponit Hostiam a circa medium anterioris partis Corporalis ante se, & Patenam ad manum dextram aliquantulum b subrus Corporale, quam, exterso Calice, ut dicitur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum alijs Hostijs, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.*

y *Dextra discooperit.*] Nimirum antequam accipiat Patenam cum Hostia; & collocat Pyxidem in medio Corporalis inter locum Calicis & Tabellam Secretarum, ut dictum est supra tit. 2. num. 3. pag. 104. & sicuti

non potest commodè, ita non est necesse, ut Sacerdos eam eleuet sub prætextu oblationis, sed ad eam tantum intentionem dirigat.

z *Facit signum Crucis.*] De hoc ritu, & alijs signis Crucis sequentibus in Oblatio-

Oblatione docet *Innoc. III. lib. 2. c. 58.* ea nempe fieri, vt per Crucis virtutem omnis conatus diaboli effugiat, ne contra Sacerdotem, vel Sacrificium aliquo modo præualeat; quod semel dixisse sufficiat. Fortè ritus fluxit ab Hebræis, qui in eleuatione Hostiæ versus cælum, terram, antrorsum & retrorsum eam mouebant, ex *Lyran. in Leu. cap. 7. & Burgenf. ibid.*

a Circa medium anterioris partis.]

Deponitur Hostia super Aram, vbi est Crux cum Chrismate ab Episcopo facta, quasi Corpus Christi Cruci ibidem sit affigendum, *Gemma lib. 1. cap. 98.* de hoc ritu testatur *Durand.* communiter seruato, sed non Romæ, *lib. 4. cap. 30. Vide infra num 5.*

b *Subtus Corporale.*] Habet *Microlog. cap. 10.* ob mysteria infra declaranda in Patenæ inuolutione, quæ sit cum Velo longo in Missa solemn.

4 Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, purificatorio extergit, & sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini ^c de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis) & ponit vinum in Calicem. Deinde ^d eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis ^e super ampullam aquæ, & dicit, Deus qui humanæ substantiæ; & infundens ^f parum aquæ in Calice prosequitur, Da nobis per huius aquæ & vini mysterium, &c. Si verò celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem vt supra.

c De manu ministri.] Teneat minister ampullæ partem inferiorem, ita vt Sacerdos eam possit per aurē, seu manubriolum, capere: recipiat item eandem manu sinistra, vt alteram statim ministret ampullam manu dextra. Offerat autē ambas cum osculis earum, non manus Sacerdotis, & cum debita reuerentia, saltem inclinando caput, nisi Sacerdos de maioribus exigat genuflexionem. sed & Sacerdos ipse propius admoueat Calicem ampullis, ita vt neque gutta cadere queat super Altaris mappam.

d Eodem modo tenēs Calicem.] Non dū ideò data est Regula generalis iungendi manus, antequā aliquid benedicatur, quam habes numero sequenti; vt intelligas, excipi hunc casum à Regula generali, ne Calix, in quo iam est vinum, periclitetur amota manu.

e Super ampullam aquæ.] Aqua, vt dicemus, significat populum, benedictioneque eger cum Cruce, vt Christo vniatur, *Durand. lib. 4. cap. 30.*

f Parum aquæ.] Ita ex *Liturgia Iacobi, & ex Decreto Alex. I. de Consecr. Dist. 2. cap. Sacramentorum.* imò ex traditione Christi in vltima Cæna, vt ait *Cypr. Epist. 63. ad Cæcil. tum,* vt significetur fluxus Sanguinis & aquæ ex latere Christi, ex *Alexand. tum,* vt populus, in Apocalypsi significatus per aquam, vniatur Christo, ex *Cypr. tum,* vt fateamur in vna persona Christi duplicem naturam, ex *Niceph. lib. 1. cap. 53. tum,* vt significetur introitus in vitam æternam, ex *Ambros. apud S. Thom. quest. 74. artic. 7.*

Ex quibus illa quatuor patent quæ in Antiphona, *O sacrum conuiuū, &c.* id est, ex duabus naturis Christus, me-

moria passionis eiusdem, gratia ex vnione populi cum Christo, & pignus aeternae vitae.

Quia verò pauci sunt electi, ideo etiam modicissimum aquae vult infundi *Conc. Florent. in Instruct. Armenorum*; & eò minùs aquae quò vinum est debilius, vt in vinum citius conuerti queat ante consecrationem, vt monet *Azor. lib. 10. cap. 30.*

Hinc *S. August. 17. Ciuit. cap. 20.* colligit, dandam esse Eucharistiam cum temperatis & sobrijs epulis. potus enim cum aqua sobrietatem denotat apertissimè.

g Non facit signum Crucis.] Quia connotat solemnitatem. Et licet in fine Missae Defunctorum non benedicatur populus; ita nec aqua, quae eundem populum significat, vt diximus. Vel aqua hoc loco significat populum Purgatorij, qui iam est in gratia, *Melchior Huelamus de Cerimon. Missa.*

Si guttae vini aut aquae dispersae appareant intra Calicem, tunc vel circumactò vino Calicis vniantur, vel purificatorio abstergantur, ne in consecratione oriatur dubium, an sint ex consecratae.

5 *Imposita aqua in Calice, & finita Oratione praedicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum, & stans ante medium Altaris, ipsum am-
babus manibus^h eleuatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum
dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offeri,
dicens, i Offerimus tibi Domine, &c. qua Oratione dicta, facit si-
gnum Crucis cum Calice super Corporale, & ipsum in medio^l post
Hostiam collocat, & palla cooperit. Deinde iunctis manibus super
Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secreto, m In spiritu
humilitatis, &c. Postea erectus, eleuans oculos, manusque expan-
dens, & statim iungens ante pectusⁿ (quod semper facit, quando
aliquid est benedicturus) dicit, o Veni sanctificator, &c. cum dicit,
& benedic, p signat manu dextra communiter super Hostiam & Ca-
licem, q sinistra posita super Altare.*

^h *Eleuatum tenens.*] Ita vt cuppa Calicis non excedat oculos, neque sit infra os, ad differentiam eleuati Calicis consecrati.

ⁱ *Offerimus tibi Domine.*] Habet *Durand. loco citat. cap. 30.* vbi etiam indicat praecedentè, *Suscipe sancte Pa-
ter, &c.* Oratio verò, *Deus qui humana
substantia, &c.* est *S. Ambrosij* in Mis-
sa de Vigilia Natiuitatis Domini, cui
addita fuit mentio vini & aquae, & in
hunc locum translata, vsuque recepta.

^l *Post Hostiam collocat.*] Antiquiores

à latere Hostiae collocabant Calicem *Innoc. III. lib. 2. cap. 58.* testatur tamen *Durand. loco cit.* communiter suo tempore poni Hostiam inter Sacerdotem & Calicem: Calix autè hoc loco cooperitur, cautelaè potiùs gratia quam mysterij, ait *Microl. cap. 10.*


^m *In spiritu humilitatis.*] Meminere huius Orationis hoc loco *Steph. Eduen. cap. 12. & Radulph. Prop. 23.*

ⁿ *Quod semper facit.*] Hoc intelligitur de manibus tantùm, non de oculis eleuandis, qui post consecrationem defi-

defigendi sunt potiùs in Hostiam consecratam. & item, quando vtraque manus est libera, nec earum altera est occupata ad Hostiam tenendam, seu Calicem: quod accidit paulò ante eorundem consecrationem. neque enim deponenda est Hostia vel Calix in eo casu, vt manus iungantur ad illud verbum, *benedixit*. Manus autem iunctæ significant diuinitatem, & humanitatem Christi vnitas, vnde virtus emanat benedictionis, *Ioan. Serranus*.

o *Veni sanctificator.*] Habetur in *Ordine Romano. & in Gallicano Ordine, teste Microl. cap. 11.*

p *Signat manu dextra.*] Ante Canonem nullum inuenio apud antiquos signû Crucis super oblata fieri: & hoc loco puto mutatû esse ordinem. Nam *Innoc. prad. capite* docet, accipi patenam cum Hostia, & Calicem cum vino, factò super vtrumque distinctè signo Crucis à Celebrante, hodie verò fit singillatim in deponendo vtroque; & deinde communiter fit vnum Crucis signum super vtrumque iam depositum in Altari, ad commemorandam Christi passionem, præter alias duas causas supra *num. 3.* allatas.

Ad formandas verò Cruces manu dextra, Regula fit, iuxta peritiores Romæ hac de re consultos, vt formentur duæ lineæ, hoc modo , prout pingitur in Missali, non autem quatuor puncta . . . & lineæ illæ non excedant mensuram palmi communis manus. Item, ex *Innocen. III. lib. 5. cap. 1.* transuersa pars Crucis fiat manu quoque transuersa, non ea recta,

6 *Tum iunctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, vbi stans, sinistro aquam fundente, lauat manus, id est, extremitates digitorum.*

qua ad abigendas à Calice muscas vitimur. Agit hac de re fusius Tydæus Bonamicus in proprio tractatu. Hoc idem *Leo IV. ad Episcop.* videtur docere; *Calicem*, ait, & *oblatam recta Cruce signate*. addit contra alium abusum; *Non in circulo & varicatione digitorum*. Idem docuit *S. Carolus in Actis Ecclesie sue part. 4 de Missæ Cerimon.* vt nimirum transuersa manu pingatur pars Crucis transuersa tam super Hostiam quàm super Calicem, & super vtrumque. in hoc autem vltimo casu ea pingi debet inter Hostiam & Calicem, ita vt æqualiter altè fiat Crux à Calice ad Hostiam, & transuersè super oram anteriorem pallæ quæ Calicem tegit, quòd media esse solet inter Calicem & Hostiam.

q *Sinistra posita super Altare.*] *Innocen. lib. 4. cap. 10.* quia Christus per Altare significatus tribuit vim benedictionis, *Ioan. Serranus*.

Si facienda est oblatio populi, fiat dicto Offertorio ante oblationem Hostiæ, *Acta Med. Eccl. & Iacobus in suo Compendio.* Eulogiæ dictæ fuerunt, & fermentum, ad distinctionem azymi panis: quæ oblata distribuebantur in fine Missæ, vice sacramentalis Communionis, *Baron. anno 313.* Vñus autem colligendi oblationes in Sindone placet, & habetur in *Ord. Rom.* qui tamen Missas nouas celebrant, non possunt circuire Ecclesiam ad oblationem, ex Decreto sacre Congregationis Tridentini Concilij *Sess. 22.* neque in fine oblationis debet dari benedictio. An verò populus osculari debet Celebrantis manum, seruetur locorû consuetudo. certè non in Missa Defunctorum.

torum pollicis & indicis, dicens Psalmum, ^r Lauabo inter innocentes, cum Gloria Patri, &c. qui versus, Gloria Patri, ^u praetermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore à Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusiue.

^r Ministro aquam fundente.] Eleuato prius ab eodem paululum ab Altari manutergio, vt Sacerdos illud capere queat; & tenente pelliculam in sinistra, ampullam aquae in dextra, cum osculo ampullae & debitis reuerentijs fundit aquam: reposita deinde ampulla aquae cum alia vini in loco suo, manutergium plicabit.

[Lauat manus.] Ait Dion. de Eccles. Hier. cap. 3. Lauatio, qua summis sine extremis digitis adhibetur, coram sanctissimis signis obseruatur, quasi coram Christo spectante omnes occultissimas nostras cogitationes, & summarum partium expiationem, &c. Itaque in signum fit puritatis animarum, Clem. lib. 8. Constit. Apost. cap. 11. vt puri accedamus, ait Cyrillus Ierosol. Cateches. 5.

mystagog. Extergit à tactu communium manuum, & terreno pane, Ordo Roman. de Offic. Missae, & Rab. lib. 1. in fine. A veniali, & peccatorum reliquijs emundat, ex sancto Thoma 3. part. questione 83. artic. 5. ad primum.

^t Lauabo inter innocentes manus meas.] Habetur in Liturgia sancti Petri Graeca. citat sanctus Germanus in Theoria rerum Eccles. hæc eadem verba, cum agit de hac digitorum ablutione. Ad Verf. Gloria Patri, qui potest dici, cum reditur, in medio Altaris, caput inclinatur.

^u Praetermittitur, &c.] Vide quae diximus par. 1. tit. 8. num. 1. pag. 21. neque illius loco dicendus est Verf. Requiem: quod aliqui scripserunt.

7 Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante pectus iunctis reuertitur ad medium Altaris, ubi stans, oculosq; ad Deum eleuans, & statim demittens, manibus iunctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secretò Orationem, ^x Suscipe sancta Trinitas, &c. Quae dicta, manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, osculatur illud in medio: tum iunctis manibus ante pectus, demissisq; oculis ad terram, à sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, & versus eum extendens & iungens manus, dicit voce aliquantulum elata, ^y Orate fratres, & secretò prosequens, vt meum ac vestrum sacrificium, &c. ^z perficit circulum, reuertens iunctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium Altaris. Et responso à ministro, vel à circumstantibus, ^a Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, &c. (alioquin per seipsum, dicens, Sacrificium de manibus meis) ipse Celebrans submissa voce dicit, Amen. & manibus ante pectus extensis, vt sit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum dicit absolute sine Oremus, & sine alia interpositione, Orationem,

tionem, vel ^b Orationes secretas. Cum dicit, Per Dominum, iungit manus: cum dicit, Iesum Christum, caput inclinatur, quod facit in prima Oratione, & in ultima, si plures sint dicenda.

x *Suscipe sancta Trinitas.*] Hanc habent preceam Steph. *Eduens.* cap. 12. & *Microl.* cap. 11. non ex aliquo Ordine, inquit, sed Ecclesie consuetudine. Inclinationem, *Innoc. III.* lib. 2. cap. 60. non tamen *Innoc.* meminit hanc quinque Orationum: quas post *Innocentium* additas fuisse ideo putat *Bellarmin.* lib. 2. de *Missa* cap. 17. In medio Altaris nunc orat Sacerdos, *Dionys.* de *Hier. Eccles.* cap. 3.

y *Orate fratres.*] Leo Papa instituit, ex *Radul.* Prop. 23. sed de eo meminit *Soter.* de *Conf. Dist.* 1. Hoc quoque. & *Chrysostr.* Hom. 10. in 2. Epist. ad *Cor.* ut notat *Duran.* lib. 2. de *Rit.* cap. 29. Reliqua cum silentio dicuntur. & cum paratur consecratio, tacite precari Sacerdotem, docet *S. Clem.* lib. 8. *Constit.* *Apost.* cap. 12.

Oremus dicitur versus Altare, Oratione fratres, versus populum; quia hic alloquitur Sacerdos populum tantum, non autem se ipsum, *Duran.* lib. 4. c. 32.

z *Perficit circulum.*] A dextra, ut

antiqui loquuntur, ad sinistram Altaris; quia sinistra tristitiam sonat, & iam passioni Christi appropinquat magis Sacerdos. *Circulus* ait *David.* & *immolans.* *Psalm.* 26. ostendit etiam, se esse in sinistra, id est peccatorem, pro quo orari petit, *Duran.* lib. 4. cap. 14. Ad litteram dici potest, perfici circulum, ut conuertat se Sacerdos ad librum, ad quem semper se vertit, excepto unico casu, ante Offertorium, quod a Choro cantabatur.

a *Suscipiat Dominus, &c.*] Paulò diuersam hanc partem habet *Remigius Antisiodor.* in *Expositione Missae.* hanc ipsam *Duran.* lib. 3. cap. 3.

b *Orationes secretas.*] Explicauimus supra 1. par. tit. 12. pag. 40. Dicit eas Sacerdos in medio versus librum, hoc est, conuersus ad librum, non recedens à medio. Hinc patet, aptandum esse librum prope Corporale, ut commodius legatur; non autem relinquendum eo loci, in quo lectum est Euangelium, licet hac de re taceat Rubrica.

8. Peruenit autem in conclusione ultima Secreta ad verba illa, Per omnia secula seculorum, exclusiue; Sacerdos stans in medio Altaris, c depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit conuenienti & d intelligibili voce Praefatione. Cum dicit, Sursum corda, eleuat manus hinc inde extensas vsque ad pectus, ita ut palma vnius manus respiciat alteram. Cum dicit, Gratias agamus Domino, iungit manus: cum dicit, Deo nostro, oculos eleuat, & statim Cruci caput inclinatur. Responso, Dignum & iustum est, eleuatis & extensis ut prius manibus, prosequitur Praefationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit, Sanctus, iunctis ante pectus manibus, & inclinatus, voce mediocri prosequitur; ministro interim paruam e campanulam pulsante. Cum dicit, Benedictus qui venit in nomine Domini, &c. erigit se, & f signum Crucis sibi producit à fronte ad pectus.

S

c Depos-

c *Depositis super eo manibus.*] Ut omnem cogitatum temporalem deponat, & exercitio bonorum operum aditum sibi faciat ad eleuationem cordis, *Durand. d. cap.*

d *Intelligibili voce, Per omnia secula seculorum.*] Ut assentiatur populus, & confirmet sua voce *Amen* quæ Sacerdos secretò Deum precatus est, ex *Ordine Rom. & Microl. 7.*

De Præfatione egimus supra *prima par. tit. 12. pag. 41.* Ritus etiã patent ex supradictis: nam quadrat singulis verbis eiusdem Præfationis. Non vertit se Sacerdos ad *Dominus vobiscum*, quia intētus est totus nunc ad Sacrificium, ut supra diximus, ex *Amalar. lib. 2. cap. 9. lege supra tit. 5. num. 1. pag. 120.* neque iungit manus ad *Per Christum Dominum nostrum.*

e *Campanulam pulsante.*] Ter cum aliqua distinctione, tum in laudem Dei ter sancti, tum ad excitandos astantium animos ad proxima mysteria. qua de re diximus in *prima parte titulo 20. pag. 76.*

f *Signum Crucis sibi producit.*] De hoc ligno in fine Præfationis *Honor. in Gemma lib. 2. cap. 42.* *Quia*, inquit, *signum Christi recipere se proficitur, cui mox in imagine, hoc est, representatiue, per Canonem contradicitur.* Canon enim, addit ille, *Christi passionem proxime designat.* Sed sicut Hymnus primus Angelicus finitus cum signo Crucis, eodemque modo Symbolum; ita & alter hic Hymnus item Angelicus non alio modo terminandus est, quam adhibito signo Crucis, & manuum iunctione in fine.

9 *In Missa solempni, dicto Oremus, Diaconus & Subdiaconus & accedunt ad Altare in cornu Epistola, Diaconus amouet Calicem, si est in Altari, vel, si est in Credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena & Hostia, coopertum palla & veloⁿ à collo sibi pendente, i manu sinistra tenens, & alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia^l detulit, m comitatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante: ipse Diaconus Calicem detegit, & datⁿ Patenam cum Hostia Celebranti, osculando eius manum: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio, Diaconus o accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice, Subdiaconus interim p ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit, Benedicite pater reuerende. qui factò versus eam signo Crucis, dicit Orationem, Deus qui humane, &c. interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, q cum eo dicit, Offerimus tibi Domine, &c. quem postea positum in Altari ut supra, palla cooperit. Subdiaconus deinde stanti in cornu Epistola^r ponit in dextra manu Patenam, quam^l cooperit extremitate veli ab eius humero pendente: qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione,*

ibi

ibi stat, sustinens eam eleuatam vsque ad finem Orationis Dominice, vt dicitur. In Missis autem Defunctorum, & in Feria sexta Parasceues Patena non tenetur à Subdiacono.

g *Accedunt ad Altare.*] Facta prius in locis suis post Celebrantem genuflexione.

h *A collo sibi pendente.*] Indicat Ordo Romanus, & vocat Sindonem in collo ligatam. deponitur autem velum paruum Calicis, & relinquitur super Credentiam, vt expeditius portetur Calix.

i *Manu sinistra tenens.*] Manu nuda, non autem cum velo pendente ab humeris, si verè in sacris est Subdiaconus, vti par est.

l *Detulit.*] Per breuiorem viam defertur Calix ad Altare; & munus Subdiaconi est, ferre Calicem in sinistra, quæ est vita præsens, ex vetusto Codice de Missa, apud Historphium. Item eiusdem est parare Calicem, Innocent. lib. 2. cap. 58.

m *Comitatus ab Acolycho.*] Qui tamen Subdiaconum sequitur, non præcedit; neque ab alio, quàm vno ex prædictis duobus.

n *Patenam cum Hostia.*] Ita ex Conc. Anchyristano seu Ancyrano 50. Dist. Presbyteros. datur autem cum osculo manus Celebrantis, & prius Patenæ.

Si adsint particulæ consecrandæ pro Communione solemni, delata Pyxide ad Altare paulò ante Subdiaconum à Cærimoniaro, seu Sacrista, eam Diaconus aperit, & collocat super Corporale, antequam tradat Patenam Celebranti, & eandem eleuat parumper, ex Cærimon. Episc. lib. 2. cap. 29. dum Celebrans Hostiam offert; qua deposita, & ipse deponit Pyxidem, cooperit, & collocat post Calicem, vt supra.

o *Accepta ampulla vini de manu*

Subdiaconi.] Hoc est, Diaconus manu sinistra Calicem per nodum tenens, accipit ampullam vini de manu Subdiaconi, qui eandem accipit de manu Acolychi (vterque verò accipit sine osculis, nec ampullæ, nec manuum) & infundit vinum in Calicem. Diaconi enim est, componere Calicem in Altari, Innocent. prædicto cap. 58.

p *Ampullam aquæ.*] Hanc accipit ab Acolycho sine osculis Subdiaconus, & parum inclinatus ostendit Celebranti. olim aquam ipsam Celebranti tradebat infundendam ab eodem, ex Innocent. loco nunc citato; nunc ipse infundit.

q *Cum eo dicit, Offerimus.*] Habet Durand. prædicto cap. 30. neque Sacerdotibus licet de mensa Domini tollere Calicem, nisi eis tradatur à Diacono, Isidor. lib. 2. de Eccles. Offic. cap. 8. Verbum Offerimus conuenit duobus saltem, & idè Diaconus idem dicit cum Celebrante.

r *Ponit in dextra manu Patenam.*] Docet Vet. Codex de Missa, poni in spem vitæ æternæ post Calicem huius vitæ, in sinistra ab eodem ministro delatum. Dextera enim vitam æternam designat, & Patena rotunda æternitatem indicat, Durand. cap. 30. Subdiacono, non alijs, datur tenenda, ex Innocent. cap. 59.

s *Cooperit extremitate veli.*] Ex Decreto Siluerij Papæ, ait Petrus de Ruiz in suo Cærimoniali. quia mysteria adhuc sunt tegenda, Hugo Victor. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 23. vel quia latibulum significat discipulorū prope passionem, Innocent. cap. 50. Pars

verò interior Patenæ Subdiaconum respicere debet. ea enim est nobilior, ut patet.

t Patena non tenetur.] Ritus lati-

tiam connotans de aeterna vita, quod paulò antè adnotauimus in patena velata, non conuenit Defunctorum Missis.

10. Dicto, *Veni sanctificator*, ut supra, Celebrans ministrante Diacono nauiculam, & dicente, *Benedicite pater reuerende*, ponit incensum in Thuribulum, ^u dicens, *Per intercessionem, &c.* ut in Ordine Missæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiam, ^x incensat oblata, ^y ter ducens Thuribulum super Calicem & Hostiam simul in modum Crucis, & ter circum Calicem & Hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad dextram, (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo. In prima incensatione, *Incensum istud, in secunda, à te benedictum, in tertia, ascendat ad te Domine, in quarta, & descendat super nos, in quinta & sexta, misericordia tua.* Deinde facta reuerentia, ^z incensat Crucem & Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens, ^a *Dirigatur Domine oratio mea, &c.* & cum incensatur Crux, Diaconus ^b amouet Calicem ad partem Epistolæ, & incensata Cruce reponit in loco suo. Cum reddidit Thuribulum Diacono, dicit, *Accendat in nobis, &c.* & incensatur ab eo: deinde Diaconus ^c incensat Chorum, & postremò Subdiaconum tenentem Patenam, & ipse Diaconus incensatur à Thuriferario, & Thuriferarius postea incensat Acolythos ^d & populum. Celebrans postquam incensatus fuerit, lauat manus, ^e ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum peluicula & manutergio.

^u Dicens, *Per intercessionem.*] Ter imponit incensum, & semel illud benedicit in Thuribulo, ita ut ad verbum *benedicere*, manu dextra producat signum Crucis super Thuribulum fumigans. Diaconus & Thuriferarius ministrant, ut initio Missæ.

^x Incensat oblata.] Leo Papa I. dicitur auctor incensationis oblatorum in memoriam Christi, ex *Raoul. Propos.* 2. 3. nec ubique antea erat in usu, ex *Microl. cap. 9.* Ordo tamen Romanus habet hunc ritum, de quo & eiusdem

causis supra titulo 4. num. 5. pag. 116. Et Diaconus in hac incensatione retineat pedem Calicis dextra manu, ne cadat, *Carim. Episc. lib. 1. cap. 9.*

^y Ter ducens Thuribulum, &c.] Ita *Innoc. III. lib. 2. cap. 57.* quo designatur dicitur triplex unctio Mariæ; item, ut thuris & Crucis virtute malignus hostis effugiat, *Durand. cap. 41.* In modum Crucis, & in modum Coronæ fit incensatio, ut ex passione Christi ad Coronam Trinitatis fiat transitus, *idem ibidem.* Crux autem etiam in hoc

hoc casu non veluti per quatuor puncta, vt *Crassius lib. 1. cap. 47. docuit*, sed super Calicem & Hostiam, inquit *Rubrica*, in modum Crucis. neque demittendum est Thuribulum, sicut in circulis sequentibus, in quibus Thuribulum depressius ducitur, ita vt circumeat Calicem. Dextram hoc loco & sinistram Celebrantis intellige. Notat *Melchior Huellanus de Carimonijs Missæ*, sexies incensari oblata; quia ante sex dies Paschæ iuit Iesus Bethaniam: bis circum Calicem, & semel conuerso circulo; quia redijt Ierusalem ad ramos palmarum, & de Ierusalem redijt in Bethaniam. quæ licet minutiora sint, non sunt contemnenda tamen.

z Incensat Crucem.] Non Sacramentum, nisi sit expositum; & tunc genibus flexis in supremo gradu, vt dicemus infra.

a Dirigatur Domine oratio mea, &c.] Hoc idem apud *Alcuin. cap. de Celebr. Missæ* habetur.

b Amouet Calicem.] Non extra Corporale, si capax est. Subdiaconus autem in tota hac incensatione nihil se mouet. Thuriferarius, deposita nauicula super Credentia, amouet de Altari, & reportat librum; quando opus est, nisi sit Assistens.

c Incensat Chorum.] Comite Thuriferario, qui præcedit, & incensantur omnes; quia Christus communicat alijs odorem suum, *S. Thom. 3. par. quest. 83. artic. 5.* & quia, quæ fecit Sacerdos, pertinent ad omnes, *Durand. cap. 21.* Item Thuriferario representat diffusionem gratiarum spiritualium in capite, & ab eo ad membra, *idem lib. 4. cap. 4.* In Choro autem incensandi stare debent quasi extra stallum, neque illi indecore inniti: se mutuo in-

uident, antequam quilibet incensetur à Diacono, *Carimon. Episcop. lib. 1. cap. 23.* in quo fusiùs præscribitur ordo incensandi Clerum.

Facit ad rem nostrâ hic ordo, (nam de Canonicorum & maiorum incensatione vide *cit. loco Cerimoniale Episcoporum*) quòd nimirum Celebrans, nullo maiore præsentate, cui triplex ductus Thuribuli debeat, triplici ductu incensandus erit; eo præsentate, duplici tantum ductu: Diaconus, Subdiaconus, & alijs parati, duplici ductu; Sacerdotes in Choro vnico ductu, ceteri sine mora. Inclinet caput, qui incensat antè & post, iisdem vsque ad Sacerdotes inclusiue, nisi ita multi sint, vt incensatio finire non possit ante finem Præfationis. Diaconus incensabit omnes de Clero, exceptis Acolythis, quos stantes apud Credentiam incensabit Thuriferarius ante laicos de populo. Domini locorum minorum, de quibus in Cerimoniali prædicto nulla fit mentio, seu Magistratus, incensari poterunt à Thuriferario duplici vel vnico ductu, pro qualitate personarum; ij videlicet, quibus proprium scamnum, seu sedes ab alijs distincta parari solet. Consuetudo locorum laudabilis in his attendi solet, ad pacem tum Cleri tum laicorum conseruandam, in toto incensationis ordine, & ritu.

d Et populum.] Incensatur ter, primò in medio, deinde versus latus Epistolæ, quòd est dextrum populi, vbi mares diuisi à feminis stare solebant, & solent in Cathedralibus Mediolanensi, & alijs, ex Decreto S. Caroli; tertio versus latus aliud, cum honoris significatione, antè & post à Thuriferario adhibita. Ter autem ex communi vsu, vt adfit Thuriferarius

in tempore pro incensando Sacramento in eiusdem elevatione; & ut significetur diffusio gratiæ Christi in populum in nomine Trinitatis. Stabit autem Thuriferarius incensans populum in medio Presbyterij, vel ferè à latere Evangelij, si expositum est in Altari Sacramentum, ne eidem terga vertat.

e Ministrantibus Acolythis.] Cum reuerentijs debitis, & cum quasi osculis ampullæ, & manutergij, antè &

post; sed stantes Acolythis, non genuflexi, ministrant.

Ad, *Orate fratres*, Subdiaconus respondeat, *Suscipiat*, &c. & Celebrans tardiùs dicat secretas Orationes, ut Diaconus opportuno tempore redire queat ad dicendum, *Sanctus*, &c. cum eodem. Cerimoniarum interim assistat libro, & folia vertat, quamdiu Diaconus abest, nisi assistens.

11 *Cum dicitur Præfatio, Diaconus & Subdiaconus stant retrò post Celebrantem: & paulò antequam dicatur Sanctus, f accedunt ad Altare, ubi g cum Celebrante hinc inde dicunt, Sanctus, & que sequuntur vsque ad Canonem. Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei h assistens dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dextram aliquantum post Celebrantem. Subdiaconus verò tunc stat post Celebrantem.*

f Accedunt ad Altare.] Facta in locis suis post Celebrantem genuflexione; quam rursus faciunt, dicto ab eisdem ultimo *Osanna in excelsis*. Addita fuit sequens Rubrica in Missali Romæ edito 1621. sine maiorum auctoritate; nimirum, *si Subdiaconus non tenet Patenam, cum Diacono accedit ad Altare, ubi dicunt, Sanctus, &c. quod monuisse sit satis.*

g Cum Celebrante dicunt.] Hymnum, *Sanctus*, &c. Sacerdos ipse cum alijs necessariò debet dicere, ne se ipsum sua prece videatur priuasse, qui & suas voces, & aliorum Angelicis laudibus admitti deprecatus est in Præfatione, ut ait *Microlog. cap. 11.*

Benedictus, qui venit, &c. non cantatur à Choro, nisi post depositionem Calicis, *Cerimon. Episcop. lib. 2. cap. 8.* etiam in Missis Defunctorum; quod obseruatur in Cappella Papali.

h Assistens.] Non tenet manus iunctas, sed folia Missalis vertit, & indicat quæ sunt dicenda à Celebrante.

Ad *Sanctus* campanas maiores pulsare conuenit, sicut in Missa priuata campanula parua, quam pulsant aliqui etiam in Missa solemni; & placet per alterum ex Acolythis, ut moneantur ij qui maiores pulsare debent campanas, & tempus ignorant eas pulsandi, quia longiùs absunt. Vide *par. 1. titulo 20. pag. 76.*

De Canone Missæ vsque ad Consecrationem. VIII.

1 **F** Inita Præfatione, ut suprà, Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud, aliquantulum eleuat manus, oculisque eleuatis ad Deum, & sine mora deuote demissis, ac manibus iunctis, & super Altare positis,

positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secretò dicens: *Te igitur, &c. ut in Ordine Missæ. Cum dicit, Vti accepta habeas, & benedicas, prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, & stat iunctis manibus ante pectus.* ¹ Cum dicit, *Hæc + dona, hæc + munera, hæc sancta + sacrificia, dextra manu signat ter communiter super Hostiam & Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur, In primis quæ tibi offerimus, &c.*

Actio prima in Canone quinque actus complectitur, manuum & oculorum elevationem, oculorum demissionem, manuum iunctionem, & eandem super Altare positionem. In primo quinario numero venerare Christum in Cruce quinque plagis vulneratum: & nota, ex Rubrica propria in Ordine Missæ, ne discordare videatur à generali, quòd ad primum gestum, prima quoque verba, *Te igitur*, sunt pronuntianda; neque dari debet gestus sine voce, qui alioquin esset inconcinnus. Extendens dicit, iungens dicit, elevans dicit, sunt participia cum verbis simul, in Ordine Missæ; & sic concordantur Rubricæ.

Te igitur. Crucifixus solet imprimi initio Canonis, ait Honor. in Gemma lib. 1. cap. 103. ut statim passio Christi oculis cordis ingeratur. Prima quoque littera T. est figura Crucis Christi, Innoc. III. lib. 3. cap. 2. Auctor autem principij Canonis dicitur esse S. Clemens à Radul. Prop. 23. Vide quæ diximus in 1. par. ut. 12. nu. 5. pag. 43. ubi de nomine, auctoribus, & partibus Canonis non pauca. Hoc loco ritus & Cærimoniarum in primis sunt examinanda, & eæ, quæ sunt ita propriæ Canonis, ut in alia parte Rubricarum hætenus proprium non habuerint locum. Sensum litteralem difficiliorum verborum afferemus infra cum mysterijs.

¹ *Cum dicit, Hæc + dona, &c.* Ex

responsò Zacharia S. Bonifacio Moguntino fiunt hæc tres Cruces. S. Anselm. lib. de Sacrament. ait, una Cruce duo simul sanctificentur, id est, ubi verbum est commune pani & vino, ut explicat VVald. Tom. 3. tit. 4. cap. 37. habet Microl. cap. 14. has easdem. Sed nota, à principio Canonis, vsque ad Libera nos inclusivè, ubi finis est Canonis, secundum Innoc. III. quòd septem vicibus signa Crucis fiunt. Primò hæc, & ter. Secundò, ad ea, *Quam oblationem*, quinquies. Tertio in consecratione, ad ea, *Benedixit*, semel & iterum. Quarto post consecrationem, ad ea, *Hostiam puram*, quinquies. Quintò, ad ea, *Sacrosanctum Filij tui Corpus*, semel & iterum super Sacramentum, & semel supra se ipsum. Sextò, ad ea, *Sanctificas*, ter. Septimò, ad ea, *Per ipsum*, quinquies. Innoc. III. lib. 4. c. 11. addit ibidem, in ordine ad Hostiam & Calicem fieri signa Crucis viginti quinque, & quinquies quinque: tum quia, sicut hic numerus per se ductus semper in se ipsum reducitur, si duccatur in infinitum, ita Eucharistia, quantumlibet multiplicetur, semper est idem Sacrificium; tum quia quinque sensus hoc Sacramento perficiuntur: sed & binarius signorum numerus congruit propter carnem & Sanguinem Christi; ternarius quoque propter panem, vinum, & aquam. *Hæc ille eruditè, & acutè.*

2. *Vbi*

2 Vbi dicit, *vnà cum famulo tuo* ^m Papa nostro N. exprimit nomen Pape: Sede autem vacante verba predicta omittuntur. Vbi dicitur, & ⁿ Antistite nostro N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarij in propria diœcesi, & non alterius Superioris, etiam si Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione. Si verò Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, predicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab ijs qui Romæ celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omiſſis predictis verbis, eorum loco dicit, *Et me indigno seruo tuo.* Summus autem Pontifex cum celebrat, omiſſis verbis, *vnà cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N.* dicit, *vnà cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti.* Et continuant omnes vt sequitur, *Et omnibus orthodoxis, &c.*

^m Papa.] Nominatur, ex Concil. Vascen. cap. 4. alias 6. tempore Leonis I. celebrato, apud Burchard. lib. 2. Decret. cap. 230. imò verò S. Clemens lib. 8. Constit. Apost. cap. 12. instituisse dicitur, seu obseruasse; qui celebrans Missam dicebat, *Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum, ibidem.* quod hodie idem est, quando ex Innoc. III. de Celebrat. Miss. cap. 3. ait Papa, *Vnà mecum indigno famulo tuo.* A Christo deducitur hic ritus, qui in cœna rogauit pro Petro, vt non deficiat fides illius, Walden. Tom. 3. tit. 4. cap. 37. num. 5.

Quod attinet ad nomen Pape, & significationem vocabuli, docet Baronius in Not. Martyrol. ad diem 10. Ianuar. significare Patrem, non autem Patrem Patrum: & cum esset Episcopis commune, tandem Gregor. VII. anno 1073. in Synodo Rom. statuit, vt nomen Pape vnicum esset in vniuerso orbe. Plura ibid. scribit Baronius.

Caput autem inclinatur etiam hinc ad nomen Pape. eadem enim est ratio, qua supra dictum est in Collecta, ad

nomen eiusdem: de quo dubitauere nonnulli, sed in Rubrica de Orat. non adest limitationis particula tantum.

ⁿ Antistite nostro N.] Sanctus Paulus Hebr. 13. Memento te, inquit, Præpositorum vestrorum. & pro Episcopo quidem orandum esse, docet in Missa S. August. Epist. 110. in fine.

Sed quis Episcopus hic nominandus. Vult Alcuin. de Celebrat. Missæ, Episcopum nominari Celebrantis, quem sequitur Innoc. III. lib. 3. cap. 5. Rubrica tamen nostra Episcopum loci, in quo celebratur, nominari decreuit; tum quia expressè ait, *Ordinariu illius loci;* tum quia Romæ omitti iubet hæc verba. & placet Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 21. Neque nominandus est Abbas exemptus loci, sed Episcopus vicinior, ad quem pro ordinatione itur: neque enim Abbas est Antistes de quo in Canone.

Pro Regibus orandum etiam hoc loco, scribit Innocen. III. loco citato, in eorum locis ac prouincijs, inquit Azorius lib. 10. cap. 36. quest. 13. & verè habetur hic ritus in predicto cap. 12. S. Cle-

S. Clementis, & in Liturgijs sancti Basilij, & S. Chrysostomi.

Pius V. tamen, qui nihil addi voluit, concessit nominari in Canone Regem in Hispanijs: nihil ergo tu addas sine Papali auctoritate, con-

tra Pij V. Bullam de Missali editam. Caueant etiam Regulares, ne in Canone nominent Superiores suos, vt Antistites, ex Decreto sacre Rituum Congregationis 12. Nouembris 1615.

3 *Cum dicit, Memento Domine, eleuans & iungens manus vsque ad faciem vel pectus, sic iunctis manibus stat paulisper in quiete, o demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem viuorum Christi fidelium ad suam voluntatem, & quorum nomina, si vult, secreto commemoret; non tamen necesse est ea exprimere, sed mentem tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam viuos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, & hoc loco generaliter vnico contextu ipsorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.*

o Demisso aliquantulum capite.] Non ergo oculis eleuatis versus Crucem, vt multi faciunt, nec iisdem clausis, nisi forte ad maiorem animi compositionem. Neque verò desigendi sunt oculi in Sacramento, si est in Altari expositum, eò quòd in altero *Memento* fieri præscribitur hoc idem. demissio namque capitis & oculorum in vtroque *Memento* magis attendi debet, ad humilitatem indicandam.

p Quorum nomina secreto.] Eos, pro quibus orare intendit Sacerdos, appellat Suscepios *S. August. Epist. 59. quest. 5.* quos labijs compressis inclusa pectoris cogitatione nominet, ait *S. Hieron. apud Duran. lib. 2. de Rit. cap. 34.*

De litteris N. & N. apponi solitis hoc loco in Canone, meminit *Odo Camerac. in Explicatione sacri Canonis.* antiquitus autem recitabantur nomina offerentium in Missa, ex *Inno-*

centio I. Epist. 1. & nos eorum, qui eleemosynam idèd dederunt, memoriam facimus.

Hoc loco dicendum videtur de applicatione Sacrificij: & quidquid sit de valore Missæ, quem, conciliando Doctores, dicerem infinitum esse in radice, sed ad impetrandum, & ad alios effectus, finitum in terminis; quia finitè de eo omnes participant, minusque vel magis, pro minori vel maiori deuotione cuiusque concurrentis ad Missæ Sacrificium, ex *S. Thom. 3. par. quest. 79. artic. 4.* Quatuor Sacerdoti vt faciat ego consulerem.

Primum est, vt intendat prodesse omni meliori modo ijs, de quibus Ecclesia meminit in Canone, nimirum toti Ecclesiæ, Papæ, Episcopo loci, & circumstantibus, quibus Deus distribuat portionem Sacrificij generalera propè infinitam, pro eorum capacitate, & deuotionis mensura. & hæc

T est

est prima portio, quam ponit *Scot.* quodlib. 20. artic. 2. & 3.

Alterum est, ut provideat sibi ipsi Sacerdos de portione sibi debita, quam vocat *Scotus* specialem, & nouit Deus, quanta sit: probabile verò est, eam posse dari alijs à Sacerdote nominandis pro eo titulo, quo importat pœnæ debitæ remissionem. Quo casu prodesset ijs multò magis, quàm si pro ijsdem sequenti proxima ratione & modo celebraret, quia certum est, participare Sacerdotem in maiori quantitate de valore Missæ quàm alium quemlibet, qui eundem celebrare iubet, aut procurat; tum ex ministerio proximiori, tum ex maiori deuotione & fide, quæ inter celebrandum multipliciter excitantur.

Tertium est, ut suffragari intendat eo maiori affectu quo potest, & debet ijs, quibus tenetur, siue ex obedientia, siue ex titulo beneficij, siue legati, siue contractus rationabilis, siue promissionis, aut voti, siue congruentis eleëmofynæ acceptæ, aut promissæ; & ea prorsus ratione, qua ijsdem, & ex sensu certo & practico eorundem, non speculatiuo & disputabili, ille tenetur ad Missam, seu plures Missas. tutior enim in hac re tenenda est sententia. Si verò ij non egeant, aut fortè ex defectu gratiæ non sint capaces Sacrificij fructus, substituatur statim alios actu, & secunda ut aiunt intentione (quod docet *Suarez disp. 79. sect. 8. in fine*;) alioquin fructus Missæ non applicatus remanebit in thesauro Ecclesiæ. Deus autem nouit, quantum cuique de Missæ fructu sit dandum; & hæc est quam vocat *Scotus* portionem mediam.

Quartum est, ut alijs item prodesse

intendat sine aliorum præiudicio, eo ordine & quantitate fructus, qua Deus scit se teneri; & eos specialiter nominatos Deo commendat, siue in ordine ad remissionem pœnæ, cum sit satisfactorium; siue ad gratiam acquirendam, & augendam, cum sit meritatorium; siue ad quæcumque bona spiritalia & temporalia, quibus illi egent, & utiliora eisdem forent, obtinenda, cum sit etiam, imò & propriissimè, ut ait *Bellarmin. de Missa lib. 2. cap. 3. impetratorium*.

Notat præterea *Azor. lib. 10. c. 22. quest. 3.* Orationem ad *Memento* esse priuatam: quare in ea admitti possunt infideles, & excommunicati omnes, ad eorum salutem procurandam, ut *idem ibidem cum alijs Doctoribus docet*, seu ad augmentum Ecclesiæ, ut *Suarez disp. 78. sect. 2.* Ex his ergo & tu memento, ne *Memento* in Missa fiat in momento, sed cum aliqua mora.

In Commemoratione post *Memento* Defunctorum eadem ferè obseruet Sacerdos; ut primò omnes commemoret ex instituto & intentione Ecclesiæ; deinde eos, pro quibus, ut supra, tertio loco teneri dictum est; tertio alios cariores quos voluerit, & inter hos auctorem huius Operis, qui commendat seipsum quàm maximè postquam obierit; & item illius animam Defuncti, quæ proxime dum celebras (Deus nouit) egressura est de Purgatorio: tibi enim de cælo statim rependet gratiam. Omnes autem Defunctos commendabis Deo in ordine tantum ad pœnarum remissionem, cum hoc Sacrificium pro Defunctis sit tantummodò satisfactorium.

4 Commemoratione viuorum facta, demissis & extensis vt prius manibus, continuat, Et omnium circumstantium, &c. Similiter stans prosequitur ¶ Communicantes. Cùm dicit, Iesu Christi, caput Crucis inclinât: in conclusione quando dicit, ¶ Per eundem, iungit manus. Cùm dicit, ¶ Hanc igitur oblationem, expandit manus simul super oblata, ita vt ¶ palma sint aperta versus ac supra Calicem & Hostiam, quas sic tenet vsque ad illa verba, Per Christum Dominum nostrum. tunc enim iungit manus, & sic prosequitur, Quam oblationem tu Deus in omnibus quasumus. & cùm dicit, ¶ bene & dictam, adseri & ptam, ra & tam, communiter signat ter super Hostiam & Calicem simul: deinde cùm dicit, ¶ vt nobis corpus, separatim signat semel super Hostiam tantum; & cùm dicit, & sanguis, semel super Calicem tantum: deinde eleuans & iungens manus ante pectus, prosequitur, fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi. & inclinans caput Crucis, ¶ extergit, si opus fuerit, pollices & indices super Corporale, & dicit secreto vt prius, ¶ Qui pridie quàm pateretur, & accipiens pollice & indice dextræ manus Hostiam, & eam cum illis ac indice & pollice sinistrae manus tenens, stans erectus ante medium Altaris, dicit, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, eleuansq; ad celum oculos, & statim demittens, dicit, & eleuatis oculis in calum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, caputq; aliquantulum inclinans, dicit, tibi gratias agens: & tenens Hostiam inter pollicem & indicem sinistrae manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens, ¶ bene & dixit, fregit, deditq; discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.

¶ Communicantes.] Siricius Papa creditur auctor huius partis Canonis à Radul. vbi supra. Linotribuit Nicol. de Ploue in Exposit. Missæ. sed Commemoratio Sanctorum in Missa est apud S. Clem. lib. 8. Constitut. Apost. cap. 13. & Dionys. de Eccles. Hier. cap. 3. Et quidem ante consecrationem nominantur cum beata Virgine Apostoli, Summi Pontifices, Episcopi, Diaconi, & laici, nempe Apostoli duod. im, & Martyres totidem; quia illi doctrina & sanguine, isti san-

guine & martyrio Sacrificium hoc confirmauerunt, Gemmalib. 1. c. 104. Qui verò Canonem ordinauit, quos voluit, dictante Spiritu sancto, hoc loco & infra nominauit, ex Steph. Eduens. cap. 13. conijcit Lindanus in Liturgiam sancti Petri cap. 22. cum alijs, à sancto Hieronymo iussu Damasi Catalogum hunc Sanctorum ortum habere. Ijdem Sancti vnâ cum beata Virgine constituunt namerum quinquies quinque, quem supra in signis Crucis eundem adnotauimus;

quia quinquies in hac re quinqueno-
stri sensus consummandi sunt, ait
Hugo ibidem. Confessorum autem
nulla fit mentio, quia editus fuit Ca-
non ante sanctum Siluestrum, ex *In-
nocentio III. lib. 3. cap. 10.* neque sunt
passi sicut Christus, *Durand. lib. 4.
cap. 38.* vbi plura. Vltimi de toto Ca-
none Sancti passi sunt anno 362. nem-
pe Ioannes & Paulus, reliqui omnes
ante ipsos; & tamen post eosdem ad-
diti sunt Cosmas & Damianus. Quis
causam nouit? passione priores loco
sunt in Canone posteriores, arbitrio
auctorum Canonis, vt *Eduens. loco
citato* significare videtur. Eminentissi-
mi denique nominantur Sancti; in
quibus tamen non ceterorum Sancto-
rum intercessio prætermittitur, sed in
istorum commemoratione omnium
suffragia expetuntur: quia sicut om-
nes in Deo vniti existunt, ita omnes
vnum desiderant & rogant pro salute
hominum; vt in vno omnes habeantur
pariter, & in vno omnes pariter
negligantur, *Alcuin. supra*. De va-
riando *Communicantes*, vide supra
par. 1. tit. 12. num. 5. pag. 44.

† *Per eundem.*] In Canone quin-
quies secrete dicitur *Per Christum Do-
minum nostrum*, & habet *Microlog.*
cap. 16. ob quinquere recolenda Vulne-
ra Christi, ait *Honor. in Gemma lib. 1.
cap. 56.*

‡ *Hanc igitur oblationem.*] Tribuit *Al-
cuinus* Gelasio, *Radulph. Proposit. 23.*
Leoni Magno, vsque ad ea, *placatus
accipias.* reliqua, vsque ad *Quam obla-
tionem* exclusiue, addita fuere à san-
cto Gregorio, *Amalar. lib. 3. cap. 23.*
& communiter omnes; occasione pestis
Romanæ & bellorum, ait *Lopez. lib. 2.
cap. 14. §. 1.* legitur tamen in *Liturgia
S. Petri Græca* vnà cū *Communicantes.*

De huius item partis varietate in
Paschate & Pentecoste, propter ba-
ptizatos recenter, vide locum paulò
antè citatum *par. 1. tit. 12. num. 5.
pag. 44.*

† *Palma sint aperte.*] Pollice dex-
tro adhuc super sinistro in modum
crucis posito, quod rectè notauit
Alcocer in suo Cerimoniali. Expan-
duntur autem manus super oblata
more Aaron, *Leuitic. 1. ex Suarez.
disp. 84. sect. 1.* & vt intelligas, hæc
mysteria tegi etiam Angelis, nedum
hominibus, *Rupert. lib. 2. cap. 57.*
vel innuunt diuinam protectionem,
seu efficaciam gratiæ, quæ in hac pre-
ce postulantur, ex *Ioan. Serrano*; qui
& addit, vel Sacerdotem profite-
ri, non proprijs visibus, sed virtute
ordinationis per impositionem ma-
nuum Episcopi tam mirabile opus
se facturum.

‡ *Benedictam, adscriptam, &c.*] Ita
loquitur *S. Ambros. lib. 4. de Sacra-
ment. cap. 5.* ergo verba sunt antiqua.
Quinque verò cruces fieri hoc loco,
trahit *Microlog. cap. 14.* imò & in *Lit-
urgia sancti Petri* habentur.

† *Vt nobis corpus.*] Cruces fiant
continenter, non interruptè, tres, &
postea post breuem moram aliarum duarum,
dispensando verba appositi.

‡ *Extergit pollices & indices.*] Ne
sint humiditate affecti, & ad maiorem
reuerentiam.

‡ *Qui pridie quam, &c.*] Tribuitur
Alexandro vsque ad verba consecra-
tionis à *VValafr. cap. 22.* & *Microlog.
cap. 12.* sed Apostolorum est perio-
dus, ex *Alcuino*, vsque ad, *Vnde &
memores*; cū habeantur apud *Cle-
mentem lib. 8. c. 17.* & in *Liturgia san-
cti Petri citata.* Ceterum gestus corpo-
ris in hac periodo consonant singulis
verbis.

verbis, vt patet ex *Microl. cap. 15.*
 a *Benedixit.*] Meminit huius benedictionis cum signo Crucis paulò ante verba consecrationis *S. August. Serm. 19. de Sanctis.*

Non opinor, Christum benedixisse manu formando signum Crucis; quia nondum data erat Cruci deifica virtus. *Nicol. de Ploue in Expositione Missæ idem sentit.*

s. Si adsit vas cum alijs Hostijs consecrandis, antequam accipiat Hostiam, b discooperit manu dextra Calicem, seu vas altiarum Hostiarum. Cùm autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positus, stans capite inclinato, distinctè, reuerenter, & secreto profert verba consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecranda, & Hostiam suam pollicibus & indicibus tantum tenens, dicit, Hoc est c enim corpus meum. Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices & indices predictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis & simul iunctis (& Hostijs, si plures sint consecrata, in loco, in quo à principio Missæ posita sunt, super Corporali, vel in alio vase aut calice demissis) genuflexus eam d adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, e eleuat in altum Hostiam, & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis facit) populo reuerenter ostendit adorandam: & mox sola manu dextra ipsam reuerenter reponit super Corporale in eodem loco, vnde eam leuauit, & deinceps pollices & indices f non disiungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, vsque ad ablu-tionem digitorum post Communionem.

b *Discooperit.*] Si Pyxidem collocauerit post Calicem, retrahet eam priùs ad laus ipsius Calicis versus cornu Epistolæ, vt super ipsas quoque particulas propiùs verba profert consecrationis. quæ proferre debet stans quidem, & inclinato capite, sed retentis æqualiter pedibus in suppedaneo Altaris; non dextro vltra sinistrum reuerentiæ causa quasi deflexo.

c *Enim.*] Additum est à *S. Petro, ex S. Thom. 3. p. quæst. 78. artic. 2. ad 5.* Notat *Biel lect. 38.* non vacare Mysterio, quod sint quinque verba huius consecrationis; totidem enim fuit consummata incarnatio, *Fiat mihi secun-*

dum verbum tuum: Publicano totidem facta culparum remissio, *Deus propitiuss esto mihi peccatori: Latroni totidem cæli promissio, Hostie mecum eris in paradiso.*

d *Adorat.*] Vnico genu, vt statim, vt faciliùs surgere possit. quod & in sequentibus obserua. Neque cubitis super Altare positus adorat, sed manibus Hostiam tenentibus super Altare retentis; & ita, vt commodè ad terram vsque genuflexio fiat, neque videri Hostia ab omnibus possit. Abstineat omnino ab osculo Hostiæ, *S. Bonan. in Spec. discipl. part. 2. cap. 11.*

e *Eleuat in altum Hostiam.*] Et statim reponit, neque diu eleuatam tenere

tenere debet. qui ritus indicatur in *Psal. 71.* exponente Rabbi Ionatha, qui vixit ante Christum, in libro *Collectionum*: Fiet placenta panis sacrificium in capitibus Sacerdotum qui sunt in Ecclesia. Et licet hæc expositio minùs probetur à Bellarmino in *Psal. 71.* placet tamen Galatino, Burchardi, & alijs apud Lorinum in eundem Psalmum. Vulgata legit, *Erit firmamentum* (epithetum enim est panis, qui cor hominis confirmat, *Psal. 103.*) in terra in summis montium. Sanè hæc habet Dionys. cap. 5. *Eccles. Hierar.* Mysteria conficit, in conspectu agit, reuerenter ostendens. & Anastas. *Synaxi de Sacra Synaxi*, Panem vitæ iustollit, eumque omnibus ostendit; tamquam cibum & potum excellentiorem ceteris, ait Hugo Vict. in *Specul. Eccles. cap. 7.* vel, ac si tunc Christus eleuetur in Crucem, & rursus immoletur, *Gemma lib. 1. cap. 46.* Item, vt à populo sciat consecratio facta secretò, & ado-

retur Christus, *Durand. lib. 4. cap. 41.* vnde & populus genibus flexis adorat, ex *Conc. Treueren.*

Monet hoc loco Nicol. de Plone, ne in consecratione ipsa eleuetur Hostia, ita vt videatur; ne tunc nondum consecrata adoretur. Octo verò causas eleuationis morales & pias affert sanctus Bonavent. de *Myster. Missæ.* In eleuatione Hostiæ digitos extensos iungat, & item imas partes manuum, vt solidiùs & decentiùs eam eleuet; neque eas diuidat, nisi quando reponit Hostiam.

f *Non disiungit.*] Nullus antiquorum indicat hunc ritum non disiungendi digitos, quem potius confutat, sed malè, *Microl. cap. 16.* meminit sanctus Thom. 3. part. *quest. 83. art. 5. ad 5.* & Durandus post eum cap. 41. ob reuerentiam scilicet Sacramenti. Digni verò prædicti non disiunguntur vsque ad eorundem ablutionem inclusiuè.

6 *Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel Palla cooperit vt supra. Interim dum Celebrans eleuat Hostiam, accenso priùs intorticio (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicauerit, si qui erunt communicandi in Missa) & minister manu sinistra eleuat simbrias posteriores Planctæ, ne ipsum Celebrantem impediatur in eleuatione brachiorum, quod & facit in eleuatione Calicis: & manu dextra ^h pulsat campanulam ⁱ ter ad vnquamque eleuationem, vel continuatè quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, & similiter postmodum ad eleuationem Calicis.*

g *Minister.*] Paulò post Sacerdotem ad eiusdem dextram genuflexus supra altiorem gradum, si plures sint gradus, manu sinistra eleuat partem inferiorem posterioris Planctæ, quæ,

vt supra docuimus, errabunda vtriusque super brachia reflectebatur, & eadem brachia in hac eleuatione impediabat; in medio eam accipit, quam deponens deinde non osculatur.

h *Pul-*

h Pulsat campanulam.] Ex Decreto Gregorij XI. apud Nauclerum Generat. 42. an. 1240. & meminit huius ritus Ino Carnot. Epistola 167. sicut in veteri Testamento Leuitæ tempore Sacrificij tubas clangebant argenteas, quarû sonitu populus prouocabatur ad adorandum, Durand. lib. 4. c. 41. Honorio III. adscribit ritum Abbas Vrsbergen. cum Schulting. Tom. 1. p. 1. c. 18. Vidoni Cardinali, anno 1207. Casar. li. 9. c. 51. i Ter.] Id est, cum Sacerdos adorat, cum eleuat, & cum reponit Ho-

stiam, seu Calicem: & hic ritus sicuti est prior in Rubrica, ita decentior est posteriori, quo continuatè campanula pulsatur. Ternario namque numero gaudet Deus, vt aliàs cum Innocentio III. diximus.

Non pugnat Cærimoniale Episcoporum lib. 1. cap. 29. cum Missali, dum in eo extinguuntur funalia post depositionem Calicis, & in Missali post Communionem: quia nimius funalium calor & fumus Prælati nocent, vnius autem cerei non item.

7 *Celebrans adorato Sacramento surgit, & discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos; quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat; & stans erectus dicit, Simili modo postquam cœnatum est. & ambabus manibus accipiens Calicem iuxta nodum infra cuppam, & aliquantum illum eleuans, ac statim deponens, dicit, accipiens & hunc præclarum Calicem, &c. cum dicit, Item tibi gratias agens, caput inclinât. cum dicit, benedixit, sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum, & prosequens, deditq; discipulis suis, &c. ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super Altare positus, & capite inclinato, profert attentè, continuatè, & secretò, vt supra, verba consecrationis Sanguinis: Hic est enim Calix, &c. Quibus dictis reponit Calicem super Corporale, & dicens secretò, ^m Hæc quotiescumque feceritis, &c. genuflexus Sanguinem reuerenter adorat. Tum se erigit, & accipiens ⁿ Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ^o vt prius, eleuat eum, & erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum: mox ipsum reuerenter reponit super Corporale in locum pristinum, & manu dextra Palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.*

[*Discooperit Calicem.*] Sunt qui nunc interea Palla Calicis tegunt Hostiam, ne in eleuatione Calicis eam fortassè tangant cum fimbrijs Manipuli, deponendo Calicem: quod non probò, mouète quæstionem Durando cap. 46. Cur Hostia numquam coope-

ritur, & Calix operitur? cui respondet, Tam ob periculum, ne quid in Calicem cadat; tum ob mysterium, quia in Calice repræsentatur Christus, vt in sepulchro, opertus sindone, sudario, lapide clauso, & signato; in Hostia verò, vt in passione, extra sepulchrum.

Quare

Quare regi numquam debet in Missa, Durandi iudicio, Hostia sacra. Quod hic dicitur, *iuxta nodum infra cuppam*, idem est ac si dicatur, Caput nodum Calicis qui est infra cuppam. Quidam deponunt Calicem, ut manus iungant, & benedicant; sed non bene. Vide supra *tit. preced. num. 5. pagina 134.* non enim deserendus est Calix ab eiusdem acceptione, sicuti nec deseritur Hostia ad illud verbum *benedixit*, donec fiat consecratio.

m Hæc quotiescumque, &c.] Antequam eleuet Calicem hæc verba dicere debet: & dum reponit, pedi Calicis non debet osculum infigi à Celebrante; de quo nihil Rubrica.

n Calicem discoopertum.] Tradit Durandus *cap. 41.* & laudat eleuari Calicem coopertum, mysticalque affert causas *cap. 42.* sed antiquitus non poterat eleuari coopertus, quando Corporale erat satis amplum, substratum Hostiæ & Calici, quod una simul adhibebatur, ad tegendum Calicem altera parte eiusdem; cuius vi-

ces nunc gerit Palla, ut significauimus supra *tit. 1.* Ne quid verò cadere nunc possit in Calicem dum eleuatur, prohiberi debet vel tecto super Altare concamerato, vel umbella decenti superaddita. Ritus igitur à Rubrica nostra præscriptus conformior est antiquiori nascentis Ecclesiæ; qui tamen & tempore Durandi apud quosdam, *inquit idem ibidem*, erat in usu: fortè apud Romanos. Non erat autem in præcepto hæc eleuatio Calicis ante S. Thomam, *ex Soto 4. d. 13. quest. 2. art. 5.* vnde neque S. Thom. meminit illius, ubi minutè ritus omnes persequitur Missa.

o Ut prius.] Hoc est, sinistra pedem, dextra nodum tenens. qui ritus frequentior est tenendi Calicis, de quo in oblatione eiusdem, *tit. 7. m. 5.* nedum in consecratione; ergo idem est seruandus in eleuatione. Putant enim aliqui illud *ut prius* referri ad ea, *ambabus manibus iuxta nodum*, sed minus rectè.

8 *In Missa solemnè ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ & extinguuntur post eleuationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, & tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam ieiuniorum, & in Missis pro Defunctis tenentur accensa usque ad Communionem. Cùm autem Celebrans dicit, Quam oblationem, &c. ¶ Diaconus accedit ad eius dextram, & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cùm Sacramentum eleuatur, simbrias Planetæ eleuat, & quando opus est, se erigens, Calicem discoopert & cooperit, & cum Celebrante genuflectit. ¶ Subdiaconus genuflectit in loco suo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat Hostiam, cùm eleuatur, & similiter Calicem, posito incenso in Thuribulum absque benedictione. Reposito Calice, ¶ Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Ceteri surgunt, & stant in locis suis.*

p *Extinguuntur post elevationem.*] Ne portantes intorticia genuflexi manent ceteris stantibus, idè asportantur funalia, & extinguuntur. Cùm autem Communio facienda est, non discedunt, vt deinde redeant; sed expectant Communionem, quæ fieri debet cum accensis luminibus, præsertim si discedatur ab Altari. Cùm autem eleuatur Hostia, eleuentur etiam intorticia vsque ad depositionem Calicis inclusiue.

In diebus ieiuniorum, &c. cessat ratio standi: & quia genuflexi manent omnes in Choro vsque ad *Pax Domini*, parum quod superest vsque ad Communionem Celebrantis pro nihilo reputatur; congruitque, ob præsentiam sanctissimi Sacramenti in Altari, vt eo casu tantùm ardeant intorticia. Excipe Vigiliis Natiuitatis, Pasche & Pentecostes; quando nimirum in Choro non genuflectitur, & consequenter neque remanent intorticia deposito Calice.

q *Diaconus accedit.*] Facta priùs nimirum genuflexione, vbi est, Altari. Si adest Pyxis cum particulis consecrandis, ipse eam detegit, & collocat propè Hostiam ante consecrationem; & deposita Hostia post elevationem, facta cum Celebrante genuflexione, Pyxidem operit, & collocat in

pristino loco. & antequam discooperiat Calicem consecrandum, cum Celebrante priùs adorat cum genuflexione Hostiam ab eo depositam super Altare.

r *Subdiaconus genuflectit in loco suo.*] Hoc est, supra infimum Altaris gradum in medio post Celebrantem.

[*Ter incensat.*] Nimirum, cùm Celebrans adorat, cùm eleuat, & cùm deponit. Neque benedicitur incensum, *Carim. Episc. lib. 1. cap. 23.* ad maiorem reuerentiam sanctissimi Sacramenti, à quo omnis benedictio.

Genuflectunt autem prædicti, quando Diaconus genuflectit.

Pulsantur etiam campanæ, signo dato cum campanula, vt supra dictum est *num. 6.* ab Acolytho.

t *Diaconus redit ad librum.*] Facta iterùm genuflexione in cornu Evangelij tantùm, vbi est liber, & assistit vt priùs. Thuriferarius redit in Sacristiam.

Eleuato Sacramento, hoc est, reposito Calice, Chorus dicit, *Benedictus qui venit*, &c. ait *Carim. Episcop. lib. 2. cap. 8. vt supra dictum est.* Nota, quòd Chorus genuflectit initio Canonis, *Carim. Episc. lib. 2. cap. 8.* & surgit post depositionem Calicis, *ex hac Rubr.* stant autem omnes versus Altare in locis suis.

De Canone post Consecrationem vsque ad Orationem Dominicam. IX.

i **R**eposito Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto, ^u *Vnde & memores, &c.* Cùm dicit, de tuis donis ac datis iungit manus ante pectus: & cùm dicit, ^x *Hostiam * puram, Hostiam * sanctam, Hostiam * immaculatam, manu sinistra * posita super Altare intra Corporale, dextra signat ter communi-*

V

ter

ter super Hostiam & Calicem, & semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem tantum, dicens, Panem ✠ sanctum vite aeternae, & Calicem ✠ salutis perpetuae. deinde stans ut prius, extensis manibus prosequitur, y Supra qua propitio, &c. Cum dicit, z Supplices te rogamus, &c. inclinatur se ante medium Altaris, a manibus iunctis super illo positus: cum dicit, ex hac Altaris participatione, osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positus. Cum dicit, sacrosanctum Filij tui, iungit manus: & dextera signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit, Cor ✠ pus & san ✠ guinem sumpserimus; & cum dicit, omni benedictione ✠ caelesti, seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus, & prosequitur; & gratia repleamur. Cum dicit, Per eundem, iungit manus.

u Vnde & memores.] Tribuitur haec pars Alexandro I. à Radul. Propos. 23. hausta fuit ex Liturgia Graeca sancti Petri, & ex lib. 8. Constit. Apost. c. 17. Memores, inquit, Passionis, Mortis, & Resurrectionis. Verbum Ascensionis additur in Liturgia sancti Basily. Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, simul inter Latinos legit Ambros. lib. 4. de Sacrament. cap. 6. qui & habet ea verba quae sequuntur, Hostiam puram, &c.

Extenduntur etiam hinc manus, ut gestu corporis representetur Christi passio, Microl. cap. 16. non tamen fit brachiorum extensio, more Ambrosianorum, & Dominicanorum.

x Hostiam puram.] Nouit Microl. cap. 15. has quinque cruces, & hoc eodem modo.

Quærit Innocent. III. lib. 5. cap. 3. cur super Hostiam & Calicem nunc consecrata fiant signa Crucis; respondet, Non nisi ad recolendam Christi Passionem, quæ sequitur Alex. Ales. de Officio Missæ, mem. 3. artic. 2. cum S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 5. ad 4.

Distinguant moderni Theologi in

Christo rationem Sacerdotis efficientis principalis in Missa, & Hostiæ, uti causæ materialis; & secundum hanc dicitur Christus subesse secundum quid Sacerdoti ministro secundo, & instrumentali: qua ratione verum esse potest etiam hic quod à Paulo dicitur Hebr. 7. Quod minus est secundum quid, à maiore, seu meliore, secundum quid benedicitur. Vide Io. Osorium Concione de Sacerdotio. O profunda Christi Domini nostri humilitas sub Sacerdote!

y Supra qua propitio, &c.] Hæc leguntur in Liturgis cit. sancti Petri, & sancti Basily, & apud Ambros. 4. de Sacram. cap. 6. quæ verò in fine dicuntur, Sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam, S. Leo Magnus addidit, ex Innocent. supra cap. 4.

z Supplices te rogamus, &c.] Inclinationis mentio est apud Microl. c. 16. verba leguntur in Liturgia cit. S. Petri, apud Clem. & Ambros. locis cit.

a Manibus iunctis.] Non tamen pollice dextro super sinistram posito, sed iunctis pollicibus & indicibus inuicem inter se, tit. 3. num. 1. & paruis digitis frontem Altaris tangentibus;

tibus; quod etiam in sequentibus obseruatur, ex Rubric. tit. 4. num. 1. ibi: *Qua omnia semper obseruantur, cum manus iuncta super Altare ponuntur.* Reliqua sunt nota, & habentur apud Innocent. III. lib. 5. cap. 5. tum osculum, tum crucestrates. Antiquiores non

formabant has cruces, & patet ex numero sex ordinum crucium quas memorant in Canone.

Ea verba, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli, &c.* habentur in Liturgia Græca beati Petri, & apud Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 6.

2. *Cum dicit, Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, &c. extensis & b iunctis manibus ante pectus, & vsque ad faciem eleuatis, & intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium c Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo ut dictum est de commemoratione viuorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus prosequitur, Ipsi Domine, & omnibus in Christo, &c. & in fine ad Per eundem iungit manus, & d caput inclinat.*

b *Iunctis manibus.*] Bis hoc loco iunguntur manus, ad *Per eundem*, & iterum ad *Memento*.

c *Defunctorum.*] Communis est ritus omnibus Liturgijs, ex præcepto Apostolorum, Chrysostomus Homil. 3. in Epist. ad Philipp. & alij apud Duran. lib. 2. cap. 43. ut scilicet pro Defunctis in Missa oremus. Sixto I. tribuit Platina, Pelagio I. Anselm. Ryd. in Catalogo annorum; hoc est, Decreto confirmauerunt.

N. N. nomina recitabantur in Romana Ecclesia, Alcuin. de Celebrat. Missæ, & ante eum Cyprian. Ambr. & alij apud Duran. ibidem, ex Diptychis, & Tabulis. Diptychi verò erant complicati pugillares, seu tabulæ duplicatæ, in usum scribentium comparatæ,

Turneb. lib. 9. *Aduersus*. cap. 23. vna viuorum, altera continebat nomina Defunctorum in Christo. Diptycha in genere neutro appellant alij, de quibus plura Duran. lib. 2. de Rit. cap. 43. Angelus Rocca ad librum Sacrament. sancti Gregorij. Plurima legere potes in Onomastico ad Vitas Patrum, verbo Diptychum, auctore Heriberto Rosveydo. Paula fit, non post litteram N. sed post verba, *somno pacis*, lib. Sacrament. S. Gregor. quam & nos retinemus.

d *Caput inclinat.*] Cur hoc loco, non alibi, ad *Per eundem Christum Dominum nostrum* caput inclinatur? puto, quia Sacerdos dicturus est statim, *Nobis quoque peccatoribus*; quæ sunt verba maximæ humilitatis.

3. *Cum dicit, Nobis quoque peccatoribus, c vocem aliquantulum eleuat, & dextra manu f pectus sibi percutit, sinistra posita super Corporale, & prosequitur secretò, famulis tuis, &c. stans manibus extensis ut prius. Cum dicit, Per Christum Dominum nostrum: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, iungit manus ante pectus:*

V. 2

deinde

deinde manu dextra ter signans communiter super Hostiam & Calicem, dicit, & san + Efficas, viui + ficas, bene + dicis, & prestas nobis. Postea discooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigit, & reuerenter accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextra manus, & cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ^h ter à labio ad labium, dicens, Per + ipsum, & cum + ipso, & in + ipso. Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem & pectus, incipiens à labio Calicis, & dicit: Est tibi Deo Pa + tri omnipotenti, in unitate Spiritus + sancti. Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, ⁱ eleuat eum aliquantulum simul cum Hostia, dicens, omnis honor & gloria. & statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, & si opus sit, digitos extergit, ut supra, ac pollices & indices ut prius iungens, ^l Calicem Palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

e Vocem eleuat.] Ita Amalar. lib. 3. cap. 26. & Microlog. cap. 17. Verba, Nobis quoque, habentur in Liturgia citata sancti Petri.

f Pectus sibi percutit.] Tradit Innocentius III. lib. 5. cap. 12. & ante eum nemo. Tribus digitis fit tunsiō pectoris, ex Durand. lib. 4. cap. 46. hoc est, digitis inferioribus & vltimis, ne pollex & index iuncti tangant Planetam.

Quindecim Sancti hoc loco nominantur, octo viri, septem mulieres; quia per hoc Sacrificium à septem donis Spiritus sancti ad octo beatitudines peruenitur, Honor. in Gemma lib. 1. cap. 107.

E quibus primo loco Ioannes. quoniam? Euangelistam putat Innocentius. ratione virginitatis, cui idem adiungitur statim Stephanus virgo. inclinatur idem in Baptistam, qui Martyr fuit; sed dubitat, quia dicitur, Apostolis, & Martyribus. Intelligit Azor. lib. 10. cap. 37. quæst. 7. Baptistam, ne Euangelista bis dicatur nominari; quem ego tamen Apostolum dixerim, qui fuit

homo missus à Deo. Deinde satis est, quod verificetur titulus Apostolorum in Matthia & Barnaba Apostolis. Liturgia sancti Basilij habet aperte Baptistam. Gemma ubi supra cap. 108. putat esse Ioannem, qui est Marcus Euangelista, ut purus aliquis Euangelista reperiatur in Canone. Sed Baronius negat, Marcum Euangelistam eundem esse cum illo Ioanne, anno 45. num. 45. Reliqui verò vel sunt Summi Pontifices, vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Exorcistæ, vel Virgines, vel Coniugatæ, ut ex Historijs Breniarj patet. omnes autem fuderunt sanguinem simul cum Christo, & pro Christo.

Matthias & Barnabas nominantur posteriori loco, quia obiere post Stephanum, Bellarmin. de Missa lib. 2. cap. 25. ubi addit, Matthiam non cum alijs duodecim nominari, quia post passionem fuit electus. Quod si obijcias, Paulum quoque post passionem vocatum, respondet, Paulum Petri semper adiungi.

Eeli-

Felicitatem, de qua hoc loco, putat *Biel lect. 59.* esse matrem septem filiorum, cuius commemoratio fit die 23. *Novembris*, sed ego sentio, sororem esse Perpetuæ, cui coniungitur. de quibus die 7. *Martij*, quæ à S. Augustino summis laudibus celebrantur. Idem sentit *Baron. in Martyrol. ad prædictam diem Martij.*

g. *Sanctificas, vivificas, &c.*] De tribus his crucibus *Microlog. cap. 17.* verborum autem meminit S. *Cyprianus Sermon. de Cæna Domini.*

h. *Ter à labio ad labium.*] Tres cruces fiunt æqualiter nunc, sicut & duæ sequentes inter Calicem & pectus. Taceat *Crassus, qui secutus Durandum libro 4. cap. 46.* tres primas cruces voluit fieri altiùs, deinde minùs altè supra Calicem, & post eà intra Calicem; & aliarum duarum alteram in planum, à Calice ad pectus, alteram in longum, à labio Calicis ad pedem eiusdem. non sunt in usu Romano. Neque Hostia debet tangere labium Calicis, ne fragmenta inde fiant; licet apud quosdam antiquorum, ex *Ordine Romano*, fieri soleret.

Ceterum *Microlog. cap. 17.* reprehendit duas postremas cruces, & malè; ergoerant in usu ante eundem. Verba verò, *Per ipsum, cum ipso, &c.* habet S. *Ambrosius libro de Sacrament.*

cap. 5. & in Liturgia Græca sancti Petri docetur, cum iisdem verbis pane signari Calicem.

i. *Elevat eum aliquantulum.*] Tradit *Microlog. cap. 17.* nisi quòd elevatur Calix ad ea, *Per omnia secula, &c. vsque ad Durandum*, qui hunc eundem cum *Micrologo* describit ritum. Præsens autem ritus noster magis concordat cum verbis, *omnis honor, & gloria*, quæ in exaltatione Calicis & Hostiæ manifestantur.

l. *Calicem Palla cooperit.*] Hactenus operimentum Calicis fuit ad necessitatem, deinceps ad mysterium, inquit *Microlog. loco citato*, quia in hac elevatione & depositione Calicis meditatur depositionem Christi in sepulchro, in quo iacuit tribus ferè diebus, quos devotant tres Orationum articuli sequentes; & in Palla vult designari lapidem monumenti. de quibus & nos suo loco infra, cum de mystica agemus expositione Missæ. *Microlog. idem cap. 16.* notat, quinquies dici *Per Christum Dominum nostrum: & Gemma. lib. 1. cap. 56.* reddit causam, ob memoriam quinque Vulnerum Christi. Est autem conclusio brevis, quia non præcedit *Dominus vobiscum*, ut ait *Navarr. de Orat. cap. 19. numero 171.* neque in ultima dicitur *Amen*; quia sequitur, *Per quem*, ut notat *Biel lectione 60.*

4. In Missa solemnè cum Celebrans dicit, *Per quem hæc omnia, &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, & quando opus est, m discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: similiter cooperit, & iterum genuflectit. n Cum incipit, Pater noster, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.*

m. *Discooperit Calicem.*] Habet *Durand. lib. 4. cap. 46.* ad ea verba, *Per ipsum, &c.* Dum fiunt cruces, Diaconus retineat duobus digitis dextræ manus

manus pedem Calicis, *Carim. Episc. lib. 1. cap. 9.* & habet mysterium, de quo infra in *expositione mystica Missa.*
 n *Cum incipit, Pater noster.*] Facta genuflexione, Diaconus vadit post

Celebrantem, quod docetur etiam *Durando loc. citato.* Regula verò est, quòd Diaconus (non alijs) cum Celebrante genuflectente genuflectat, si solus eidem assistit.

De Oratione Dominica, & alijs vsque ad factam Communionem. X.

Celebrans, cooperto Calice, adoratoq; Sacramento, erigit se, & manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positus, dicit intelligibili voce, *o Per omnia secula seculorum.* & cum dicit, *o Oremus*, iungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit *q Pater noster*, extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis, profequitur vsque ad finem. Responso à ministro, *r Sed libera nos à malo,* & à Celebrante submissa voce, *Amen*, manu dextra, pollice & indice non disjunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos, quam tenens super Altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secretò, *r Libera nos quæsumus, &c.*

o Per omnia secula seculorum.] Cur manibus extensis super Altare, & voce intelligibili, iidem videndi sunt qui supra in simili casu initio Præfationis, & præsertim *Innoc. III. lib. 5. cap. 12.* ut populus nimirum ratificet, quæ secretò peracta sunt, cum verbo *Amen.* Idem habetur in *Liturgia S. Petri.*

p Oremus.] Sicut ad *Oremus* caput inclinat, ita erigit illud statim ad *Præceptis salutaribus*, &c. quod dicit manibus iunctis, quas deinde extendit ad *Pater noster.* Præfatio, *Præceptis salutaribus*, &c. vetustior est quam plerique arbitrantur, *Ordo Roman. Alcuin. meminit & Amal. lib. 3. cap. 20.* Tribuitur sancto Gregorio à *Radul. Propos. 23.* sed videtur esse *S. Cypriani Tract. de Oratione Dominica, apud Duran. lib. 2. cap. 47.* & additur tamquam præludium Orationis Domini, quia sola à Deo fuit formata, *Odo Camerac.*

q Pater noster.] Oratio Dominica ab Apostolis ipsis usurpata fuit in Missa, secundum omnes, nec Missa, ut dictum est supra *ex Gregorio lib. 7. Epist. 63.* constabat alijs partibus quam Consecratione & Oratione Dominica. *Hier. lib. 3. aduers. Pelag.* scribit, Christum Dominum docuisse Apostolos, ut quotidie in Corporis eius Sacrificio credentes audeant loqui, *Pater noster, &c.*

Cum ergo à *Rupert. lib. 2. cap. 15.* dicitur auctor *S. Gregorius*, intelligi, vel eum restituisse Missæ, vel determinasse tempus ante Sacramenti sumptionem; nam *S. Ambrosius* eam recitari post Canonem testatur *lib. 5. de Sacrament. cap. 4.* & *August. de se factetur idem Sermone in Vigilia Pascha:* fortè *S. Gregorius* hoc idem sancit, vel statuit, quòd à solo dicretur Sacerdote, non à populo, ut *Gracius*

mos erat, & indicatur in *Liturgia sancti Petri Greca*. Vide eundem *Gregor. lib. 7. Epist. 63.*

Alta voce dicitur, ex *Liturgia sancti Petri citata*; tum quia communis Oratio est, ut ex *Cypriano Sermone 6.* notat *Amalar. cap. 9.* tum quia hac ratione populus eam discere potest, ex *Augustino Epistola 42. inter 50.* tum quia sumpta est de Euangelio, *Durandus lib. 1. cap. 47.* & dum Sacerdotes eam dicit, extendit manus, *idem ibid.*

An verò sit extra Canonem? concedit *Alcuin. cum Amalar. locis citatis*, & aperte id sentit *S. Gregor. Epist. 63.* dum post Canonem vult eam recitari: sed & in Parasceue dicitur, quãdo Canon omittitur; ergo non est de Canone. Oppositum docet *Innoc. III. lib. 5. cap. 17.* qui vult eamdem esse finem Canonis. *Bellarmin. lib. 2. cap. 26.* & *Azor. lib. 10. cap. 37. quæst. 9.* sentiunt cum *Alcuino.*

1 *Sed libera nos à malo.* Clerum respondere hoc solitum esse, testatur *Durand. cap. 49.* & Sacerdotem item secretò subdere, *Amen.* Dicitur autem secretò, ad significandum, quòd nos latet, an exaudiamur in Oratione Dominica data nobis à Christo; & Deus hoc vult latere, ne torpeamus, *Rub. lib. 2. cap. 69.* Malè quidam dicunt etiam secretò, *Sed libera*, &c. quòd à ministro tantùm dici debet: & eam mysticam rationè affert hoc loco *Angelus Contus de Mysterys Missæ p. 5. cap. 1.* quòd nimirum tacet hæc verba Sacerdos, in quibus petimus liberari à malo culpæ præsentis; sicut in

præcedentibus postulamus à præteritis & à futuris liberari: ne videatur, inquit, Sacerdos tunc tēporis esse reus peccati mortalis. Eadem verò dicit populus conuenientiùs; cui deinde Sacerdos benè precatur, dum secretò subdit, *Amen.* Sed idem Sacerdos statim sibi quoque optat, & petit liberari à præteritis, præsentibus & futuris ea prece, *Libera nos*, &c. Dicit ille: Secretò cōuenit, non publicè, hoc petere Sacerdotem. Valeat, mystica est ratio.

[*Libera nos quæsumus.*] Habet *Ordo Romanus.* Volunt aliqui additum esse à sancto Gregorio cum præfatione prædicta. innuit *Radulph. loco citat.* expressè docet *Gemma lib. 1. cap. 90.*

Quæritur autem: Cur hoc loco solus Andreas cum Petro & Paulo nominatur? at quis nesciat, sanctum Gregorium erga hunc Apostolum propensioris fuisse, cuius nomine ædificauit monasterium ad Cluuium Scauri? frater Petri est priùs vocatus, in Cruce cum Petro & Christo obiit. Habetur hæc Oratio in *Liturgia S. Petri*; sed nomina Petri & Pauli fuere addita post mortē eorundem. nomen Andree nō est cum ijs, & licet habeatur in Ambrosiano ritu, quia tamen ibidem est etiam Ambrosij nomen, à recētoribus vtrumque additum fuisse patet. In Missali M. S. de Vrbe antiquissimo, tribus Apostolis, Petro, Paulo, Andree, quartum legi additum Bartholomæum. Est textus verè singularis, sed monasticus, non Romanus. quòd tamen adnotare volui in gratiam S. Apostoli mei.

- 2 *Antequam Celebrans dicat, Da propitius pacem, euenat manu dextra Patenam de Altari, & seipsum cum ea signat à fronte ad pectus, dicens, da propitius pacem in diebus nostris. Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus, deinde Patenam ipsam osculatur, & profe-*

prosequens, ut ope misericordie tue, &c. submittit Patenam Hostie, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextrae manus, & cum illis, ac pollice & indice sinistrae manus eam super Calicem tenens, ^x reuenter frangit per medium, dicens, Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, & mediam partem, quam inter pollicem & indicem dextrae manus tenet, ponit super Patenam; de alia media, quam sinistra manu tenet, ^y frangit cum pollice & indice dextrae manus particulam, prosequens, Qui tecum uiuit, & regnat: & eam inter ipsos dextrae manus pollicem & indicem retinens, partem maiorem, quam sinistra tenet, adiungit medie super Patenam posita, interim dicens, In unitate Spiritus sancti Deus: & particulam Hostie, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili uoce dicit, Per omnia secula seculorum. R. Amen. & cum ipsa particula signans ^z ter a labio ad labium Calicis, dicit, ^a Pax Domini sit semper uobisum. Responso per ministrum, Et cum spiritu tuo particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto, ^b Hac commixtio & consecratio Corporis, &c. deinde pollices & indices super Calicem aliquantulum tergit & iungit, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, surgit, & stans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili uoce, ^c Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & dextra percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicit, miserere nobis; & deinde non iungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo, miserere nobis, quod & tertio facit, cum dicit, dona nobis pacem.

^t Seipsum cum ea signat.] Signabant faciem tantum cum Patena ligno Crucis, ait Innocentius III. lib. 6. cap. 1. alij signabant se, ait Durand. cap. 50. & hic ritus est congruentior a fronte ad pectus, signoque Crucis integro, ut declarauit sacra Rituum Congregatio die 13. Martij 1627.

^u Patenam ipsam osculatur.] Ita Ordo Romanus. ad ea tamen uerba, Da propitius pacem, quasi per osculum

huiusmodi pax a Deo petatur, ut et uerbis patet.

^x Reuenter frangit.] Habet Dunsyf. cap. 3. Ecclesiast. Hierarch. & ex latere dextro, Microl. cap. 17. & ad ea, Per eundem Dominum nostrum, ut in hac Rubrica. frangit autem super Calicem, ex Radulph. 23. ad cautelam, inquit Hugo Victorin. de Spec. obseru. Miss. lib. 2. cap. 39. & incipit a superiori parte Hostie, sicuti signum

signum Crucis incipit fieri ab eadem superiori parte.

y *Frangit particulam.*] Tradit *Microl. cap. 17.* Sed quaeritur, vnde praecidenda sit haec particula, a parte superiori, an ab inferiori dimidiata iam Hostiae? ex *Durando cap. 51. num. 7.* conijcio, quod a parte superiori: Ex *praemissarum duorum partium*, ait, in *Patena coniunctione*, post totam fractionem duo resultant quasi cornua in modum Luna, & illa versus Calicem; ergo de superiori parte fuit praecisa. Accedit expositio mystica Sergij Pape *cap. Triforme. de Consecr. Distinct. 2.* qui in oblata in Calicem missa, corpus Christi, quod resurrexit, designari docet; ergo in parte oblata superiori & nobiliori est designanda: in parte comesta, Christum ambulantiem super terram, & est pars deposita cum dextera manu: in parte altera, quae referuabatur, ad finem mundi in sepulchris membra Christi quiescentia. Haec ille. Docent denique aperte, a summo Hostiae praecidendam eam esse; *Crassus lib. 2. cap. 4.* & *Petrus Ruz in suo Cerimoniali.* Sed ex Ordine Romano praecidi debet de imo Hostiae. Quae, Pontifex, de ipsa sancta (in duas partes iam diuisa) quam momorderat (fumendo superiorem partem) ponit in Calicem, id est, partem inferiorem Hostiae, faciens Crucem ter, dicendo: *Fiat commixtio, &c.* Haec ibi.

2 *Ter a labio.*] De trina Cruce, & cum verbis *Pax Domini*, mentio

expressa habetur apud *Microl. cap. 17.*

a *Pax Domini, &c.*] Pacis annuntiatio indicatur a *Dionys. cap. 3. Eccles. Hierar. & a sancto Clemente lib. 8. Constitut. Apost. cap. 18.* cui omnis populus respondebat, *Et cum spiritu suo.* Ambrosio tribuit *Hugo Vict. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 11.* Innocentio I. *Gemma lib. 1. cap. 90.* Rabanus autem *lib. 1. in Additione*, tradit, cum particula tangi quatuor latera Calicis; sed vltus obtinuit, quod a labio ad labium fiant Cruces sine tactu.

b *Hec commixtio.*] Habetur in Ordine Romano, & *Microl. cap. 18. & 23.*

c *Agnus Dei.*] Dicitur in *Liturgia sancti Petri* *et.* eandemque in Missa post Defunctorum memoriam precationem haurit *Duran. lib. 2. cap. 53.* ex *Concil. Nicano.* Fortasse statuit *Sergius*, quem omnes faciunt auctorem; vt, sicuti in *Liturgia sancti Petri* semel dicebatur, ita deinde ter diceretur, vel vt a Clero & populo cantaretur, vt ait *Baron. anno 701.* putat *Ino Carnot. Sermone de Conuen. nomi & veteris Sacrosancti*, propter trinam portionem Hostiae, ter dici.

In fine dicebatur ter, *Miserere nobis*, vt hodie quoque in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis Romae, ex *Albert. de Offic. Missae; & Durandus testatur cap. 52.* postea vero, ex *Innocent. III. lib. 6. cap. 4.* irruentibus varijs persecutionibus coepit vbique ferè dici ter, *Dona nobis pacem.* quod tamen *Ang. Rocca lib. 1. de Campan. cap. 18.* tribuit *Ioanni XXII.*

3 *Tunc manibus iunctis super Altare positus, oculisq. ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto, & Domine Iesu Christe, &c. Qua Oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, & in-stamentum pacis ei porrectum a ministro iuxta ipsum ad dextram,*

hoc est, in cornu Epistolæ genuflexo, & dicit, ^f Pax tecum. Minister respondet, Et cum spiritu tuo. Si non adsit, qui huiusmodi instrumento pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiam si illius datio Missæ conueniat: nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subiungit alias Orationes, ut in Ordine Missæ.

d Domine Iesu Christe.] Hæc Oratio pro pace non est apud antiquos. Durand. eam obiter indicat cap. 53, sed habetur in Missali M. S. Vaticano vol. 4743. cum duabus sequentibus.

e Daturus pacem, osculatur, &c.] Refert Durand. ibid. de quibusdam, alijs osculantibus Hostiam, alijs Calicem, alijs Altare; quasi à Christo pacem alijs dandam accipiant prius, & per pacem fiat præparatio ad Communionem & susceptionem Sacramenti unitatis & pacis, ex S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 4. in corp. quod indicat etiam Dionys. cap. 3. Ecclesiast. Hierarch.

Tabellam verò sacram ad osculum pacis asserit ita dictam, & inductam in usum Baron. anno 45. num. 26. tamquam cautelam contra fraudes, quæ arte diaboli inter se inuicem osculantes irreperant. Per osculum autem datur pax, ex instituto Apostolico; vnde Paul. Rom. 16. 1. Corinth. 16. Salutate vos inuicem in osculo sancto. Verùm hoc loco dari pacem, quamuis Berno de Offic. Missæ cap. 25. Decreto S. Leonis II. factum esse censeat; tamen alij numero plures Innocentio I. id tribuunt, ex Epistola 1. eiusdem cap. 1. ad Decentium, de Consecrat. Distinct. 2.

Pacem. nam idem asserunt Amalar. lib. 3. cap. 32. Valafriid. cap. 22. Macrolog. cap. 18. Et cum cessasset Communio populi quotidiana in Missa, vice Communionis Sacramentalis osculum pacis institutum est, ait Innoc. III. lib. 6. cap. 5. sumpto exemplo à Christo, qui in cæna vltima meminit pacis, Pacem meam do vobis, Ioan. 14. quod notauit Wald. Tomo 3. tit. 4. cap. 41. fufius de hac pace agit Albaspin. de Vet. Eccl. rit. lib. 1. Obseruat. 17.

f Pax tecum.] Tradit Ordo Romanus. sed ex August. Sermone 83. de Diuers. Baronius haurit, anno 45. numero 25. Minister autem daturus pacem genuflexit ad dextram Celebrantis, & dicto tertio Agnus Dei, porrigit instrumentum osculandum eidem Celebranti; tum facta genuflexione accedit ad Prælatum, & alios, quibus idem instrumentum porrigit, facta tantum reuerentia post pacem datam vnicuique. Velum quoque adhibebit colori Missæ cõueniens, quo qualibet vice terget illud, antequam alter osculetur, si plures sint Prælati, alias non tergat, nisi Prælatis. Neque verò danda est pax hoc loco cuiquamque, sed personæ, seu personis valdè insignibus.

4. Si verò celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad Agnus Dei, quia dicit, ^g Dona eis requiem, ^h nec dicit primam Orationem, Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. ⁱ non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes Orationes, ^l Domine Iesu Christe fili Dei viui, & ^m Perceptio Corporis tui. Quibus Orationibus dictis, genuflexens

flectens Sacramentum adorat, & se erigens dicit secreto, ⁿ Panem caelestem accipiam, &c. quo dicto, dextra manu accipit de Patena reuerenter ambas partes Hostia, & collocat inter pollicem & indicem sinistrae manus, quibus Patenam inter eundem indicem & medium digitos supponit, & eadem manu sinistra tenens partes huiusmodi super Patenam inter pectus & Calicem, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum eleuata, ^o Domine non sum dignus, & secreto prosequitur, ut intres, &c. Quibus tertio dictis, ex sinistra accipit ambas partes praedictas Hostia inter pollicem & indicem dextrae manus, & cum illa ^p supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites Patena, dicens, ^q Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam, Amen. & se inclinans, cubitis super Altare positus, ^r reuerenter easdem ambas partes sumit; quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, & erigens se iunctis indicibus & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, & aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde depositis manibus dicit secreto, ^s Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? & interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quae sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice & indice dextrae manus super Calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

g *Dona eis requiem.*] Habet Hugo Victor. de Spec. Missae lib. 3. c. 37. Quasi inquit, magis Defunctorum quam nostri memores, indulgeri eidem Deum precamur, Alex. Alenf.

h *Nec dicit primam Orationem.*] Ita Durand. lib. 4. cap. 53. quia est de pace, quae non datur in Missa Defunctorum.

i *Non dat pacem.*] Scribit Amalar. lib. 3. cap. 44. & ante eum Alcuin. cap. de Exequijs mortuorum; quia, inquit, indicium est laetitiae, quod non conuenit Missae Defunctorum. Durand. loco proxime citato addit, quiescere iam defunctos in Domino, neque amplius

esse in turbatione hominum. Albaspinus de Vet. ritib. lib. 1. Obseru. 17. probabiliorem affert causam; quia, ait, mortuorum sacra priuata erant, non solemnia, ex Can. 4. Conc. Vafen. II. in solemnibus autem erat Communio populi, & ad eam per pacem praeparatio, quae cessabant in priuatis.

l *Domine Iesu Christe.*] Non ex Ord. Rom. sed ex religiosorum traditione dicitur, ut scribit Microt. cap. 18. & haec secunda Oratio dicitur semper cum sua conclusione. non enim haec res Orationes comprehenduntur sub lege Collectarum, de qua supra par. 1. tit. 7. num. 7. ut in antiquis Missalibus patet.

m *Peraeptio Corporis tui.*] Nullum auctorem hucusque inueni, qui hanc Orationem indicet. eam legi in citato *Missali Vari.* 4743.

n *Panem caelestem accipiam.*] Habet *Durand.* cap. 54.

o *Domine non sum dignus.*] Teste *Origen. Homil. 5. in Divers.* erat commune omnibus communicaturis. antiquissimus ergo est ritus.

p *Supra Patenam signat seipsum.*] Docet *Durand.* cap. 54. cupiens se sanctificari, inquit, sicut & Cruce sanctificata fuit Hostia à Sacerdote. Neque in hoc casu moueat Patenam, sed Hostiam tantum, ita tamen, vt non egrediatur limites Patenæ, ne fragmenta cadant extra illam.

q *Corpus Domini nostri, &c.*] Habetur in lib. 8. *Constit. Apostolicarum*

cap. 13. & lib. *Sacrament. S. Greg.* 1 *Reuerenter sumit.*] Tenetur Sacerdos sumere, ex *Can. 8. Apost. & lib. 8. Constit. Apost. cap. 20.* quia est Sacrificium, vt ait *S. Thom. 3. par. quest. 82. artic. 4.* lege *Duran. lib. 2. cap. 55.* & tenetur præcisè hoc loco sumere, ex *Conc. Toletan. XII. cap. 5.* & habetur de *Cons. d. 2. Relatum.* Cubitos autem teneat Sacerdos, dum communicat, super Altare, sicut etiam in consecratione; vt initio solido respondeat finis Sacrificij, qui fit in consumptione; item, vt intra aram fiat & consecratio & consumptio Sacrificij; quod plene præstatur eo cubitorum situ.

(*Quid retribuam Domino.*] Leguntur hi versus apud *Durand.* cap. 54. reliqua sunt necessaria, & valde congrua, vt patet.

5 Si verò adsint Hostie consecratae super Corporale posita^a pro alio tempore conseruanda, facta prius genuflexione reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter aduertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale: quod si fuerit, accuratè reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ, iunctis pollicibus & indicibus Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens, Calicem salutaris, &c. & signans se^u signo Crucis cum Calice, dicit, Sanguis Domini nostri, &c. & manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reuerenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita. Quibus sumptis dicit secreto, ^x Quod ore sumpsimus, &c. & super Altare porrigit Calicem ministro in cornu Epistola, quo ^y vinum fundente, se purificat: deinde ^z vino & aqua abluit pollices & indices super Calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens, ^a Corpus tuum Domine quod sumpsimus, &c. abluitionem sumit, & extergit os & Calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit super Calicem, & desuper Patenam, ac super Patenam paruum pallam; & ^b plicato Corporali, quod reponit in bursam, cooperit Calicem velo, & bursam desuper ponit, & collocat in medio Altaris, ^c vt in principio Missæ.

t. *Pro alio tempore conseruanda.*] Vetus-
tissima consuetudo est, vt propter
infirmorum Communionem, necnon
ob alias causas, Eucharistia asseruetur
in arcula, seu pyxide, *Clem. lib. 8. Const.*
Apost. cap. 13. & *Leo Papa ad Mi-*
chaëlem Imperat. lege Durand. lib. 1.
de Rit. cap. 16. quæ tamen erit mutan-
da de septimo in septimum diem, vt
loquar cum *Synodo Turon. IV. cap. 4.*
De sacrificio verò nihil remanere de-
bet, ait *sanctus Bonauentura 4. di-*
stinct. 12. artic. 1. quest. 3.

u. *Signo Crucis cum Calice.*] Dextra
tantum manu eum moueat, sinistra
Patenam tenens, quam non supponit
Calici, nisi cum eum sumit. De signo
Crucis cum Calice mentio est apud
Durandum cap. 54. sed non de verbis,
Sanguis, &c. reuerenter autem sumit
totum, ter ori admouens Calicem, ait
Durand. ibid. semel, ait *Crassus cum*
Castaldo in sua praxi: sed illud est vsi-
tatius, & ad consumendam speciem
reuerenter aptius. Ille verò modus lo-
quendi, *Accipit infra nodum cuppa*,
non significat aliud diuersum ab eo
quod supra alijs verbis dicitur, *tit. 7.*
num. 5. Tenens nodum infra cuppam,
quod *titulo 8. num. 7.* repetitur. sen-
sus enim est: *Accipit nodum cuppæ*
qui est infra. Neque maior est ratio,
vt diuersimodè capiatur Calix in præ-
dictis casibus; imò ad sumendum
Calicem, tutius & commodius tene-
tur nodus Calicis, minùs tutè inter
nodum & pedem illius. *Burchardus*
autem varia phrasi solet dicere, *vt in*
tit. 2. num. 2. & 4. & in tit. 3. num. 1.
ante infimum gradum Altaris, post infi-
num gradum, ad infimum gradum: hoc
est, in plano Cappellæ, item in genu-
flexionibus addit aliquando, *vsque ad*
terram in inclinationibus addit ali-

quando, *profundè*. At sensus auctoris
est, vt altera alteram Rubricam expli-
cet ex identitate actionis seu rationis,
ne igitur hæreas in verbis.

Queritur: An Sacerdos sumens San-
guinem sub altera specie vini plus gra-
tiæ recipiat. Negat *Bellarmin. lib. 4. de*
Euchar. cap. 23. & est communior sen-
tentia. concedit tamen *Suar. disp. 63.*
sect. 4. 5. & 7. cum alijs, posse recipi
maiorè gratiam, si in continuanda
sumptione plures deuotionis actus eli-
ciantur, quod valet etiam in sumptio-
ne particularum quæ supersunt, & à
Celebrante sumuntur, quia ad idem
Sacrificium spectant. Addit præterea
Henriq. cap. 43. num. 3. cum ijs, qui
volunt totum effectum Sacramenti
produci per summptionem primæ spe-
ciei, imò etiam primæ partis speciei
(per summptionem autem intellige de-
glutitionem, *cum Soto distinct. 11.*
quest. 2. artic. 1. & est communis; tunc
enim manducasti) dato casu, quòd su-
mat Hostia à Sacerdote in peccato
mortali, deinde pœniteat, & contritus
sumat Calicem; ex hac summptione Ca-
licis, aiunt, quòd nihil ille Sacramen-
talis effectus sit percepturus. docet
oppositum *Casiet. 3. par. quest. 79. ar-*
tic. 1. quem sequitur Suarez, loco citato.
qua in re sententiam tutiorem tu se-
quere; & à peccato caue.

x. *Quod ore sumpsimus.*] Habet *Ord.*
Rom. & Microl. cap. 19.

y. *Vinum fundente.*] Minister defe-
ret ad Altare in cornu Epistolæ ampul-
las in pellicula, quas ministrabit cum
osculis & reuerentijs debitis; & in fi-
ne, relatis ijsdem ad locum suum, ex-
stinguet Cereum pro eleuatione accen-
sum, vt habetur supra *tit. 8. num. 6.*

Vino autem fit purificatio, ex *Inno-*
cent. III. de Celebrat. Missarum cap.

Ex parte. Deceret autem, ut vinum pro purificatione Calicis infusum esset eiusdem saltem quantitatis, qua fuerunt primæ species Sanguinis; alioquin Sacerdos illud saltem intra Calicem circumagat, ut absumantur species; neque extra Altare demittat Calicem, neque digitis labia Calicis seu oris sui detergat, neque digitos lambat. Pius V. in Epistola ad Archiepisc. Taraconen. data die 8. Ianuarij 1571. & relata à Vincentio Sorriano par. 1. monet de prædicta vini ad purificationem adhibenda quantitate; & addit præterea, quòd sumatur ablutio per eandem partem Calicis, per quam Sanguis Christi haustus est. Mirare, quæso, sanctissimi Pontificis, etiam in minimis, diligentiam. Purificationem verò, de qua hoc loco, vocat Perfusionem Innocent. III. lib. 6. c. 8. in eadem notat Durandus cap. 54. Calicem esse bis tantum admouendum ori, non ultra: nam verè stomachum astantibus mouet, pluries quàm ter Sanguinem, & bis purificationem de Calice fugere.

Quid verò, si Celebrans vouisset non bibere vinum? poterit tamen hoc loco vino uti, quia hic virget Ecclesiæ præceptum, Azor. lib. 11. cap. 10. quæst. 7. nec abstemij debent sine vino

purificare Calicem Papa inconsulto, ex Romana praxi.

z *Vino & aqua abluat, &c.*] Vino digitos perfundi scribit S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 5. ad 10. aqua post vinum efficit etiam, ne purificatorium maculas vini nimium contrahat, & modestiam significat, seu humilitatem, ex Innocent. III. lib. 6. cap. 8. non tamen sumebatur hæc ablutio, sed in locum mundum proieciatur, ex Durand. cap. 55. lib. 4. Vtramque nunc ablutionem sumit Sacerdos, & in medio Altaris. curet autem, ne, dum digitos purificatorio tergit, Corporale commaculet, gutta cadente è digitis, & ideo deponat Calicem extra Corporale, donec digitos absterferit.

a *Corpus tuum Domine.*] Meminit Durand. lib. 6. cap. 77.

b *Plicato Corporali.*] Ita Ordo Romanus, & Honor. in Gemma libro 2. cap. 65. Calicem autem, dum plicat Corporale, collocat Sacerdos versus cornu Epistolæ, ut commodius bursum accipiat, quæ est in cornu Evangelij.

c *Vt in principio Missæ.*] Velum ergo velabit Calicem totum in anteriori parte, sicut initio Missæ: quod non caret mysterio, ut dicemus in Expositione mystica Missæ num. 11.

6 Si qui sunt ^d communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in pyxide, vel, si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi à principio posita fuerint in pyxide, seu alio Calice. Interim minister ante eos ^e extendit linteum, seu velum album, & pro eis facit Confessionem, dicens, ^f Confiteor Deo, &c. Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus iunctis vertens se ad populum in cornu Evangelij, dicit, Misereatur vestri, & Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, &c. & manu dextra facit signum Crucis super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistra pyxidem seu

seu Patenam cum Sacramento, dextra verò sumit unam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantum eleuatam super pyxidem seu Patenam, & conuersus ad communicandos in medio Altaris dicit: *g* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Deinde dicit: *h* Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Quibus verbis tertio repetitus, accedit ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistole, & unicuique *i* porrigit Sacramentum, faciens *l* cum eo signum Crucis super pyxidem, vel Patenam, & *m* simul dicens: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam, Amen. Omnibus communicatis reuertitur ad Altare, nihil dicens: & *n* non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si particule posite erant super Corporale, extergit illud cū Patena, & si qua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto: Quod ore sumpsimus Domine, &c. & se purificat, dicens: Corpus tuum Domine quod sumpsimus. & alia facit vt supra. Minister autem dextra manu *o* tenens vas cum vino & aqua, sinistra verò mappulam, aliquantò post Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abstergendum.

d Communicandi.] Regulariter hoc loco facienda est Communio, *Amal. Pref. 2. ad lib. de Eccles. Offic. & VValafr. c. 22.* sed hodie, quia plurimi exoptant finem Missæ, & eos tædet expectare alios vt communicent, præsertim si multi sint communicandi, differri solet Communio vsque ad peractâ Missam. Tolerandū videtur, si multi communicent, non autem, si pauci: & ij fortasse priuantur fructu Orationum earum quæ post Communionem dicuntur, vt notat *Microlog. cap. 19.* Ante has Orationes, inquit, communicare non negligant, quicumque earumdem Orationum benedictione foueri desiderant.

Quilibet autem Sacerdos communicare potest, in Missa alios, excepto die Paschatis, quo neque possunt Regulares; & illud placet *Navarro cap. 21. num. 52. in Man. fauet Tridentinum Conc. quod in Missis singulis optat*

stantium Communionem. cuius rei gratia quidam paulò ante Communionem pulsant campanulâ, sed nulla fit auctoritate Maiorum. Celebras autem post sumptionem Sanguinis Calicem palla tegat, antequam alios communicet.

e Extendit linteum.] In linteis nitidis accipiebant laici Eucharistiam, maximè mulieres, *ex Aug. Serm. 252. de Tempore*, vbi appellatur linteolum, & linteamen. Dominicale vocabatur hoc linteum, *ex Baron. anno 57. numero 148. de quo est decretum in Conc. Antisiodor. can. 42. vocat Ordo Romanus Sindonem mundam.*

f Confiteor.] Antiquiores nihil de his in hoc loco: sed maximè congrunt desumpta ex confessione ante Missam. Et sicut in Missa vno tantum præsentente dicitur, *Misereatur vestri*; ita etiam vno tantum communicaturo dici debet, *vestri, vestris*; quæ cadunt præ-

præterea super alios præsentis Communione spiritali communicaturos.

g. *Ecce Agnus Dei, &c.*] Sumptum est ex Euangelio Ioan. cap. 1. & quadrat ad rem, præsertim cum paulò antè fuerit dictum ter *Agnus Dei*: sed ritus non est antiquus. Tenet autem Celebrans particulam duobus digitis paululum eleuatam supra Patenam, seu Pyxidem, ita tamen, ut dextra manus adhareat Patene, seu Pyxidi, neque nimium eleuetur particula super Pyxidem.

h. *Domine non sum dignus, &c.*] Eodem modo fuit additum, ut supra, ex *Origene*, exemplo Celebrantis: & dicitur à Sacerdote totum integrè clara voce, & semper in genere masculino. Quare ritus ille apud quosdam Moniales, quæ dicunt, tacente Sacerdote, *Domine non sum digna*, continet errata duo. Alterum, quòd à Sacerdote non dicitur, contra hanc Rubricam; alterum, quòd mutantur verba à Centurione accepta, & à Rubrica non mutata, contra Bullas Pij V. & Pauli V. qui prohibent mutationem in Missali, & Rituali Romano, in quo expressè dici iubetur pro feminis quoque, *Domine non sum dignus*.

i. *Porrigit Sacramentum.*] Per particulam danda est Communio: non autem cuiusque de populo danda videntur partes illius Hostiæ, quæ fortè referatur post Orationem quadraginta Horarum; quod etiam vetuit sanctus Carolus in *Synodo Diœces. XI.* quia rudiores rotundam potius volunt particulam, alioquin facile patiuntur scandalum: imò *ibidem* iussit, à solo Sacerdote prædictam Hostiam sumi, quod melius esset, post Calicis sumpcionem. In *Ordine Romano* Subdiaconi, & his inferiores, ore, non manu, accipiebant à Celebrante Com-

munionem. Et Concilium Rhotomagensè *can. 2. apud Burchard. lib. 3. cap. 76.* iussit, ut Eucharistia non mittatur à Sacerdote, qui verò communicant, manus in Crucis formam componere debent, ex *Synodo 6. in Trullo can. 102.* In singulis Dominicis, ex *Augustino Epist. 118. ad Iannarium*, vel tertia Dominica (quod nota pro Societatibus sanctissimi Sacramenti) vel summis festiuitatibus, vel ter in anno saltem, ex *Decreto Fabiani Pape apud Iuon. par. 2. cap. 27.* communicabant, *Gemma lib. 1. cap. 66.* Initio enim laici omnes in singulis Missis communicabant, *Dionys. cap. 3. Eccles. Hierar. & optat*, ut diximus, fieri quoque nunc temporis Concilium Tridentinum, *Sess. 22. cap. 6.*

l. *Cum eo signum Crucis.*] Eo modo quo supra signauit se ipsum Sacerdos, *S. Thom. Opusc. 65. cap. 4.*

m. *Simul dicens: Corpus, &c.*] Dicuntur hæc verba in distributione Eucharistiæ, teste *Alcino de Sabbato sancto.* asserit *Microlog. cap. 18.* dici ex religiosa traditione: sed habentur apud *Ioan. Diac. in Vita sancti Gregorij, & in Concilio Rhotomagen. cap. 2.*

n. *Non dat eis benedictionem.*] Neque etiam in Missis Defunctorum, contra quosdam, qui loquuntur gratis. Sed neque in his Missis distribuenda esset Eucharistia, ut docet *Albasp. de Vet. rit. lib. 1. obseru. 14.*

o. Si in fundo Calicis vitæ vini species adhuc reperiantur, sumi poterunt ante vini infusionem in Calicem. & est ritus congruentior.

p. *Tenens vas cum vino & aqua.*] Creditur Christus consecrasse Calicem mixtum vino & aqua, iuxta regulas modestiæ in mensa, & ex *Triden-*

tina sessione 22. cap. 7. vnde & in Calicem infundimus aquam. Chryso-
stomus autem iussit aquam aut pastillum
degustari post Communionem. In Ec-
clesia Occidentali antiquus erat mos
vini aqua mixti, aut aquæ puræ, ad pu-
rificationem. lege *Baronium* anno 403.
Fit autem hæc ablutio oris ad deglu-

tiendam facilius particulam, & ad
humilitatē significandam, vt de ablu-
tione digitorum supra *ex Innoc. III.*
retulimus, quasi memorent commu-
nicati suam indignitatem. item, ne
cum saliuæ aut pituita quidquam Sa-
cramenti excreetur, *ex Palladio in Vi-
ta sancti Ioan. Chrysof.*

7 *Si in Altari remaneant particule in Calice, seu in alio vase vsque ad
finem Missæ, seruentur ea p̄ quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præ-
scribuntur circa finem Missæ.*

p̄ *Quæ in Feria quinta.*] Hoc est,
genusflectat Sacerdos quancumque
accedit vel recedit à medio, vel transit
ante Sacramentum in vase reserua-
tum: & cum dicit, *Dominus vobiscum*,
non vertit se ad populum in medio
Altaris, sed paulò prope cornu Euan-
gelij, ne terga vertat Sacramento; & in
fine ibidem dabit benedictionem, non
perficiens circulum: qui neque fit ad
Orate fratres in Parasceue; ergo ne-
que hoc loco eadem de causa. Calix
quoque in hoc casu non erit collo-
candus in medio Altaris, sed à late-
re Euangelij; neque plicabitur Cor-
porale, nisi reposito Sacramento in lo-
cum suum post Missam. Denique,
cum dicit Euangelium sancti Ioannis
in fine Missæ, non signabit Altare, sed
se ipsum tantum, vt Feria quinta in
Cœna Domini suo loco dicemus.

Quid verò agendum sit à Sacerdo-
te, quando fragmenta supersunt, seu

paucæ particule, peracta populi Com-
munionem, dicemus infra, *cum de defe-
ctibus Missæ*, tit. 7. num. 2.

Accidit etiam, quòd purificanda
fit Pyxis intra Missam (qua de re nul-
libi agitur in Ritualibus libris) & eo
casu purificabitur illa ante Calicis
purificationem, collectis nimirum in
eius fundo fragmentis omnibus dili-
gentissimè cum indice dextræ manus;
& cum eodem indice sumi poterunt,
admoto eodem linguæ, vel ad labium
Pyxidis fragmentis deductis, & ore
eidem admoto, ita vt nullum rema-
neat fragmentum. Deinde infundi
potest paululum vini; quo circumactò
intra Pyxidem, & tergente indice, to-
ta pars interior abstergetur; quo hau-
sto, exiccabitur Pyxis interior vnde-
quaque purificatorio. Non debet dein-
de vacua Pyxis tegi velo, sed panno li-
neo. Denique fiunt reliqua de more
pro Calicis purificatione.

8 *In Missa solemnè Diaconus stans retrò post Celebrantem, cum in Ora-
tione Dominica dicitur, Et dimitte nobis debita nostræ, facta ibidem
genusflexione, vadit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus circa
finem Orationis Dominica, facta item genusflexione reuertitur ad
Altare, & stans in cornu Epistole porrigit ꝑ Patenam Diacono, qui
eam discooperit, & purificatorio abstergens dat Celebranti, illius*

Y

manum

manum osculando, & quando opus est, ¹ discooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, & deposito velo quod ab humeris eius pendeat, genuflectit, & descendit retrò post Celebrantem: & cum dicitur, Pax Domini, iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, & simul ^l dicunt, Agnus Dei: deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus verò à dextris genuflexus expectat pacem, & cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, & à Celebrante dicente, Pax tecum, ¹ complexus accipit pacem, ^u sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & ei respondet, Et cum spiritu tuo. Postea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retrò post Celebrantem, & similiter dat ei pacem. ^x Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & ^y dat pacem primo cuiusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, & reuersus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitauerat, qui & alijs Acolythis circa Altare dat pacem: deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, ² accipit ampullam vini, & infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum Celebrans se communicat, ² stant ipse & Subdiaconus profunde inclinati versus Altare.

q Patenam Diacono.] Dant Patenam per manus in manum Celebrantis, Innoc. III. lib. 6. cap. 1. apparet in Ord. Rom. aliquod vestigium huius ritus, sed per plures manus Patena transibat quàm per duas.

r Discooperit, & cooperit.] Ita Innocen. III. ibid. cap. 2. Diaconi enim est ministerium circa Calicem. Sufficiunt autem reuerentiæ cum genuflexione in Rubrica præscriptæ.

l Dicunt, Agnus Dei.] Percutiunt Ministri sibi pectora cum Celebrante, non tamen sinistra posita cum eo super Altare, sed infra pectus eidem pectori admota.

1 Complexus accipit pacem.] De complexu ad pacem dandam Chryf.

Hom. 51. ad Pop. Antioch. Alter alterum amplectitur, inquit, vt vnum multi fiamus.

u Sinistris genis.] Habetur in Carim. Episc. lib. 1. cap. 24. Durandus tradit ad dextram Celebrantis recipi pacem à Diacono, quod & nos obseruamus. A dextris, inquit hæc Rubrica, genuflexus expectat pacem, non autem dextris genis. Per genas sinistras significatur dari pacem è corde, quod ad sinistram vergit; & quod in aduersis etiam cum proximo pax habeatur.

x Subdiaconus accepta pace, &c.] Diaconus dat pacem Subdiacono, & hic alijs eidem quos Diaconus incensauit, Hugo Victorin. de Spec. Miss. obseru. lib. 2. cap. 4. & præterea

terea Acolycho comitanti inclusiue.
 y *Dat pacem primo.*] Qui dat pacem, nemini inclinatur cui dat pacem, nisi postquam dederit; qui accipit, inclinatur caput danti antè & postquam acceperit, ex *Carimon. Episc. supra.* Item, qui dat dicit, *Pax tecum;* qui recipit respondet, *Et cum spiritu tuo.* amplectunturque se inuicem, & appropinquant genas sinistras, vt dictum est de Celebrante, & Diacono. In vnoquoque deinde ordine primus dat pacem alteri subsequenti, & ille alteri, & sic deinceps vsque ad vltimum eiusdem ordinis, non præmissis inuocationibus, quæ in incensatione tantum fiunt.

Laicis verò datur per instrumentum, de quo supra *num. 3.* osculatum ab eo qui pacem à Celebrante immediatè accepit, in eodem *Carim. Episc.* & vt ibidem dicitur, non nisi stanti pax datur, scilicet cui per osculum datur.

Ordo verò dandi pacem est idem quide incensatione dictus est supra: sed per instrumentum datur laicis singulis, per osculum primo cuiusque ordinis; à Subdiacono illis laicis quos Diaconus incensauit, ab Acolycho laicis alijs. numquam verò à Diacono alicui datur, neque Domino loci, ex Decreto sacre Rituum Congregationis 5. Iulij 1614. neque datur vniquam

cum Patena, vice Tabellæ, seu instrumenti; quam Patenam prohibuit Pius V. in *Epistola ad Archiepiscop. Tarraconen. supra citata, num. 5.*

z *Accipit ampullam vini.*] Vt pro ablutione digitorum in Missa priuata dictum est; neque omittat Subdiaconus osculationes & reuerentias debitas in ministrandis ampullis Celebranti.

a *Stant.*] Si tamen Subdiaconus redierit, quem non debet expectare Celebrans: & eo casu inclinatur stant à verbis, *Domine non sum dignus,* manibus iuhentis ante pectus. Acolythorum alter deferret sine genuflexione ampullas ad Altare cum peluicula, quas porriget sine osculis Subdiacono, & referet ad Credentiam; alter portabit velum paruum de Credentia ad Altare in cornu Euangelij, vt Subdiaconus eo deinde tegat Calicem, vt infra. Si non redierit Subdiaconus, suppleat Acolythus in ministrandis ampullis pro Calicis purificatione: quamuis in meditatione sanctissimi Sacramenti eam poterit Celebrans adhibere moram, qua Subdiaconus ministrare queat ampullas.

Non lauat manus Celebrans, nisi sit Episcopus.

Si adsint ministri cum intorticijs, peracta Communionem populi discedant, & ea extinguant.

9 In Missa Pontificali, Assistens accipit & defert pacem, vt ^b in Pontificali habetur. Si in Missa solemnè fiat Communio, omnia seruentur vt supra, sed prius communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem: & Diaconus purificationem eis ministret. Interim à Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur ^d Communio.

Vide *Carimon. Episc. lib. 1. c. 24.* Sed quid, si detur Assistens paratus Celebranti? h. accipiet pacem à Celebrante,

& dabit Clero, Diaconus recipiet ante Clerum ab eodem Assistente, & dabit Subdiacono, vt ait *Cyassius lib. 1. c. 50.*

Y 2

b In

b *In Pontificali.*] Hoc est, *Carimon.* Episc. vt aliàs notatum est.

c *Fiat Communio.*] Diaconus, coperto Calice cum Palla, eoque posito paulò vltra medium Corporalis, intra Aram tamen, versus cornu Euangelij, collocat in medio Corporalis Pyxidem. quòd si ea extrahenda sit de Tabernaculo, idem ipse extrahat cum genuflexionibus, antequam extrahat; & postquã extraxerit, genuflexo interim Celebrante, & alijs circa Altare. Diaconus in cornu Epistolæ stans, profundè tamen inclinatus, dicit alta voce, *Confiteor*, manibus iunctis. Celebrans, postquam Diaconus Pyxidem discooperuerit, stat in medio Altaris facie versa ad Diaconũ; Subdiaconus item post Celebrantem stabit; qui, dicto *Confiteor*, eodem loco stans dicit, *Miserereatur*, & *Indulgentiam*, prope medium Altaris, facie item versa ad Diaconum, qui respondebit, *Amen*. Acolythi interea ante medium Altaris in superiori gradu extendunt linteum mundum genuflexi, facie sibi inuicem versa: Diacono verò & Subdiacono ante linteum genuflexis, Celebrans cum debitis genuflexionibus eos communicat, præmissis verbis, *Ecco Agnus Dei*, &c. *Domine non sum dignus*, cum reliquis carimonijs, de quibus supra num. 6. est dictum.

Qui verò gestant intorticia, substituant sibi alios, donec communicent, neque accedant cum intorticijs ad Celebrantem pro Communione.

Dum alios Celebrans communicat, Subdiaconus stat à sinistris Celebrantis, Diaconus in cornu Epistolæ purificationem cum Calice ministrat, ijs scilicet qui de Clero sunt, non laicis, quibus purificationem dabit alter de Clero cum alio vase aut vini, aut aque. Diaconus autem eo casu ad dextram Celebrantis accedit. Neque ministri Patenam teneant sub mento communicantium, quod ad Episcopalem attinet maiestatem.

Sacerdotes cum Stola de collo pendente communicant, ex *Concil. Braccar. III. can. 3.* ante Altare quoque vna cum Leuitis & Clero, laici verò extra Chorum, ex *Concil. Tolet. IV. c. 17.* à quo semper excluduntur, lib. 2. *Apost. Constit. cap. 57.* vt ostendatur honos Cleri à laicis distinctus; & vt Clerus inferuiat diuinis liberius, ait *Carol. Nonar. Episcopus.*

Facta Communione cum debitis reuerentijs, Diaconus operit Pyxidem, & reponit in locum suum, genuflexo interim Celebrante, & post eum Subdiacono: quibus deinde surgentibus, & reposito Calice in medio Altaris, detectoque, fiunt alia pro purificatione Celebrantis quæ supra sunt dicta.

d *Communio.*] Vide quæ habentur supra par. 1. tit. 13. num. 1. pag. 45.

Quòd si remaneat Sacramentum in Altari, Ministri obseruent, & Diaconus præsertim dicturus *Ite missa est*, quæ supra Celebranti sunt præscripta num. 7.

De Communione, & Orationibus post Communionem dicendis. XI.

1 Celebrante purificato, dũ Calicem collocat in Altari, e liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur vt in Introitu. Ipse autem minister genuflectit iuxta cornu Euangelij, v. in principio

cipio Missæ. Deinde Celebrans stans iunctis manibus legit Antiphonam qua dicitur Communio: qua lecta, iunctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo osculato, vertit se ad populum à manu sinistra ad dextram, & dicit, Dominus vobiscum, & per eandem viam redit ad librum, & dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero, & ordine, ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis, f claudit librum, & iungens manus ante pectus, reuertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, & dicit ut supra, g Dominus vobiscum. Quo dicto, stans iunctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est, h Ite missa est, & per eandem viam reuertitur ad Altare. Si verò non sit dicendum, dicto Dominus vobiscum, reuertitur eodem modo per eandem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, iunctis ante pectus manibus dicit, i Benedicamus Domino. In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit, l Requiescant in pace.

e Liber Missalis defertur, &c.] Ibi finitur Missa, ubi nimirum est cepta, ait Amalar. lib. 3. cap. 36. aperte Ivo Carnot. Serm. de Conuention. veter. & noui Sacrif. initio, & in fine Sermon. Apertius docet hunc ritum Durand. lib. 4. cap. 57. Reliqua patere possunt ex dictis initio Missæ ut. 5. huius par. num. 1. pag. 120. & 121. ex Microl. cap. 19. qui meminit Orationum post Communionem.

f Claudit librum.] Manu dextra, ita ut pars libri clausa Calicem respiciat. Porro eius est claudere, cuius & aperire; aperuit autem initio librum Missalem idem Sacerdos.

2. In Quadragesima autè à Feria quarta Cinerum vsque ad Feriam quartam maioris Hebdomadæ, in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat Dominus vobiscum, stans in eodem loco ante librum dicit, Oremus, m Humiliate capita vestra Deo, caput inclinans, & extensis manibus subiungit eadem voce n Orationem super populum ibidem positam: qua finita osculatur Altare, & vertens se ad populum dicit, Dominus vobiscum, & alia ut supra.

g Dominus vobiscum.] Bis in fine Missæ dicitur Dominus vobiscum; quia cupit Ecclesia, ne discedentes ab Ecclesia longè fiant à Deo, Lopez lib. 2. cap. 19. §. 1.

h Ite missa est.] Dicitur versus populum, quia dimittitur, ex Microl. c. 46.

i Benedicamus Domino.] Dicitur versus Altare, ex eodem Microl. ibidè; quia ibi peculiari modo Dominus adest.

l Requiescant in pace.] Dicitur item versus Altare, quia sermo est de absentibus.

Quando, & cur dicatur, Ite missa est, & Benedicamus Domino, iam diximus supra ut. 13. par. 1. pag. 45.

m *Humiliate capita vestra Deo.*] Indicat *Amalar. lib. 3. cap. 37.* hæc dici hoc loco.

u *Orationem super populum.*] Appellat *Amalar. ibidem*, quasi alteram benedictionem; & idem habet *Micrologus cap. 51.* distribuebatur enim panis benedictus in fine Mis-

sæ; & quia hoc non licebat in Quadragesima ob ieiunium, pro pane dicta est alia Oratio super populum. ita *Honor. in Gemma libr. 1. cap. 61.*

Habentur autem in *Sacrament. Gregorij* hæc Orationes cum titulo, *Super populum.*

- 3 In Missa solemni o *Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retrò post Celebrantem: p Subdiaconus verò vadit ad cornu Euangelij, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena & palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bursam, & illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, q vel super Credentia ut prius: postea redit ad locum suum retrò post Diaconum: qui cum dicit, Ite missa est, cum Celebrante r vertit se ad populum; & in Quadragesima dicto per Celebrantem Oremus, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum, iunctis manibus l dicit ut supra, Humiliate, &c. quo dicto vertit se versus Altare à tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super populum.*

o *Diaconus defert librum.*] Cura libri Missalis spectat magis ad Diaconum quàm ad Subdiaconum, qui eiusdem tantùm curam habet in ordine ad Euangelium initio seu in fine Missæ legendum, siue à Celebrante, siue à Diacono: subminister enim est Euangelij ad sustinendum librum. inde fit, ut Diaconus solus libro assistat in reliquis, numquam Subdiaconus.

Defert autem cum genuflexione, quando transit ante medium Altaris, & clausum portat; quem deinde aperit, ubi legenda est *Communio.*

p *Subdiaconus verò vadit, &c.*] Cum debita genuflexione in medio Altaris, advertens, ut cedat superiori gradum Diacono transeunti. cetera facit ut in Rubrica.

q *Vel super Credentia ut prius.*] Amoveri vult tum Corporale, tum

Calicem de Altari *Durandus c. 54. & magis placet, ex tit. 7. supra num. 9.* imò verò etiam magis decet; neque traditur Calix Caritoniario, à quo neque comitatur in hoc casu Subdiaconus, qui tamen vadit & redit per brevioram viam, ut adsit ad Orationem post Diaconum in loco suo.

Celebrans dictis Orationibus non claudit librum, sicut à principio non aperuit; & qui apertum inuenit, apertum relinquit: quæ fiunt per ministros, ad maiorem solemniter Celebrantis dignitatem.

r *Vertit se ad populum.*] Ob rationem allatam supra *num. 1.* sed antequàm se vertat Diaconus, genuflexit versus Altare; & postquam dixerit, redeat eodem modo quo Celebrans, & vnà simul cum eo. Neque Celebrans dicere debet sub

ce,

ce, *Ite missa est.* quod quidam docuere. [*Dicit ut supra, Humiliate, &c.*] let, & debet, *Ite missa est*; quia populum alloquitur: sed in cornu Epistolæ, & sine genuflexione.

De benedictione in fine Missæ, & Euangelio sancti Ioannis. XII.

DICTO *Ite missa est, vel, Benedicamus Domino, ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans iunctis manibus super eo, & capite inclinato, dicit secreto, ^c Placeat tibi sancta Trinitas, &c. quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio ^u osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, eleuat ad calum oculos & manus, quas extendit, & iungit, caputq; Cruci inclinans, dicit voce intelligibili, ^x Benedicat vos omnipotens Deus, & iunctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum à sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, iunctisq; digitis, & manu sinistra infra pectus posita, ^y semel benedicit populo, dicens, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. *Re. Amen.* & ^z circulum perficiens accedit ad cornu Euangelij, ubi dicto, Dominus vobiscum, & *Re. Et cum spiritu tuo*, pollice dextro signans primum signo crucis Altare seu librum in principio Euangelij, deinde frontem, os, & pectus, dicit, *Initium sancti Euangelij secundum Ioannem, vel, Sequentia sancti Euangelij, ut dictum est in Rubricis generalibus, & Re. Gloria tibi Domine, iunctis manibus legit Euangelium, In principio, vel aliud, ut conuenit. Cum dicit, ^a Et Verbum caro factum est, genuflectit versus cornu Euangelij, & surgens prosequitur ut prius: quo finito, minister stans à parte Epistolæ respondet, Deo gratias.**

^t *Placeat tibi sancta Trinitas.* Hanc Orationem habet *Microl. cap. 22.* sed post datam benedictionem populo; qui ritus à *Durando cap. 59.* tamquam adhuc vilitatus commendatur. Sed noua Oratione decet prius petere à Deo efficaciam proximæ futuræ benedictionis; quod nos facimus.

^u *Osculatur.* Habet *Microl. c. 22.* osculum Altaris, sed ante *Placeat, Durandus* verò *cap. 59.* finito *Placeat.* Missa enim incipit ab osculo Altaris, & finire debet cum eodem osculo.

Decies igitur in Missa Sacerdos osculatur Altare, si pacem dat altan-

tibus; alioquin nouies. Quis non videat in hoc numero mysterium?

Item iungit manus super Altare septies, ut benè numeranti patet: & eleuat oculos in calum nouies, inclusa benedictione ad populum, de qua mox dicemus.

^x *Benedicat vos omnipotens Deus, &c.* Indicat *Liturgia citata S. Petri* hanc benedictionem. de eadem *Amalar. lib. 3. cap. 36.* viderur loqui, sed verè de Oratione post Communionem loquitur ille, quam collocat ante verbum *Ite missa est*; & sequenti capite vocat vltiorem vltimam benedictionem.

dictionem eam Orationem, quæ in Quadragesima dicitur super populum humiliatum Deo. *Microl.* autem *cap.* 22. apertè de hac benedictione populi enarrat, citato sancto Hieronymo ad Rusticum Narbonen. Episcopum, qui de Romana consuetudine testatur, quòd Sacerdos benedicat populo. vide citatos *Can. hac de re supra* 1. *part. tit.* 13. *num.* 2. *pag.* 46. Docet *Innocen. III. lib.* 6. *cap.* 14. per verbum oris & signum Crucis hanc fieri, tum in nomine Trinitatis. Tradit *Isid. lib.* 2. *de Eccles. Offic. cap.* 17. originem habere à Moysè *Num.* 6. Sic benedices populum meum, & benedicam illos: Benedicat te Dominus, &c. vbi trina est à Trinitate periodus benedictionis. Eleuatio denique manuum ad benedicendum habetur *Ecclesiastici* 50. *ex Iansenio ibid. m.*, & à Christo ascendente, *Luc. ult.*

y *Semel.*] Vnicum producit signum Crucis, semelque benedicitur, ad differentiam Episcopi, qui ter benedicir. Quòd si ante se & à tergo circumstantes habeat, puta Clerum in Choro, seu Moniales, & populum ante Altare; nihilominus tamen semel tantum benedicere debet, manu conuersa ad eos qui sunt ante Altare, intentione directà ad omnes. idemque fiat infra, quando Prælatus est in medio Cappellæ, vt tantum astantes à latere Euangelij actu benedicat.

Sacerdos igitur, qui inuitauit populum ad benedicendum Deo ijs verbis, *Benedicamus Domino*, vel certè prouocauit astantes ad agendas Deo gratias (quæ verba semper dicuntur nomine populi) optat, & precatur à Deo eidem populo benedici. Communis autem laicorū vltus est, vt ad hanc benedictionem manu sibi pingant Crucem à

fronte ad pectus; quòd laudatur à *Durando lib.* 5. *cap.* 2. & placet (quidquid alij dicant) vt initio & in fine Missæ eluceat signum Crucis, quòd in omni negotio est opportunum, *ex Cyrillo Ierosolymitano Catech.* 4.

z *Circulum persciens.*] Eo namque modo breuiori via transit ad illud cornu, in quo legitur vltimum Euangelium; quòd legitur iisdem ritibus quibus primum Euangelium post Epistolam, osculo excepto in fine; tum verò etiam omnes circumstantes integre benedicat hoc circulo.

a *Et Verbum caro factum est, genuflectit.*] Tum vt adoret Incarnationis mysterium; tum vt exemplo Filij Dei humiliet semetipsum. Vide *supra tit.* 13. *pag.* 46.

Si libro non vtatur Sacerdos, neque folio, in quo scriptum sit Euangelium sancti Ioannis, signet Altare, quòd vltimum fuisse apud eos qui hoc Euangelium in fine Missæ volebant legere, scribit *Durand. lib.* 4. *cap.* 24. Quòd si vtatur libro, aut folio, signet in eo initium Euangelij, & eo casu (præsertim si Euangelium est aliud à communi) Minister deferat librum cum cussino ad cornu Euangelij, dum Celebrans dicit, *Placeat*, eo planè modo quo dictum est de primo Euangelio. Dicitur in fine *Deo gratias*, vt actione gratiarum tamquam sigillo Liturgiæ sit obsignata, & ad differentiam primi Euangelij, quòd prædicationem Christi significat, vltimum autem Apostolorum prædicationem, *ex Rubr. in suo Cerimoniali.*

Non osculatur Sacerdos Euangelium, sicuti nec antè petit benedictionem, nec aliam solemnitatem adhibet: vnde etiam in Missa solemni secretò legitur, quòd adnotauit *Petrus Lopt.*

de Ritu Missæ, & rectè. Si vsus est libro, eum claudit manu dextra, ita ut pars aperta libri respiciat cornu Euangelij, non Calicem. Nullum autem est *mysterium in libro clauso; sed attenditur tantum decentior gestus claudentis dextræ, tam in hoc loco quàm in superiori, ante benedictionem.*

2. *Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans ut erat, benedicit populo, ut supra, in medio Altaris: deinde accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium sancti Ioannis.*

Quando nempe altare est ad Orientem versus populum. de quo supra tit. 5. num. 3.

3. *Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, b & Legato Sedis Apostolica, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in prouincia, ciuitate, vel diœcesi sua existente, Celebrans dicto Placeat tibi sancta Trinitas, &c. dicit, Benedicat vos omnipotens Deus, & conuertens se ad Summum Pontificem genusexus, ad Cardinalem verò, & Legatum, vel alium ex supradictis Prælati, capite inclinato c quasi licentiam benedicendi petens prosequitur, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, benedicens astantes à parte ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, extra eorum prouinciam, ciuitatem, vel diœcesim constitutis, eis absque alio respectu, ut ceteris qui intersunt, more consueto benedicit.*

b *Et Legato.] Et pro vel, ut in hac eadem Rubrica, Archiepiscopo & Episcopo, id est, vel Episcopo.*

c *Quasi licentiam.] Notat Microl. c. 21. ex Leone, & Gelasio, qui Sacerdotibus benedictione Episcopo præ-*

sente interdicit, vult autè cap. 22. inclinari Sacerdotem cū populo versus Episcopum, pro vltima benedictione. Regula ergo sit, Confessio, osculū Euangelij, & benedictio, se inuicem consequuntur, respectu Prælatorum.

4. *Si autem celebravit pro Defunctis, dicto Placeat tibi sancta Trinitas, ut supra, & osculato Altari accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium S. Ioannis, d prætermissa benedictione, qua in Missis Defunctorum non datur.*

d *Prætermissa benedictione.] Ita Durand. lib. 4. cap. 51. quia solemnitatem habet benedictio.*

5. *Finito Euangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale & Legato Sedis Apostolica, vel Patriarcha, Archiepiscopo,*

& Episcopo, conuertit se ad illum coram quo ex prædictis celebravit, & facit reuerentiam conuenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, huiusmodi reuerentiam prætermittit.

e *Facit reuerentiam.*] Vult Durandus lib. 4. cap. 59. vt exutus vestibibus Sacerdotalibus adeat Episcopum, & genuflexus manum eius osculetur; sed ratione vestium, quas adhuc habet, soli Papæ, & non alijs, genuflectit, neque manum osculatur. Minister quoque debitam facit reuerentiam.

6 *Quibus omnibus absolutis, f extinguuntur per ministrum candelæ: interim Sacerdos g accipit sinistra Calicem, dextram ponens super Bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris; & ibi in medio vertens se ad illud, h caput inclinatur, vel, si in eo est Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectit, & facta reuerentia, accipit birretum à ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem ministro, eodem modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam, i Trium puerorum, & Canticum Benedicite. Si vero dimissurus sit paramenta apud Altare ubi celebravit, finito Euangelio prædicto, ibidem l illis se exiit, & dicit Antiphonam, Trium puerorum, cum Cantico, & alijs Orationibus, vt suo loco ponuntur.*

Hæc Rubrica habetur in recognito Missali, licet fuerit tantum edita in ultimo Missali Vaticano anni M. D. C. IX. quam idè retinendam esse omnino, decreuit sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti 1627.

f *Extinguuntur candelæ.*] Primò in cornu Euangelij, deinde in cornu Epistolæ, vt statim minister possit Missale accipere cum birreto Sacerdotis: sed neque tamen debent extinguì, antequam finitum fuerit totum vltimum Euangelium.

g *Accipit sinistra Calicem.*] Reuoluta super eum decenter anteriori parte veli.

h *Caput inclinatur.*] Hoc est apertum, sicuti initio Missæ in eodem loco veneratus est Altare & Crucem capite discooperto. eadem enim est ratio, & decet, vt vbi deposuit, ibi etiam reci-

piat birretum. Quòd autem hîc dicitur, & facta reuerentia, non aliam de nouo intellige, quàm capitis inclinationem, seu genuflexionem, de qua proximè dictum fuit. neque enim duplex fit reuerentia, quod perperam nonnullus scripsit.

i *Trium puerorum, & Canticum.*] Debent dici etiam post Missam Defunctorum, tum Hymnus trium puerorum, tum Psalmus, *Laudate Dominum in sanctis eius*, cum Antiphona, & ea duplicata, quando, vt supra dictum est, Antiphona *Ne reminiscaris* duplicatur: & Hymnus quidem dicitur, ex Concil. Toletano IV. cap. 13. vbi hoc iubetur sub pœna excommunicationis, ex Radulpho Propos. 23. quæ tamen hodie non ligat; Psalmus autem, ex Microl. cap. 22. qui & addit Verfus sequentes, *Confiteantur*, &c. cum

vixit

vnica Oratione, *Deus qui tribus*, &c. quam puto à Sacerdote recitari post celebrationem, eadem ratione qua eadem dicitur in Sabbatis Quatuor Temporum ante Sacerdotum consecrationem, ex *Rupert. lib. 3. cap. 10.* vt scilicet vincatur ab eis flamma vitiorum, & per fornacem illæsi transcant Sacerdotes memores sui muneris, & suæ consecrationis. In *Missali M. S. Vatican. Volum. 4743.* habetur hæc eadem Oratio cum altera, *Actiōnes. Radulph. loco cit.* duas legit.

Tertiam de S. Laurentio ego legi in *Missali M. S. Vatican. Volum. 3808. & 4771.* scriptis ante 360. annos. fortasse addita est, quia ille Romæ Patronus est, post SS. Apostolos Petrum & Paulum, Apostolorum suppar, ex *santo Maximo Serm. 1. de eodem S. Laurentio*; vel quia tanti Sacrificij inter Latinos fuit minister egregius S. Sixti Archidiaconus; vel quia concordat cum prima Oratione, ad impetrandam gratiam cōtra flammam vitiorum. Impressa legitur in *Missali edito Venetijs 1499. & deinceps in alijs Missalibus*; non tamen tunc temporis vbi que recepta fuit, cū non legatur in *Sacerdotali Rom. edito 1567.*

7 In Missa solemnī Celebrans eadem voce & modo quo in Missis priuatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus: & dicto Euangelio secundum Ioannem, vel alio vt supra, ^m ministrante Subdiacono librum, si opus est, ⁿ discedit cum ministris ordine & modo quo venerat.

Ad Benedictionem Celebratis, Ministri æqualiter distantes supra secundum gradū, Diaconus à dextris Subdiaconi, genuflectant versus Altare, eodem ratione, qua post Epistolam & ante Euangelium genuflexi benedictionem receperunt ab eodem Cele-

1 *Illis se exiit.* Ordine retrogrado quo se induit; nimirum prius Stulam exuat quàm Manipulum; & quæ à principio osculatus est, nunc eadem exuendo se osculetur in medio, Stulam, Manipulum, & Amictum.

Neque omittat in Sacristia debitam reuerentiam imagini, eodem modo quo ante Missam est dictum.

Lauet etiam manus, vt de quibusdam cum laude narrat *Durand. lib. 1. cap. 55.* non quòd quidquam immundum ex ipso contactu Sacramenti contraxerit, sed vt potius suam commemoret indignitatem, qui se iudicat tantis Sacramentis celebrandis indignum, iuxta illud *Luca 17. Cū hac omnia feceritis, dicite, Serui inutilis sumus.*

Ablutionis autem aqua debet in locum mundum diffundi honestè, vt altitudo Sacramenti reuerentiùs honoretur, *Innocen. III. lib. 6. cap. 8.* vbi de ablutione manuum Episcopi scribit post sumptionem Eucharistiæ. Quo loco non possum non laudare Regulares illos, qui in Sacristia duo manutergia distincta habere solent; alterum ad abstergendas Sacerdotum manus ante Missam, alterum post Missam.

brante, vt supra dictum est, nisi sint Caonici, & manu pingant sibi Crucem à fronte ad pectus, vt solent laici: nam quamuis post Epistolam, & ante Euangeliū, ad Sacerdotis benedictionem id non faciāt, in pediti à libro quem tunc manibus tenent; hoc loco

tamen se signare debent ob rationem allatam supra *num.* 1. Ceteri quoque inferiores ministri genuflexi manent vsque ad finem benedictionis.

m Ministrante Subdiacono librum.] Quem defert eo modo quo dictum est supra post Epistolam. Diaconus autem stat quasi medius inter Celebrantem & Subdiaconum, aliquantò post Celebrantem, ne impediatur à lectione. Ad, *Et Verbum caro factum*

est, vel quid simile, genuflectunt predicti tres versus librum.

n Discedit cum Ministris.] Acolythi præeuntibus cum candelabris, procedunt cooperto capite Ministri, post debitam reuerentiam Altari factam, vt initio Missæ, vnus post alium manibus iunctis: in Sacristia verò, reuerentia facta imagini ab omnibus, & Celebranti à Ministris, deponunt omnes paramenta.

8 *Episcopus autem ter benedicit populo, etiam in Missis priuatis, vt in Pontificali & Cerimoniali habetur.*

Auctor Benedictionis Episcopalis in Missa fertur esse Martialis Apostolorum discipulus, ex magisterio Apostolatus, *Radulph. Propos.* 23. sed dabatur tantum ante Communionem. Solus autem Papa finita Missa eam dabat, *ex eodem Radulpho ibid.* abrogata verò est illa ante Communionem, & nunc *ex Innocentio III. lib. 6. cap. 14.* datur ab omnibus vltimo loco, nimirum

per verba, *Sit nomen Domini, &c. ex Durando cap. 59.* quo teste, *ibidem,* bis dabant aliqui Episcopi benedictionem solemnem, semel ante *Agnus Dei,* & iterum in fine Missæ; quos ille ipse monuit, ne in fine benedicerent. Ritus autem & modus benedictionis huius Episcopalis habetur fuscè in *Cerimon. Episcop. lib. 1. cap. 25.* non amplius in Pontificali.

De his quæ omittuntur in Missa pro Defunctis. XIII.

1 **I**N Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus, *Indica me Deus:* sed pronuntiata Antiphona, *Introibo ad Altare Dei,* & responso à ministro, *Ad Deum qui letificat,* &c. dicitur *Adiutorium nostrum,* & Confessio, cum reliquis vt supra. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, P non signat se, sed manu dextra extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. ¶ Non dicitur Gloria Patri, sed post Psalmum repetitur, *Requiem aeternam.* nec dicitur Gloria in excelsis, nec Alleluia, nec *Iube Domine benedicere,* nec *Dominus sit in corde meo,* nec osculatur librum in fine. Non dicitur Credo, non benedicitur aqua in Calicem fundenda, dicitur tamen Oratio, *Deus qui humana substantia,* &c. Cum lauat manus, in fine Psalmi, *Lauabo inter innocentes,* non dicitur Gloria Patri. Ad *Agnus Dei* non dicitur, *Miserere nobis,* cuius loco dicitur, *Dona eis requiem,* nec tertio, *Dona nobis pacem,* cuius loco dicitur, *Dona eis requiem sempiternam,* neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio

Oratio ante Communionem, scilicet, Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. nec datur pax. In fine non dicitur Item missa est, nec Benedicamus Domino, sed, Requiescant in pace. Et non datur benedictio; sed dicto Placeat, & osculato Altari, dicitur ut supra, In principio erat Verbum, &c. Alia omnia ut in alijs Missis.

S. Hieronymus Epist. ad Alcatium scribit de vitato Alcatium in funere Defunctorum: Alcuinus autem cap. de Exequijs mortuorum, quem sequitur Amalar. lib. 3. cap. 44. excludit à mortuorum Missa omnem lætitiæ & suavitatis significationem, docetque fieri ad imitationem Officiorum quæ aguntur in morte Domini. Hugo Victor. de Spec. Miss. obser. lib. 3. cap. 37. Cantica lætitiæ, ait, de proximi transitu dolentibus non conveniunt. Durandus addit lib. 7. cap. 35. solemnitates & benedictiones quasilibet à Missa Defunctorum subtrahi; ex quibus patet quæ sequuntur.

Psalmi cum precibus dici solitis pro præparatione Sacerdotis ante Missam omitti quidem possunt, sicuti prohibentur dici ab Episcopo ante Missam Defunctorum, in Carim. Pap. lib. 2. sect. 2. cap. 26. & 28. non autem omitti debent oscula Crucis in Amictu, Manipulo, & Stola induendis. qua de re dubitauerunt quidam, eò quòd prohiberent oscula rerum in Missa solemnibus.

o Non dicitur Psalmus, *Iudicame Deus.* Quia nec dicitur tempore Passionis Domini, ex regula prædicta.

p Non signat se. Facit Crucis signum quali versus Defunctum, seu

Defunctos, pro quibus celebrat: sinistra verò super librum ponitur.

q Non dicitur Gloria Patri, &c. Quia nec tempore Passionis: & quia solemnitate sonant hæc, & suavitate.

r Nec osculatur librum. Osculum Evangelij negat Durand. lib. 4. cap. 24. neque dicendum erit, per Evangelica dicta, ut tit. 6. num. 2. pag. 124. in simili casu expressè notatur. Minister non osculatur ampullas quas Celebranti porrigit, eadem de causa quæ modò dicta est.

s Dona eis requiæ sempiternam. Habet Durand. ibid. cap. 52. id est, animæ & corporis gloriam; quia animæ solius sine corpore non est quies sempiterna.

t Nec datur pax. Unde omittitur Oratio de pace, Domine Iesu Christe, Durand. lib. 7. c. 35. quia, inquit, omittitur in triduo ante Pascha mortis Christi; vel idèò non datur, quia non sunt in turbatione huius mundi, idem lib. 4. cap. 53. Vide aliam causam supra tit. 10. num. 4. pag. 163.

u Non datur benedictio. Vide titulo præcedenti num. 4. Quid si fiat Communio populi intra Missam? nulla tamen dari debet benedictio, quæ intra Missam non datur, nisi ab Episcopo, ubi moris est.

2 In Missa solemnibus non incensatur Altare ad Introitum, & Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur; Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum,

ensum, sed duo tantum Acolyths sine candelabris stant unus à dextris & alter à sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum osculandus. ^z Oblata & Altare incensantur ut supra: incensatur solus Celebrans, & non incensantur alij. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem; sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ ^a illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa ^b non osculantur eius manum, neque rem que porrigitur.

Credentia vel nulla, vel simplex cum linteo breui; & candelis tamen accensis.

x Non incensatur Altare.] Tradit Durand lib. 7. cap. 34. Quia in veteri lege, inquit, prohibitum fuit oleum & thus pro peccato offerri; mors autem est pœna peccati. Parcius igitur in hac Missa thus adhibetur, dum semel tantum incensatur Altare post oblata, & solus Celebrans, non alij.

y Nec benedicitur, &c.] Octo hæc manifestè indicant solemnitatem & lætitiã, quando fiunt in Missa.

z Oblata, &c.] Incensantur oblata, ut præparentur ad consecrationem, &

cum ijs Altare; quod etiam obseruatur in Parasceue. Subdiaconus ministrat à sinistris Celebranti, & in oblatorum incensatione, & in ablutione manuum cum Diacono ministrat mappam ad tergendas Celebrantis manus.

a Illud incensat.] Cum non teneat Subdiaconus Patenam, quæ solemnitatis indicium est, debet incensare Sacramentum in eiusdem elevatione, ut à digniore ministro non impedito id fiat, & statim surgit stans in medio, ut aliàs.

b Non osculantur, &c.] Oscula omnia, quæ suauitatem denotant, omitti debent, ex prædicta *Alcum* Regula.

3 Si distribuende sunt ^c candelæ, distribuantur post Epistolam, & accendantur ^d ad Euangelium, ad elevationem Sacramenti, & post Missam, dum fit Absolutio. ^e Si habendus est Sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem.

c Candela.] Faces in exequijs Defunctorum in vsu fuere, etiam in exequijs beatæ Virginis Deiparæ, ex *Nicephoro* lib. 2. c. 22. in funere Cypr. ex *Actis Ponty*, & circa funus Constantini, testatur *Euseb.* l. 4. in eius *Vita* c. 66. ad significandum, animas viuere, & defunctos filios lucis esse. lege *Duran.* lib. 1. de *Rit.* cap. 23. Ex cera communi deberent esse, ex *Carimon. Episc.* lib. 2. cap. 11. quæ luctum indicare videtur.

d Ad Euangelium, &c.] Ritè ardent ad Euangelium, quo geniti sunt Defuncti; item ad elevationem Sacramenti, quo enutriti fuerunt; & ad Absolutionem, qua in cælos euehi eosdè desideramus. Qui autem ferunt intorticia ad Elevationem, non discedant, nisi peracta Communionem; quia nõ est eo celandum ab aliquo, ut supra diximus in Missa festiua: & eodem modo candelæ à Clero accensæ ardeant. vsque ad Com-

Communionem; argumento à simili sumpto in Purificatione, Festo B. Mariæ. nam varia Rubricæ se inuicem declarant, & eadem est ratio utrobique in venerationem Sacramenti.

e Si habendus est Sermo, &c.] Ora-

tiones habebantur funebres, ex Theodoro lib. 2. Hist. Eccles. cap. 14. & Niceph. lib. 12. cap. 11. & alijs apud Durandum loco citat. sed extra Missam, quia non sunt Homiliæ Euangelij post ipsum habendæ.

4 Finita Missa, si faciendâ est ^f Absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi exiit Casula, & deposito Manipulo, ^g accipit Pluuiiale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos ^h cum candelabris accensis, ⁱ defert Crucem sicut in Processionibus, ^l precedentibus duobus alijs Acolythis, vno cum Thuribulo & nauicula incensi, alio cum vase Aquæ benedictæ & aspersorio: sequitur Celebrans, factâ prius Altari reuerentia, & Diaconus à sinistris eius. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria: ^m Celebrans verò ex alia parte in capite loci inter Altare & tumulum, ⁿ aliquantum versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat: à sinistris eius Diaconus, & prope eum alij duo Acolythi deferentes Thuribulum, & vas Aquæ benedictæ. Interim cantatur Resp. Libera me Domine. & circa illius finem Celebrans ponit incensum in Thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono nauiculam: & finito Kyrie eleison, incipit intelligibili voce, Pater noster, & secretè proseguendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, & factâ Altari reuerentia, comitante eodem Diacono à dextris, & tenente simbriam anteriorem Pluuiialis, circuitens tumulum, aspergit illum Aquæ benedictæ, ter à parte dextra, & ter à sinistra. cum transit ante Crucem, profundè inclinatur, Diaconus verò genuflectit: postea de manu eiusdem Diaconi accipit Thuribulum, & eodem modo quo asperferat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, ^o iunctis manibus dicit.

^f Absolutio.] Orabatur post Missam circa Defuncti cadaver, teste sancto Dion. de Eccles. Hierarch. & Victore Vricen. lib. 2. de Persecut. Vandalica. & hæc solemnitas ita dicta à Victore, à nostris dicitur Absolutio. utraque enim locum habet post Missam.

^g Accipit Pluuiiale nigrum.] Ante Sermonem accipit, si habendus est, Carim. Episc. lib. 2. cap. 11. quo deficiente, maneat in Alba, & Stola in modum Crucis ante pectus, part. 1. tit. 19. num. 4. pag. 66. deponant & ministri Manipulum, ut in simili casu Carim. Episc. tradit lib. 2. cap. 17.

^h Cum

h *Cum candelabris accensis.*] Ad honorem Crucifixi afferuntur candelabra cum cereis.

i *Defert Crucem sicut in Processionibus.*] A Subdiacono defertur, sicut de Cruce Papali scribit *Anastas.* in *Leone IV.* ubi significat, ritum esse antiquiorem. Facies autem Crucifixi versa sit ante Subdiaconum ita, ut terga vertat eidem Subdiacono, ut diximus *locò nunc citato num. 3. & causa allata pag. 65.* Imò verò ex hac Rubrica apertissimè ritus hic colligitur: nam Celebrans Crucem & faciem Subdiaconi eam gestantis respicit, & consequenter Crucifixi imaginè idem Celebrans conspiciat, cui dum transit inclinatur: & imago Crucifixi terga vertit Subdiacono.

l *Præcedentibus duobus alijs Acolythis, &c.*] Thuriferarij locus est ante Crucem semper, quasi sternens odorem Crucifixo sequenti. Hinc etiam collige, faciem Crucifixi respicere terga præeuntis Thuriferarij.

Alter cum Aqua benedicta pariter cum eo procedit, quia in exequijs Defunctorum Thus & Aqua benedicta sunt correlatiua.

Incenso Thure Defunctos honorari debere, probat *Baron. anno 34. nu. 312. ex Actis Synodi Chalcedonen.* Aqua verò benedicta aspergi, docet *Durand. sup. cap. 35.* non ad tollenda peccata venialia, sed ut omnis immundorum spirituum præsentia arceatur: fiunt etiam incensationes ad eosdem expellendos, ex *Innoc. III. lib. 2. de Myst. Missæ cap. 17.* & ad pellendum odorem malum Defunctorum, ex *Beltho cap. 161.* & ut ostendatur, quòd Defunctus Deo obtulit se in odorem bonorum operum; seu, quòd Defunctis prosit oratio, quæ est veluti in-

centum, *Psal. 140.* Denique tam incensatio quàm aspergio adhibentur, in signum societatis & communionis Sacramentorum, quam nobiscum habuerunt Defuncti dum vixerunt, unde & *Dionys.* tradit, quòd antiquitus viui mortuos osculabantur, in signum unitatis quam cum ipsis habuerunt, vel in ordine ad Deum, per hæc talia Deo in Defunctis reuerentiam exhibemus, quorum membra credimus fuisse templa Spiritus sancti, *Durand. loco citato.*

Dubitarunt aliqui, an benedicatur incensum, quo immediatè adolentur Defuncti: nam in antiquioribus Missalibus nihil præscribitur, neque in modernis Cerimoniali Episcoporum, & Rituali Parochorum; at in Missali recognito apertè iubetur hoc loco, ijs verbis, *benedicens illud more solito.* quod triplici decretum est fundamento. Primò, auctoritate *Cerim. Pap. li. 1. sec. 15. cap. 1.* ubi expressè iubetur benedici incensum pro adolendis Defunctis, & adduntur verba, *Ab illo benedicaris, &c.* Deinde ex *Innoc. III. sup. cit.* incensatio hæc fit præcipuè ad expellendos dæmones: quæ ratio connotat benedictionem Thuris & Thuribuli, ex *Durando lib. 1. de Rit. cap. 9. num. 9.* Demum non aqua simpliciter, sed benedicta Defunctos aspergimus: ergo etiam Thure benedicto erant incensandi. libri verò in oppositum citati non negant, sed vel omitunt, vel supponunt tamquam vsitatum.

m *Celebrans ex alia parte.*] Dum descendit, habeat birretum in capite, ex *Cerim. Episcop. lib. 2. cap. 111.* ubi agitur de Canonicis ad lecticam mortuorum. Deinde capite detecto se sistit, ut in Rubrica, ex *Cerim. Pap. lib. 1. sec. 15. cap. 1.* non ad caput lecticæ imagi-

imaginarium Defuncti, quod vallari contingit in Sacerdotibus, & alijs: nam Sacerdotis caput versus Altare esse debet, aliorum verò pedes versus Altare, vt dicitur in *Rituale Romano, de Exequijs*. Sed Celebrans debet esse semper inter Altare & tumulum, seu lecticam mortuorum, absente corpore; Subdiaconus contra Altare, ad pedes lecticæ, seu tumuli: præsentem verò corpore seruat Rituale citatum.

n *Aliquantum versus cornu Epistolæ.*] Ne terna directè vertat Altari, & vt orans Sacerdos vicinior sit Altari.

o *Iunctis manibus dicit.*] Extra Missam dicuntur semper Orationes manibus iunctis: ille namque ritus est Missarum proprius, extendendi scilicet manus, vt supra diximus, initio Missæ. Oratio verò *Absolue* com-

munitur dicitur; vnde & Absolutio vocatur: sed potest etiam dici Oratio Missæ, vt in *Rituale Romano* præscribitur. quod conuenit præsertim in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando fiunt exequiæ Prælatorum. *Marcellus* tamen in *suo Carimon. Papali lib. 2. cap. 35.* constanter habet in Absolutione Prælatorum Orationem *Absolue*: quod mihi magis placet, addito dignitatis titulo, quam habebat Defunctus, nomini eiusdem.

Dum fit Absolutio, si eleuetur Sacramentum in aliquo Altari, neque Celebrans, neque Ministri debent genuflectere, ne sacra interrumpatur actio: & rectius fieret, si in ea eleuatione pulsatio campanulæ omittetur à ministro.

5 Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextra super tumulum, dicit: *Requiem aternam, &c.*

Et reliqua, vt in Missali. Cantores Absolutio. & præcedene Cruce redicunt, *Requiescant*; licet pro vno fiat tur in Sacristiam.

De his quæ addenda sunt in Missa, quæ celebratur ad Altare, in quo expositum est sanctissimum Sacramentum. XIV.

1 **D**esideratur hic titulus in Rubricis Missalibus à multis; de quo hoc loco, ne desideretur amplius in hisce Commentarijs: sed in *Carim. Episc. lib. 1. cap. 12.* optimè monemur ex antiquorum documentis, vt abstinemus à Missa celebranda coram Sacramento, etiam in suo Tabernaculo ocluso. Quòd si ferat necessitas, vel suadeat alia iusta causa, puta, infra Octauam Corporis Christi, & Romæ in fine Publicæ Orationis 40. Hora-

rum; eo casu genuflexiones omnes, & actus reuerentiales debiti diligenter sunt obseruandi: quos varijs in libris Ritualibus præscriptos, & sparsim, hoc loco collegimus.

2 In primis igitur illud est notandum, quòd pro exponendo Sacramento in Altari pro initio 40. Horarum, vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa Votiuæ de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festiuæ Corporis Christi

Christi (nisi infra Octauam eiusdem Festi casus accideret) & tempore Paschali addendum erit *Alleluia*, ut fit in alijs Votiuis Missis.

3 Dicitur vna tantum Oratio, cum *Gloria*, *Credo*, & Præfatione de Natiuitate, quia solet esse publica causa: non autem priuatis Missis hæc conueniunt.

4 Si verò accidat in Festo primæ vel secundæ classis, siue in Dominica priuilegiata primæ vel secundæ classis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Missæ, altera de Festo, seu Dominica post Tertiam, altera Votiuæ de Sacramento post Nonam, vel vna cantetur de die cum commemoratione sanctissimi Sacramenti; quod Romæ fit in Cappella Papæ in prima Dominica Aduentus, & in alijs diebus Festis solemnibus in Ecclesijs maioribus Vrbs.

5 In ingressu Celebrantis & Ministrorum ad Altare, in quo patet Sacramentum, omnes debent genuflectere in plano Cappellæ utroque genu. Facta verò confessione, ascendunt ad Altare, vbi deinceps genuflectunt vnico genu, ut expeditiores sint; & Celebrans dicit, *Oramus te Domine*, ut aliàs.

6 Incensatio Altaris fit de more stante Sacerdote, dum benedicit incensum; quod item de more benedicuntur, ex *Cerimon. Episcop. lib. 1. cap. 23*, quia Altare & Celebrans etiam thurificari debent. Pro Cruce, quæ adesse non debet, incensatur Sacramentum à Celebrante super altiorem Altaris gradum cum Ministris genuflexo. Neque Diaconus osculari quidquam debet in hac Missa, quod tradi debeat Celebranti; neque manus item Celebrantis in traditione rerum, ob apertam præsentiam sanctissimi Sacramenti:

quod expressè dicitur in *Cerimonial. Episcop. lib. 27. cap. 33*. *Absque osculo*, inquit, *cochlearis, & manus*: quidquid contrà scripserit recentior. Inclinat autem Celebrans genuflexus caput suum profundè, ante & post incensationem Sacramenti.

7 Cum incensandus est Celebrans, reddito Thuribulo in cornu Epistolæ, ut moris est, descendit, & sistit se apud idem cornu, facie versa ad populum, aduertens, ne, dum mouet se, terga vertat Sacramento, & ibi à Diacono econtrà stante in plano Cappellæ incensatur. quod erit quoque obseruandum in altera incensatione ad Offertorium, & ibidem lauabit manus. Eadem enim est ratio exeundi extra Altare, tam pro incensatione quàm pro ablutione manuum Celebrantis: & vtrumque seruetur in Vrbe.

8 Accedens ad medium Altaris, & recedens à medio, vel transiens ante medium toties quoties, semper genuflectit Celebrans vnico genu: quod & Ministri obseruant.

9 Conuertens se ad populum dicturus, *Dominus vobiscum*, seu alia, facta genuflexione post osculum Altaris, sistit se renibus versis ad Euangelij cornu; tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum, seu Altare.

10 Diaconus & Subdiaconus non omittunt tamen osculum manus Celebrantis in fine Epistolæ, & ante Euangelium, quod aliàs fit de more.

11 Si concionandù est à Celebrante, fiat ab eo stante in cornu Euangelij, & aperto capite. Ministri ad eius dextram stabunt extra cornu Euangelij.

12 In incensatione oblatorum benedicit incensum de more, & sine genuflexio-

inflexione incensat oblata: tum genuflexus super altiorem gradum, ut supra, incensat Sacramentum ut initio Missæ. Diaconus non amouet Calicem de medio, quia nullum est periculum effusionis eius.

13 Dicitur *Orate fratres* à Celebrante, ubi *Dominus vobiscum*: sed non perficitur circulus, ut habetur in *Missali Fer. 6. Parasceues*. rursumque genuflectitur, quia reditur ad medium.

14 Reliqua vsque ad Communionem inclusivè fiunt ut in alijs Missis: à Communionem ad finem Missæ fiunt genuflexiones & conuersiones ad populum, ut *num. 8. & 9.* dictum est.

15 In benedictione populo danda, dicitur, *Omnipotens Deus*, genuflectit Celebrans, & in latere Euangelij benedicit. non perficit circulum, neque in medio genuflectit, sed in eodem latere conuersus statim ad Altare signat librum, seu Tabellam Euangelij ultimi, non Altare, quamuis Sacramentum esset altius Altari: est enim, ac si esset in Altari.

16 Recedit cum Ministris ab Altari, cù genuflexione in plano Cappelle utroque genu facta: vel, si facienda

est Processio, pro fine Orationis publicæ, facta prope Altare genuflexione in medio, descendit extra cornu Epistolæ, ubi, depositis Manipulis à se & à Ministris cum Casula, induit Celebrans Pluuiiale, & cetera facit quæ ad Processionem spectant, de qua nos *infra par. 4. tit. 12. a num. 3. & seqq.* quibus illud hoc loco adde, incensandum esse prius Sacramentum quam deponatur de loco suo super Altare, si imponendus est orationi finis.

17 In Missa priuata, quæ tamen quàm parcissimè celebranda erit in Altari, in quo sacra Eucharistia est exposita, eadem obseruari debent quæ supra diximus, demptis ijs quæ sunt propria solemnem Missæ.

18 Neque illud omitatur, quod præscriptum de manuum ablutione extra Altare. Quidam sumunt ablutionem digitorum, antequam redeant ad medium Altaris, ad maiorem erga Sacramentum reuerentiam; sed non video irreuerentiam in sumenda purificatione Calicis in medio Altaris, ergo neque digitorum. quare placet ex communiori vsu ritus communis omnibus Missis.

Ordo Missæ, & partium eiusdem additio, iuxta ordinem temporum. XV.

HActenus ordinem totius Missæ examinauimus, secundum quem Missa celebratur: nunc quàm breuissimè videamus, quo ordine aucta sit eadem Missa ab initio nascentis Ecclesiæ ad hodiernum vsque diem, ordine temporum seruato; si de Liturgia sancti Petri fortasse dubites, quam Lindanus defendit (quo casu tota esset à sancto Petro) Successores autem Decretis firmarunt eandem per

partes. Præterea eiusdem Missæ mysticam expositionem ex antiquis Interpretibus hauriamus, eam nimirum, quæ aptius Domini nostri Iesu Christi vitam, actiones & passionem ordinatè representat. Postremò Canonis literalem sensum in quibusdam verbis non ita facilem aperiamus.

1 Ex dictis igitur, initio Ecclesiæ Missa constabat Consecratione tantum

tum & Oratione Dominica, vt probauimus ex sancto Gregorio. pag. 158.

2 Ab Apostolis & successoribus Apostolorum addita sunt Epistola, & Euangelium. pag. 31. 35.

3 Tum principium Canonis à Clemente fuit additum, qui & dici iussit, *Dominus vobiscum*. pag. 143. 19.

4 *Communicantes*, à Lino, vel Siricio. pag. 147.

5 *Qui pridie*, vsque ad verba consecrationis, *Vnde & memores*, &c. aquam item cum vino adhiberi iussit Alexander. pag. 148. 133.

6 *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, à Sixto. pag. 41.

7 Hymnus Angelicus à Telesphoro; item & Tractus. pag. 22. 34.

8 *Orate Fratres*, ante Soterum; alij Leoni id tribuant. pag. 137.

9 Confessio ante Missam à Pontiano, alij à Damaso. pag. 110.

10 Symbolum post Euangelium à sancto Marco; sed, quod hodie legitur, Damasus decreuit legi, qui & *Gloria Patri* in Missa addidit. pag. 36. 21.

11 *Pax Domini sit semper*, &c. ab Innocentio I. pag. 161.

12 Introitus Missæ ex Psalmis, à Cælestino; item Tractus, & Graduale. pag. 20. 32. 34.

13 Præfationes, *Hanc igitur oblationem*, &c. in Canone, *Sanctum Sacrificium*, &c. *Ite missa est, Benedicamus Domino*, à Leone I. pag. 41. 148. 154. 45.

14 Canonem ordinasse dicitur, Gradualia, & Præfationes addidisse Gelasius. pag. 44. 32. 41.

15 *Kyrie eleison*, Orationes, Alleluia, Offertorium, Communio; in Canone, *Diesque nostros in tua pace dispo-*

nas, &c. *Preceptis salutaribus, Libera nos*, &c. & tota Missa melius ordinata fuit à Gregorio I.

16 *Agnus Dei*, à Sergio. pag. 161.

17 *Sequentiæ* à Nicolao. pag. 33. Secuti verò sumus in hac re Chronologiam Bellarmini.

Alij sancti Patres addidere alia, approbata deinde à Summis Pontificibus, vti par est credere, hoc ordine temporum.

1 *Benedictus qui venit in nomine Domini*, à sancto Ignatio. pag. 42.

2 *Domine non sum dignus*, &c. tempore Origenis. pag. 164.

3 Finis Hymni Angelici ab Hilario Pietrauiensi. pag. 22.

4 *Benedictio populi in fine*, ætate sancti Hieronymi. pag. 46.

5 *Quod ore sumpsimus Domine*, &c. ante Ordinem Romanum. pag. 165.

6 *Domine Iesu Christe Fili Dei veri*, &c. *Placeat*, &c. ante Micrologium. pag. 163. 175.

Reliqua tandem Pij V. auctoritate sunt communita.

Græcorum autem Missa fuit longior quàm Latina: hæc ipsa tempore sancti Augustini longior erat quàm hodie; vel quia in Introitu totum Psalterium diceretur; vel quia Epistola & Euangelij lectio esset longior; vel quia in Festis cantarentur singulæ. certum est, quòd ob querimoniam populorum breuior est facta, vt colligit Baronius anno 418. ex eodem Augustino Ser. 251. de Tempore. Breuior est etiam Romana Missa quàm Ambrosiana; quia Mediolanenses prisca Græcorum vestigijs firmiter inhaeserunt. quod notat Lindanus ad Liturgiam S. Petri.

Myſtica expoſitio Miſſæ ſecundùm ordinem totius vitæ Chriſti, quam repræſentat. XVI.

EXpoſuerunt quamplurimi myſteria Miſſæ, & ſuo quiſque iudicio & arbitrato, ita vt nondum inuenirerim auctorem, quem omnino ſequar, ab initio Miſſæ uſque ad finem eiusdem, certa, & ordinata ſerie, vel Paſſionis, vel totius vitæ Chriſti: quare à pluribus excerpam, quæ in vnum coacta, & exquiſitè ordinata Eccleſiaſticum Lectorem fortaffe delectabunt; non tamen minutiffima quæque perſequar, quæ tædio eſſe poſſent; neque ſingula omnia myſticum habent ſenſum.

1 Procedit igitur, tam in Miſſa priuata quàm in ſolemni, Sacerdos ad Altare de Sacriſtia. Hic admirare Verbum diuinum paſſioni deſtinatum, quod egreditur de ſinu Patris. Thuriferarius cum thuribulo fumigante ſignificat naturam humanam orantem Deum pro redemptione mundi; duo Acolythi, Legem & Prophetas; Subdiaconus & Diaconus, ſanctos Patres vicinos Natiuitati Chriſti, qui parant viam Domino. *Hæc Hugo Viet. in Specul. cap. 7.*

2 Inclinat ſe ante Altare Sacerdos, & facit *confeſſionem*. O exinanitio diuini Verbi, quod formam ſerui accepit in ſimilitudinem carnis peccati! *Durand. lib. 4. cap. 7.*

3 In *Introitu* cum Verſu geminato, laude Trinitatis, & oſculo primo Altaris, audi iterata deſideria, & voces ſanctorum Patrum antiquiorum, *Oſculetur me oſculo oris ſui*; &, *Veni Domine*, &c. *ex S. Germano in Theoria*. Et cum incenſatur Altare, memento incenſi, hoc eſt, orationis Chriſti pro

nobis in vtero materno. Thuribulum enim Chriſtum denotat, *ex Auguſtino Homil. 6. in Apocal.* & nos ſuprà pag. 115. *diximus cum Innocen. III.*

4 Inculcatur *Kyrie eleiſon*, id eſt, Domine miſerere, vt *Iſai. 33. Domine, miſerere noſtri*; te enim *expectauimus*, *Innoc. lib. 3. cap. 19.* contra nouem genera peccatorum, Originale, Mortale, Veniale, Cordis, Oris, Operis, Infirmiſſimæ, Ignorantiæ, Malitiæ; & ideò dicitur nouies.

5 *Gloria in excelsis Deo*, &c. Ecce Chriſtus natus, & gaudentes Angeli cantant, *Innoc. cap. 20.* Signum Crucis in fine Hymni ſignificare Circumciſionem Chriſti, docet *Melchior Huelamus. Dominus vobiscum* hoc loco indicat apparitionem Magis factam, *ex Praxi ſpirituſuali Principiſſæ Parmenſis.*

6 In cornu Epistolæ fit initium Miſſæ, vbi & *Orationes* dicuntur. Cerne Chriſtum primò ad Iudæos miſſum, quorum reliquiæ in fine mundi ſaluantur; vnde & Miſſæ finis ibidem habetur, vbi & initium, *Durand. libro 4. cap. 15.* Oratio ſignificat Præſentationem Chriſti in Templo, *ex Praxi præfata ſpirituſuali*. Orat autem Chriſtus, & in precibus eſt totus ab infantia, *ex Hugone de Quibusdam ad Miſſam ſpect. lib. 2. cap. 16.* uſque ad prædicationem Ioannis, quæ ſignificatur in Epistola, vt mox dicitur.

7 Ad *Epistolam* cantandam à Subdiacono, vnus eum comitatur Acolythus, quia Ioannem pauci ſunt ſecuri, *Innocent. III. lib. 2. cap. 29.* modò legitur de antiquo, modò de Teſtamento nouo; quia Ioannes ad vtrumque

spectat, ex *Ruper. lib. 1. cap. 32.* Finita Epistola, osculatur Subdiaconus manum Celebrantis, quia Ioannes ad Christum discipulos tandem destinavit; & sicut Christus laudavit Ioannem, ita Sacerdos benedicit Subdiacono, *Innocent. ibid. cap. 30.* Clauso libro accedit Subdiaconus, quia in lege, quam prædicabat Ioannes, clauderetur adhuc Christus, quem respicit, dum contra Altare cantat Epistolam, *Durand. cap. 16. & seq.*

8 *Graduale* ad penitentiam respicit lamentum, *Ruper. lib. 1. cap. 34.* & conuersi ad penitentiam à Ioanne prædicatam gemunt. Dicitur à gradibus *Graduale*, quo significatur ascensio discipulorum Christi vocatorum per gradus post Ioannis prædicationem. *Alleluia* consolationis est post luctum penitentiam: gaudebant autem discipuli in noua conuersatione Christi. *Tractus* eiusdem rationis est cum *Graduali*: & *Sequentia*, seu iubilatio, est idem cum *Alleluia*, ut aliàs docuimus. *Hæc habet Innocentius III. supra cap. 31.*

9 Succedit *Euangelium* in parte Altaris altera, quia Gentibus fit communis Christi doctrina. Liber de Altari sumitur, quia de Sion exiit lex noua, & verbum Christi de Ierusalem. Quoniam autem misit Apostolos etiam tunc temporis prædicare regnum Dei, idè benedictio, missio, & osculum manus præcedunt. Thuriferarius cum Thuribulo bonum odorem virtutum Christi euangelizantis, & Acolythi cum cereis accensis fulgentissimum lumen doctrinæ Christi designant, siue lumina miraculorum eiusdem Christi; siue quia binos mittebat ante faciem suam, quò erat ipse venturus. Subdiaconus ut minister, vel auditor, benè doctus

tandem refert librum Euangelij ad Celebrantem, ut ad Christum, cuius est colligere fructus prædicationis suæ; cui & in gratiarum actionem Thus adoletur à Diacono. Quæ omnia fusiùs *Innocentius III. a cap. 35. ad cap. 48. lib. 2.*

10 In *Symbolo* fidei professio manifesta est, & doctrinæ sequela, quæ in discipulis Christi, præsertim ad eundem prædicationem, effulsit. nam multi crediderunt in eum, *Durand. cap. 24.* & Gentiles per Philippum & Andream ducti sunt ad Christum, appropinquante iam Passione, in *Offertorio*, *Innocent. cap. 52.*

11 *Offertorium* significat votum fidei à Gentilibus oblatum Christo inter prædicationem & Passionem, quod admiratus est in Centurione & Chananæa, *Innocent. III. cap. 52.* quo cantato, ecce silentium, in quo appropinquante Passione significatur labulum Christi, qui in palam non ambulabat, *idem cap. 54.* *Velum* amouetur à Calice, ut Calix videatur à populo, quia nunc manifestè in Missa Passio Christi representatur: unde, & finita eiusdem representatione, quæ accidit, ut dicemus, circa Communionem, Velo rursus velatur Calix, ut videatur ut priùs, sed vndequaque occultetur. Ministri præparant oblata, & circa eadem Crucis signa fiunt, quæ Concilium fecerunt Hebraei, ut eum morti traderent. *Patena* partim abconditur sub Corporali, seu velatur in manu Subdiaconi; quia patentes corda discipulorum in fide titubant, & deficiunt, *idem cap. 59.* Exprimite *incensatio oblatorum* effusionem vnguenti ante sex dies Paschæ, cuius odore repleta est domus; & idè incensantur omnes, *idem cap. 57.*

12 *Præfatio* quid aliud designat, nisi triumphū Christi in die Palmarum? in quo tum Angeli, tum Hebræorum pueri cantabant *Hosanna: Benedictus qui venit*, &c. *Innoc. lib. 2. cap. 61.*

13 *Canon*, inquit *Microl. de Eccles. obseru. cap. 16.* Dominicæ Passionis potissimum est commemoratio. & Primò quidem seretò dicitur, ad indicandum, Deum verè esse absconditum in hoc mysterio; tum postremis diebus Christum cum solis discipulis conuersantem. Latibulum Christi à Iudæis hoc loco significari, ait *Innoc. III. lib. 3. cap. 1.* Tres cruces, quæ primò fiunt super oblata, denotant tres traditiones Christi ad mortem, à Deo Patre, à Iuda, & à Iudæis, qui Pilato eum tradiderunt, *idem cap. 3.* In alijs quinque crucibus post *Hanc igitur oblationem*, &c. Venditio Christi exprimitur: in primis tribus, Venditionis pretium, quod ter decem denarijs constat, vel tres emptores intellige, Sacerdotes, Scribas, Phariseos: in alijs duabus, Venditorem, & Venditum, *idem cap. 12.* Vel in his quinque crucibus latet Historia à die Palmarum ad mortem Christi per dies quinque, *Titelman. cap. 43.*

14 *Consecratio* repræsentat Cœnam Dominicam, *Innocent. lib. 4. cap. 6.* vbi benedictiones Hostiæ & Calicis significant, & repræsentant, non crucifixionem, sed præsignationem Passionis Christi factam in ipsa Cœna, *S. Thom. 3. par. quest. 83. artic. 6.* vel quod pro duobus populis sit passurus, *ex Amalar. lib. 3. cap. 24.* vel quia redimenda sunt anima & corpus nostrum per Passionem Christi, *Alexand. Alen. 4. par. quest. 33.* ideoque duplex fit signum crucis, semel super Hostiam, semel super Calicem.

15 *Elevation* verò Hostiæ & Calicis, anticipatam Crucis & Christi in ea Crucifixi elevationem significat, *ex S. Germano in Theoria rerum Ecclesiast.* non actionē crucifixionis Christi, de qua infra suo loco, sed memoriā Passionis Christi & mortis eiusdem in hoc Sacramento statim esse faciendam. *Hæc*, inquit, *quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, hoc est, *mortem Domini annuntiabitis.* Quam elevationē in hoc anticipato sensu (quod benè nota) comitantur ferè statim quinque cruces ad ea verba, *Hostiam puram*, &c. ad memoranda quinque Vulnera Christi in Cruce accepta, *Stephan. Eduens. de Sac. Alt. cap. 17.*

16 Ceterum prosequendo Historiam, peracta Cœna & Consecratione, Christus procidit in horto ad orandum Patrem, & Sacerdos inclinatus dicit, *Supplices te rogamus*, &c. affuit confortans Angelus; & nos addimus, *Iube hæc preferri per manus sancti Angeli, Walden. Tom. 3. tit. 4. cap. 29. num. 5.* Osculum quod sequitur Altaris hoc loco, opponitur osculo Iudæ in horto. Tres cruces adduntur, vel ad notandas tres illusiones Christi, à Pontificibus, Herode, Pilato factas, *ex Alber. Mag. vel Vincula, Flagella, Coronam spineam, ex Innocent. sup. cap. 5.*

17 Dicto, *Nobis quoque peccatoribus*, pectus percutitur. Dicerem hoc loco illud designari (per antiphrasim) ut nobis fiat in salutem, quod Hebræi impij in suam perniciem exclamauerunt; *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: verum *Innocentius, & aly*, explicant de Latrone & Centurione confitentibus Christum verum Deum. sed hoc perturbat ordinem Historiæ, ut patet.

18 In sequentibus tribus crucibus, *Sancti-*

Sanctificas, vinificas, &c. recole crucifixionem Christi, qui hora tertia apud Marcum linguis Iudæorum Cruci est affixus, *Tolle, tolle, &c.* Innocent. lib. 5. cap. 9. in alijs autem tribus, ad ea, *Per ipsum, cum ipso, & in ipso*, attende crucifixionem hora sexta manibus Gentium; & in duabus sequentibus, *est tibi Deo Patri*, &c. diuisionem animæ à corpore Christi, Innocentius III. *ibidem*. Fiunt autem hæc duæ cruces extra Calicem, quia hæc separatio facta est, non ex violentia passionis, & Calicis, sed ex potestate propriæ voluntatis Christi, Rub. lib. 2. cap. 75. idem ferè docet Innocent. III. loco citato. Item in primis tribus, *Per ipsum*, &c. memorare trinam orationem Christi in Cruce. Primam, *Pater ignosce illis*, &c. Alteram, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Tertiam, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. quam trinam orationem obseruat *Sanctus Thom.* vbi supra.

19 His valdè consona *Titelm.* addit cap. 48. in primis tribus crucibus notari tres horas quibus vixit in Cruce: in alijs tribus, Calice detecto, tres alias quibus mortuus pepedit: in duabus extra Calicem, emissionem Sanguinis & aquæ è latere. & inter has cruces Velum Templi scissum significatur, cum amouetur de Calice Palla; & quadrant historico ordini.

20 *Elenatur Calix cum Hostia*, & statim deponitur in ijs verbis, *Omnis honor, & gloria*; ad denotandam depositionem Christi de Cruce, & eiusdem Sepulturam, *Stephan. Eduens.* loco citato. Et sicuti, omnium sententia, Calix hoc loco operitur Palla, non, ut hactenus, ad cautelam, sed ad mysterium; ita in Palla designatur lapis ad ostium monumenti; *Innocent. lib. 5.*

cap. 10. vel Corpus Christi inuolutum sindone à Iosepho, ut contemplatur *Durand. cap. 46.* Celebrans enim & Diaconus hic tangunt Calicem simul, innuètes ministerium duorum; Nicodemi quidem Celebrans, Iosephi verò Diaconus: quia Ioseph inuoluit sindone Corpus, & Diaconus tangens Calicem eundem Palla cooperit, *Rubeus lib. 2. cap. 66.*

21 Recedit Diaconus à facie Celebrantis, ut à monumento recesserunt Nicodemus & Ioseph. Dicitur alta voce, *Per omnia secula seculorum*; quia clamauit Centurio, & clamor factus est à mulieribus, *ex Stephan. Eduens. loco citato cap. 17.* quos clamores continuari dicit vsque ad finem Orationis Dominicæ *Titelm. cap. 51.* Vel, ut colligamus vltima Christi verba, statim additur *Oratio Dominica*, quæ constat septem petitionibus, in honorem septem verborum Christi in Cruce, *Durand. cap. 35. & 47.*

22 Subdiaconus & Diaconus ministrant patenam apertam; & ecce mulieres cordibus patentibus valdè mane ad monumentum pergunt, *Innocent. lib. 6. cap. 1.* Additur sub silentio, *Libera nos quaesumus*, ut videas liberatos SS. Patres à Limbo, ad quem lecto descendit anima Christi, *Durand. cap. 49.* vbi notat etiam, nominari tres tantum Apostolos, ob triduum mortis indicandum: & sub silentio dicitur, de quo *Luc. 23. Sabbato*, inquit, *siuerunt*, *Innocent. III. lib. 5. cap. vlt.*

23 *Osculum patenæ* significat, quod Christus impleturus erat ferè statim desiderium mulierum, *idem lib. 6. c. 1.* vnde statim amouetur Palla à Calice, sicuti lapis ab Angelo ab ostio monumenti: ergo resurrexit Dominus inuisibiliter, *Innocent. ibidem cap. 2.*

24 *Frax.*

24 *Frangitur Hostia*; quia in fractione panis cognitus fuit Christus resuscitatus, *Innocent. lib. 6. cap. 2.* & in tribus Hostiæ partibus agnosce cum *S. Thoma 3. par. quæst. 83. art. 5.* distinctionem Corporis mystici Christi, vel distributionem gratiarum eius post resurrectionem. Corpus enim mysticum Christi tres partes habet, Caput, id est Christum ipsum gloriosum, in dextra Sacerdotis, nec sinistri quidquam amplius habet: Sanctos iam ab ipso beatificatos, qui in altera manu, quæ extra Calicem est, denotantur, *Innoc. ibid. c. 3.* reliqua membra, passionibus adhuc obnoxia in Ecclesia militante, adumbrantur in particula in Calicem dimissa, *Steph. Eduens. de Sacramen. Alt. cap. 18.* Alij multa alia sunt meditati hoc loco: sed hæc ad rem nostram magis.

25 Itaque *immissio particule* in Calicem cum commixtione significat Resurrectionem Christi, *ex Amalar. lib. 3. cap. 31.* vel est confessio Resurrectionis Dominicæ, in qua Corpus, & Sanguis, & anima vnita sunt, *Microl. cap. 20.* Tres cruces cum particula supra Calicem, vel admonent de triduo mortis, *S. Thom. loco citato artic. 6.* vel trium mulierum aduentum indicant ad ostium monumenti quærentium Crucifixum, *Innoc. sup. cap. 2.* vel, ex eodem, virtutem totius Trinitatis demonstrant in Christi miraculosa Resurrectione. Item cruces fiunt ad quatuor labia Calicis, quia ad quatuor mundi partes pertingit Resurrectio Christi, *S. Germ. ubi supra.*

26 Eleuetur hoc loco vox, & dicitur, *Pax Domini sit semper vobiscum*: nam *Pax vobis* dictum est à Christo resuscitato discipulis suis, *Microl. c. 20.* & bñum significat Resurrectio-

nis nuntium, *Rupert. lib. 2. c. 16.* Hinc fit, vt in Missa, etiam de luctu, omnes ad hæc verba surgant, ob mysterium scilicet Resurrectionis Christi, quæ significatur in hoc ritu, & verbis præcis. & est communis expositio.

27 Quid verò *Agnus Dei*? aperto Calice cum Palla dicitur ter, ad tollenda peccata. & nonne vides, ianuis clausis ingressum ad Apostolos Christum, eisdem dicentem: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis?* *Innocentius ibid. cap. 4.* cum *Durando cap. 51.* qui de Calice tecto ianuisque clausis edisserit in hunc sensum.

28 Fit *Communio* & Cleri, & populi; quia Christus comedens cum Apostolis, sumens reliquias dedit eis, *Microl. supra.* Dicitur Versus *Communio*, qui lætitiæ, vt docuimus, est symbolum; quia gauisi sunt discipuli viso Domino, *Innocent. cap. 10.*

29 Postea dicitur *Oratio* extensis manibus, quæ ab *Amalario* vocatur etiam benedictio, vt supra retulimus; vt hîc obserues, Christum eleuatis manibus iam ascendentem ad pro nobis orandum Patrem, & benedicentem nobis. *Eleuatis manibus*, ait Lucas, *benedixit eis.* Cum duplici *Dominus vobiscum*, & salutatione in discessu, quia discipulis sæpiùs eo tempore dixit, *Pax vobis*, *Innoc. cap. 11.* vel in vltimo *Dominus vobiscum* memento dicentis: *Ecce ego vobiscum sum usque, &c. Matth. 28.* vt notat *VValden. tit. 4. cit. cap. 44. num. 5.*

30 *Ite missa est*, cum *Deo gratias*, in mentem reuocat quæ dixerunt Angeli: *Viri Galilæe, quid statis aspicientes in calum?* *Ite*, & reuerſi sunt cum gratiarum actione, *Microl. supra.*

31 Orabant Apostoli vsque ad Pen-

tecosten secretò; quod ego puto significari in Oratione cum inclinatione Sacerdotis ad Altare, *Placeat tibi, &c.* & orabant ij vnanimiter. quod in osculo Altaris designatur.

32 Vltima benedictio missionem Spiritus sancti in Pentecoste in nomine Trinitatis exprimit, *Innocent. cap. 14.*

33 Quid aliud restat, quàm vltimum *S. Ioannis Euangelium*? de hoc mysticè nemo ex antiquioribus quem legerim. Dicam ergo cum *Principissa Parmensi in eiusdem Praxi citata*, Prædicationem Apostolorum hîc demonstrari, tum Diuinitatis, tum Incarna-

tionis Christi, qua Gêtes magis quàm Hebraei (vnde in cornu legitur *Euangelij*) ad Deum deuenerunt post Pentecosten. *Ecce conuertimur ad Gentes*, ait Paulus *Act. 13.*

34 Regressus in Sacristiam est ad necessitatem, non ad mysterium, nisi velis dicere, post prædicationem, & opera bona, tandem ad Deum in caelum nos quoque peruenturos, vnde exiuit à principio Dominus Iesus, qui vixit in mundo annis circiter triginta quatuor, & nunc in caelo vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Canonis expositio litteralis, eorum nempe verborum quæ sunt difficilioris intelligentiæ. XVII.

FVsè, neque confusè, post *Bielum* & alios *Io. Steph. Duran. lib. 2. de Ritib. à cap. 33. vsque ad 45.* sacrum Canonem explicat, allatis Antiquorum interpretationibus, vt nihil certè, nisi breuitas, ab eo desiderari videatur: breuius ego, & apertioribus omissis, obscuriora propono, & expono.

1 *Te igitur, clementissime Pater.*] Ad Patrem docente Christo dirigitur omnis oratio, *Florus in Expositione Missæ.*

2 *Sacrificia ilibata.*] Id est incontaminata, *Alcuin. cap. de Celebrat. Missæ. sine macula offerentis, Innoc. III. lib. 3. cap. 3. sine labè, Durand. lib. 4. cap. 36.*

3 *Pro Ecclesia tua sancta.*] Tua habet emphasim ad mouendum Deum, *Duran. loc. cit. Orthodoxis*, hoc est, rectæ gloriæ hominibus nullo errore deprauatis, *Alcuin. Florus, & Biel. lect. 24.*

4 *Vel qui tibi offerunt.*] Non modò Sacerdotes, sed etiam qui votis & oratione cooperantur, *Innocent. supra;* & qui eleëmofynam pro Missa dederunt,

aut alio modo celebrari curarunt, *Azor. lib. 10. cap. 36. quest. 13.*

5 *Et incolumitatis suæ.*] Pro corporali sanitate precamur, *Alcuin. & Innocent.*

6 *Reddunt vota suæ.*] Vota sua fidei & deuotionis, quæ sunt in libertate arbitrij, & idèd sua, *Innocent.*

7 *Communicantes.*] In Communionem Sanctorum valet Sacrificium, *Innoc. sed Microl. cap. 12.* ex interpretatione verborum, quæ fit in Festis quibusdam, colligit, non significari hanc communionem Sanctorum qui sunt in caelo, sed communionem Catholicorum fidelium.

8 *Oblationem seruitutis nostræ.*] Id est Cleri; & est patriæ, quæ soli Deo debetur, *Odo Camer.*

9 *Et cuncta familia.*] Id est totius assistentiæ collectæ, *idem Odo.* totius Ecclesiæ, *Florus.*

10 *In electorum tuorum inbeas gregem numerari.*] Vt annumeretur cum electis secundum præsentem iustitiam, vt habeat

habeat gratiam : nam alioquin certus est electorum numerus, *Biel. lect. 33.*

11 *Adscriptam.*] In numerum placitorum sibi receptam esse velit Deus, *Alcuin.* Adscribat & numeret inter grata, *Azor. supra cap. 37.*

12 *Ratam.*] Certam, permanentem; mutata substantia corruptibili in incorruptam, *Odo.*

13 *Rationabilem.*] Ut hominem verum pro hominibus offeramus, *Odo.*

14 *Acceptabilem.*] Quæ omnino placeat Deo, *idem.*

15 *Venerabiles manus suas.*] Venerationis mentione attentior fit Sacerdos ad opus futurum, *Card. Puccius Homil. 5. de Sacrific. Corporis Christi.*

16 *Elevatis oculis in calum.*] Omitunt Evangelistæ, sed Apostoli tradiderunt, *S. Thom. 3. par. quest. 83.*

17 *Gratias agens.*] Inde Eucharistia dicta, id est gratiarum actio.

18 *Benedixit.*] Ac deinde fregit, deditque discipulis : non enim fregit, & postea dixit, *Hoc est Corpus meum;* hæc enim est sententia communior Theologorum, *S. Thom. 3. par. quest. 78. artic. 1. ad 1. Biel. lect. 36.* & ita intelligendi sunt etiam Evangelistæ per postpositionem verborum locuti; & nos consecramus, frangimus, distribuimus, ait *Bessarion Card.*

19 *Ex hoc omnes.*] Tradidisse hæc verba Apostolos credimus, quamvis Evangelistæ omiserint; ut omnes vnum sint.

20 *Et hunc præclarum Calicem.*] Fit allusio ad Psalm. 22. *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* *Florus sup.*

21 *Hic est enim Calix sanguinis mei, &c.*] Omnia verba huius formæ sunt de substantia Sacramenti, *S. Thom. 3. par. quest. 78. artic. 3. sed Magister Sententiarum 4. dist. 8. cum Bonavent.*

& alijs docet, prima tantum verba quæ posuimus, esse de substantia formæ. *Idem habet Concil. Floren.*

22 *Novi & æterni testamenti.*] Supple confirmatio, quia per mortem Christi, & effusionem Sanguinis eiusdem novum confirmatur Testamentum; & consequenter fit immutabile, & æternum, *Durand. cap. 42.* Testamentum autem hoc loco est idem ac promissio. *Qui manducat meam carnem, &c. idem ibidem.*

23 *Mysterium fidei.*] Hoc est, Sacramentum fidei occultum, quod sola cernitur fide, *Odo Camer. interiecit Ecclesia, ut moneat, aliud esse in specie, aliud in fide, Ivo Carnot. cap. 264.*

24 *Hæc quotiescumque feceritis.*] Id sacrificaueritis. facere enim est sacrificare, *Exod. 29. Leu. 23.*

25 *In mei memoriam facietis.*] Præcisè Paulus: *Mortem Domini annuntiabitis, 1. Cor. 11.*

26 *Supra quæ propitio ac sereno vultu.*] Id est, propitio nobis, *Durand. lib. 4. cap. 43.* nam Deus est propitius Filio suo, qui est in Hostia, & Calice. Verba hæc ad offerentem referuntur, ut nimirum cum utilitate nostra offeratur, *Alexand. de Ales 4. parte quest. 37. de Offic. Missæ mem. 3. artic. 2.* Nominantur autem hîc Abel puer, à puritate, *Florus sup. Abraham, & Melchisedech, quorum fuerunt Sacrificia & nobiliora, & in hoc præsignando magè propria, Durand. d. cap. 43.*

27 *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui.*] Id est ministrari. Non enim petimus, ut Angeli perferat Corpus & Sanguinem in cælum; sed fidem, memoriam Passionis, vota fidelium, eo modo quo Angelus dicitur obtulisse orationem Tobix, *cap. 12. Altare*

in cælo est spirituale, *vt in Apoc. dicitur. & ex hoc loco S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 58. colligit, Angelorum Choros adesse Sacrificio.*

28 *Nobis quoque peccatoribus.*] Plañe pro seiplo orat Sacerdos, *Alber. Mag.* Debet enim quemadmodum pro alijs, ita & pro seipso offerre, *Hebr. 5. numero plurali vtitur, quia Sacrificium non est vnus personæ, sed militantis Ecclesiæ: gemendo ergo illud dicat, Amalar. lib. 3. cap. 26.*

29 *Partem aliquam & societatem.*] Partem, quia licet Deus totus detur, non tamen totaliter in cælo datur Beatis. vnde Dauid: *Dominus pars hereditatis meæ, Psal. 15. & item, quia datur secundùm differentiam meritorum, ex Innocent. III. lib. 5. cap. 8.*

30 *Cum tuis sanctis Apostolis, &c.*] Ante consecrationem postulatur Sanctorum suffragium, post consecrationem eorum consortium. Bis nominantur Sancti, quia sicut Sacerdos indutus sit superhumerali, in quo erant no-

mina Patrum, *Stepha. Euen. ait, vt orent pro nobis, cap. 18.*

31 *Non estimator meriti.*] Estimat merita Deus, contra Iouiniani errorem; sed precamur, vt ex sua liberalitate superaddat plura. Meritum etiam hoc loco significare potest peccatum.

32 *Semper bona creas.*] Vidit Deus quæ fecerat, & erant valdè bona; eadem nunc semper creat bona, *Alcum.*

33 *Sanctificas.*] Vt, quæ erant simplex creatura, sacra fiant, *idem.*

34 *Vniificas.*] Vt sint mysteria vitæ, *idem.*

35 *Benedicis.*] Omni benedictione cælesti, *idem.*

36 *Et præstas nobis.*] Ad fruendum, *Amalar. lib. 3. cap. 26.*

37 *Per ipsum.*] Vti per mediatorem, *Florus.*

38 *Cum ipso.*] Tamquã æquali, *idem.*

39 *In ipso.*] Tamquam consubstantiali, *Florus in Exposit. Missæ. Et hic finis Canonis esto.*



COMMENTARIA IN RVBRICAS MISSALIS ROMANI.

PARS TERTIA.

De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.



SACERDOS celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiae conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiae consecrandae, & ex parte formae adhibendae, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque alijs deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alij verò sunt defectus, qui in Missae celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediunt, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

Optima est diuisio in defectus substantiales, & in accidentales. Substantiales in tribus contingunt, vel in materia, vel in forma, vel in intentione Ministri; quae tria sunt necessaria ad substantiam Sacramenti. Accedit verbum cum intentione ad elementum, & fit Sacramentum. Accidentales multi esse possunt, neque ad certum numerum reduci possunt.

Collegit hos defectus in Missa ex sacris Theologis, & in Missalem librum transtulit nescio quis, anno 1557. Venetijs impressum. Pij verò V. & Clementis VIII. auctoritate recognitum Opus, quis ambigat, non prodijisse tandem numeris omnibus absolutum? adiecimus nonnulla ex modernis Theologis non contemnenda.

De defectibus materiae. I I.

Defectus ex parte materiae possunt contingere, si aliquid desit ex ijs, quae ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, & vinum de vite: & ut huiusmodi materia consecranda in actu consecrationis a sit coram Sacerdote.

Bb 3

a Sit

a *Sit coram Sacerdote.*] Certus terminus huius presentiae à solo Christo designari potest, ex Durando in 4. distinct. 11. quest. 6. num. 6. & Palud.

quest. 1. artic. 3. à nobis autem est moraliter diiudicandus ex humano more, quo dicitur res praesens, & est vsu Ecclesiae.

De defectu panis. III.

1. b **S**I panis non sit triticeus, vel si triticeus, c admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.

b *Si panis non sit triticeus.*] Vult esse triticeum Conc. Florent. in Decreto Eugen. ubi definitur necessaria materia Sacramenti; quidquid dicat Caietan. ibi loqui de necessitate praeccepti. vide Suar. disp. 44. sect. 1. part. 3. quest. 5. tum quia figura veteres sub tritico datae sunt; tum quia hic est panis communiter ad vsu hominum; tum quia ita decet, ob excellentiam tanti Sacramenti. Vbi verò dubitatur esse triticeus, ne adhibeatur, ex

Alano lib. 1. de Eucharistia cap. 11. Selica, seu secala, probabilius negatur esse triticum in Lombardia, Bonac. disput. 4. quest. 2. pun. 1. numero 2.

c *Admixtus sit granis alterius generis, &c.*] Hæc doctrina est S. Thomae 3. par. quest. 74. artic. 3. ad 3.

Sed, quid si panis confectus sit ex amylo? S. Thom. ibidem negat, quia amyllum fit ex tritico corrupto. Vide fufius Suar. disp. 44. sectione 2.

2. *Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur.*

Negat S. Thom. artic. 7. ad 3. supra. affirmat Caiet. ibidem.

3. *Si cæperit corrumpi, sed non sit corruptus, similiter 2. si non sit corruptus, secundum morem Ecclesiae Latinae, conficitur, sed 3. conficiens graviter peccat.*

Prima pars propositionis est sancti Thom. sup. artic. 3. ad 4. Altera est Conc. Florent. & communis. Tertia pars est item communis, de Celebrat. Miss. cap. Litteras. An verò detur casus, quod possit Latinus in Ecclesia Græca

consecrare in fermentato licite, vide Suarez ubi supra sect. 3. in fermentato numquam licet apud Latinos, etiam si urgeat necessitas alicuius in periculo mortis, Suarez sect. 3. in fine Vnum verò.

4. *Si Celebrans ante consecrationem adverterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat, & facta oblatione, d saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desinit.*

d Saltem

d *Saltem mente concepta.*] Ex quo non est necesse eam eleuare ante oculos super Patenam, neque facere cum ea, vel super ea signum Crucis, vt fecit in oblatione Hostiæ: sed eam simpliciter deponat super Corporale, si id aduerterit inter oblationem Calicis & consecrationem.

5 *Si id aduerterit post consecrationem, etiam post illius Hostiæ summptionem, posita alia, faciat c oblationē vt supra, & f à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, Qui pridie quàm pateretur, & illam priorem si non sumpsit, & sumat post summptionem Corporis & Sanguinis, vel alij sumendam tradat, vel alicubi reuerenter conseruet. h Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam quam consecrauit: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quàm quòd à ieiuniis sumatur.*

e *Oblationem vt supra.*] Id est, saltem mente concepta.

f *A consecratione incipiat.*] Est communis sententia.

g *Sumat post summptionē, &c.*] Ad cau-

telā sumat, aut ob reuerentiā cōseruet.

h *Si autem sumpserat, &c.*] Ratio addita communis est apud Theologos.

Lege *Suar. 3. part. disp. 75. sec. 6. ex S. Thom. ibid. quest. 83. art. 6. ad 4.*

6 *Quòd si hoc contingat post summptionem Sanguinis, apponi debet rursus nouus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, vt supra, Sacerdos consecret incipiendo ab illis verbis, Qui pridie, ac statim sumat vtrumque, & prosequatur Missam: ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt l debitus seruetur ordo.*

i *Ac statim sumat vtrumque.*] Si ne eleuatione, vt ostendat populo; omittis quæ sequuntur in Canone vsque ad summptionem inclusiuè, ne populus, si fieri potest, cognoscat erratum esse.

l *Debitus seruetur ordo.*] Iuxta *Conc. Tolet. VII. cap. 1. vel 2. secundum alios.* Ordo verò est, vt corpus prius præexistat, antequam ex eo fundatur sanguis: in Calice namque representa-

tur effusio Sanguinis; ergo Hostia, in qua Corpus Christi est ex vi verborum, debet consecrari prius.

Suar. tamen loco citato tenet, non esse ita necessarium hunc ordinem necessitate Sacramenti, sed tantummodo necessitate præcepti: nam consecrata Hostia post Calicem, statim representatur Sanguis distinctè à Corpore Christi, quod sufficere videtur ad integritatem Sacrificij.

7 *Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, vt vento, m aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc altera consecratur, ab eo loco incipiendo, Qui pridie quàm pateretur, facta eiu prius oblatione, vt supra.*

m *Aut*

m Aut miraculo.] Miraculum est à Deo solo, qui videtur tunc acceptare Sacrificium eo modo oculis nostris imperfectum; & ideo non est in rigore necesse ut alia Hostia consecretur. ita *S. Tho. 3. par. quest. 82. art. 4. ad 3.*

vbi tamen consulit, ut iteratò consecretur, & hoc habet Rubrica, uti tutius & securius in reliquis casibus huius Rubricæ præceptum est, non consilium, ad integritatem Sacrificij, *Suar. 3. par. disp. 85. sect. 1. Quinto.*

De defectu vini. IV.

1 **S**I vinum sit factum penitus ⁿ acetum, vel penitus putridum, vel ^o de vis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum.

n Acetum.] Non fit Sacramentum, *sanctus Thom. 3. par. quest. 74. artic. 5. ad 1.*

o De vis acerbis, &c.] Habet san-

ctus Thom. ibid. ad 3. vinum ex aqua miraculosum est apta materia, *Henriq. lib. 8. cap. 12.* & vinum etiam congelatum, *Suar. disp. 45. sec. 1.*

2 Si vinum cæperit ^p acescere, vel ^q corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel ^r mustum de vis tunc expressum, vel non fuerit ^s admixta aqua, vel fuerit admixta ^t aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

p Acescere.] Fit Sacramentum, cum peccato tamen, *sanctus Thomas supra ad 2.*

q Mustum de vis tunc expressum.] Est Iulij Papæ, de *Consecr. Dist. 2. cap. Cum omne crimen.* & ex necessitate conceditur; sed abstinendum est omnino, ob irreuerentiam & indecentiam, ait *Suar. loco citato disp. 45. sect. 1.*

r Admixta aqua.] Misceri aqua vinum, est de præcepto Ecclesiæ tantum, *Trident. Sessio 22. cum quo*

præcepto stat quoque præceptum Christi, qui neque voluit aquam de necessitate Sacramenti, *Suar. loco citat.*

s Aqua rosacea.] Conficitur Sacramentum; quia aqua non est de necessitate Sacramenti: sed peccaret contra præceptum negatiuum, de non miscendo aliquid in materia Sacramentorum, præter Christi institutionem, & consuetudinem Ecclesiæ, *sanctus Thom. quest. 74. artic. 7. ad 3.*

3 Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, aduertat aut vinum, aut aquam, aut vtrumque non esse in Calice, debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis, Simili modo, &c.

4 Si post verba consecrationis aduertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & consecret, resumendo à verbis prædictis, Simili modo.

- 5 Si hoc aduertat post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aqua, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, & consecret, & sumat, quamuis non sit ieiunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad euitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cetera.

Prima pars Rubricæ posterioris est S. Thomæ 3. part. quæst. 83. art. 6. ad 2. altera verò pars est Soti 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 6. ad 4. cuius eadem ferè sunt verba Rubricæ; item Nauarri cap. 25. num. 21. & est magis practica. ¶ Quamuis non sit ieiunus.] Ita sanctus Thom. loc. cit. art. 6. ad 2. addit Angelus cum Silu. si Sacerdos, dum in ore

habet potum, prius quàm deglutiat, sentiat non esse vinum, nõ debet consumere, sed in Calicem emittere, & post Sanguinis sumptionem illud resumere: sed moraliter est difficillimum, & idè sine scrupulo potest deglutire primum, & consecrare, & sumere secundum. ita Suarez loco cit. disp. 85. sect. 1. ad primam confirmationem.

- 6 Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel aliàs corruptum, idem seruetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel salam aquam fuisse appositam in Calice.

Eadem est ratio deficientis materia ad Sacrificium integrum: si tamen Sacerdos pergat in Missa, & ex ignorantia, vel inopinati casu per-

turbatione non obseruet, non per hoc mortaliter peccat, ex Nauar. cap. 25. Mun. num. 91. & Sa verbo Missa num. 31.

- 7 Si autem Celebrans ante consecrationem Calicis aduertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id aduertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

Prima pars est manifesta. Adde tantum, esse benedicendam aquam de more. Secunda pars est S. Thom. loco

cit. art. 6. ad 4. Ne, inquit, sequatur corruptio Sacramenti pro aliqua parte, quod docuerat q. 77. art. 8.

- 8 Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absoluen-
C c ad

ad speciem deficientem. Quòd si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum.

u *Si nullo modo haberi possit.*] Imò si difficillimo modo haberi possit, & notabilis inde oriretur offensio populi, Missa absolueda erit absque materia deficiente, siue Hostiæ, siue vini; quia maioris est vinculi Ius naturale quàm diuinum scriptum, aut positium, *Azor. lib. 10. cap. 35. quest. 6.*

An verò Summus Pontifex possit relaxare Ius diuinum ad effectum, vt Sacerdos ob ingentem necessitatem in solo pane sine vino sacrificet? *Azor. lib. 10. cap. 19. quest. 3. vers. Secundum est,* putat probabilem affirmatiuam sententiam, ob publicam necessitatem, & grauem. Probabiliorem negatiuam docet *Suar. disp. 43. sect. 4.*

Quæri potest in prædictis casibus de aqua, quæ, ob breuissimum tempus ab infusione eiusdem in Calicem vsque ad Calicis consecrationem, non potest conuerti in vinum, vt aliàs dicitur, An remaneat aqua mixta spe-

ciebus vini; an verò & ipsa statim immediatè transubstantietur in Sanguinem Christi? sed, quidquid sit de conuersione aquæ in vinum, de qua disputant Philosophi, quam tamen affirmant SS. Patres & Theologi Scholastici, si ob angustiam temporis non fiat conuersio, non putamus absurdum, quòd remaneat aqua substantialiter aqua, cum non sit neque materia, neque commateria immediata Sacramenti; sed ea solum infunditur ad mysterium vnionis populi cum Christo, vt suo loco diximus. Neque idè adoramus aquam, sed Christum sub specie vini aqua permixti: sicuti neque si cadat in Calicem musca, eam dicimur adorare. Scripsere de hac re fusiùs Paulus Aretius Episcopus Derthonensis, & in oppositam sententiam Hyacinthus Petronius Magister sacri Palatii, nunc Episcopus.

De defectibus formæ. V.

Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex quibus ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma huius Sacramenti, sunt hæc: Hoc est enim corpus meum. Et, Hic est enim calix Sanguinis mei, non solum huius æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed grauissimè peccaret.

Notanda est hoc loco singularis doctrina *Suar. 3. par. disp. 85. sect. 1. Secundo.* quòd si contingat defectus el-

fentialis in forma, vel in altera, vel in vtraque, nempe cum mutatione sensus verborum consecrationis, inconficanda est conse-

consecratio, ut perficiatur Sacrificium; & si contingat id cognosci post summptionem Corporis, vel speciei non ritè consecratæ, iteranda est item talis consecratio, appositâ materia quæ non fuit consecrata, *iuxta Rubric. sup. tit. 4. num. 5. & titulo 3. num. 6.* quia eadem est ratio ineptæ materiæ, & materiæ sine forma. Imò etiam, si id contingat fieri ex malitia ministri mutantis formam, vel non habentis intentionem, nihilominus debet post summptionem supplere defectum, pœnitendo de priori culpa quam commisit, & reuerenter supplendo, ut dictum est.

Quod si defectus accidat in vtraque specie, & iam vtramque sumpsit, non est quod suppleat; quia Sacrificium nullum fuit, sed totum fictum, & eo casu nullum est præceptum de faciendo vero Sacrificio, neque de supplendo quod non est inceptum, neque ex parte: & obligat tunc aliud præceptum de non sacrificando, fracto ieiunio.

Porro *S. Thom. q. 78. art. 3.* vult, excepto enim, omnia verba formarum prædictarum esse de essentia Sacramenti; communior autem antiquorum sententia est, ea non esse. Vide *Suar. disp. 60. sect. 1.*

- 2 Si Celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. ^a Si tamen certò ei constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem. ³ Si verò valde probabiliter dubitat, se aliquid essenziale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. ⁴ Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

Prima pars est *sancti Thom. sup. artic. 6. ad 5.* Altera pars est *eiusdem ibidem.* Sed cum hîc dicatur, resumat ipsam formam, quid resumendum erit? sanè verba ea tantum, quæ suprà *num. 1. huius tituli* posita sunt tamquam essentialia formæ, quidquid dicant *Ang. Palud. & Scotus.* ita *Suar. loc. citato.* In tertia parte Rubricæ, quæ est communis, eo mo-

do tollitur dubium, & periculum iterandi consecrationem super materiam consecratam. Quarta pars patet, & confirmat secundam partem huius Rubricæ, de non resumendo, nisi essentialia formæ.

Ceterum non est necesse in prolataione formæ, ut sonus verborum attingat Hostiam, vel Calicem, *Suar. disp. 45. sect. 5.*

De defectibus Ministri. VI.

Defectus ex parte Ministri, possunt contingere quoad ea quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt: In primis intentio, deinde dispositio anime, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quoad ea quæ in ipso possunt occurrere.

Divisio in has quinque species dici debeat essentialis, reliquæ acci-
defectuum ea est, ut prima tantum dentales.

De defectu intentionis. VII.

1 *SI quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere. 2 Item si aliqua Hostia ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt. 3 Item si quis habeat coram se undecim Hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. 4 Secus, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecrata: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.*

Prima pars sacrilegium enormissimum continet: & si fictionis pœniteat ante sumptionem, potest resumere formam, non ex vi præcepti perficiendi Sacrificium, quod nondum incepit, sed ex vi præcepti non fingendi falsum in hoc ministerio, & consequenter non perseverandi in fictione, nec sumendi potum & cibum per modum Sacramenti, quod non est, nec dandi alijs occasionem ado-

randi merum panem & vinum. post sumptionem verò ficti Sacramenti feruetur quod diximus supra ex *Suar. tit. 5. num. 1.* Altera pars nullam habet difficultatem. In tertia *Mayor distinct. 11. q. 2. Durand. q. 7. & communiter* concordant; quia non est maior ratio, cur ista vel illa sit consecrata. Quarta pars manifestè sequitur; quia materia est determinata intra terminum intentionis.

2 *Si Sacerdos putans se tenere unam Hostiam, post consecrationem inuenit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul utramque. 2 Quod si deprehendat post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post abluionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, siue parue sint, siue magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant.*

In prima parte, quæ est *Auctorum paulo supra citat.* ratio ea est, quia ambæ sunt consecratæ; cum illud putans dicat tantum priuatam deceptionem, quæ non tollit intentionem debitam, quæ esse debet, & moraliter est circa hanc præsentem materiam, *Suar. disput. 43. sect. 6.* Secunda pars

est *Soti 4. dist. 12. q. 1. art. 8.* qui tamen distinguit particulas in parvas & magnas, atque has vult in Pyxide asseruari; contra quem *Azor. lib. 10. c. 30. quæst. 1.* qui cum Rubrica concordat, sublata omni distinctione, ea nimirum ratione, quia eæ omnes reliquæ sunt Sacrificij. vnde & addit, *sumenda esse*

esse statim, alioquin post notabile temporis intervallum elapsum, censetur Sacrificium absolutum, & proinde particulae non sumerentur ut reliquiae, sed per se, quod facere non li-

cet. *Tabiena* concedit absolute v. *Missa num.* 42. eas posse sumi, & sumendas esse, nulla habita distinctione reliquiarum, neque temporis, dummodo pertineant ad eandem Missam.

- 3 *Si verò relicta sit Hostia integra cōsecrata, eam in tabernaculo cum alijs reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporali decenter opertam, sumendam unà cum altera quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice seu Patena decenter conseruet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quòd si non habeat quomodo honestè conseruetur, potest eam ipsemet sumere.*

Est casus euentu difficilis; si tamen accidat, optimè Rubrica docet, secu-

ta Sotum, de particulis magnis seruandis, ut supra.

- 4 *Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter euagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.*

Quod hic dicitur de ordinaria materia consecranda in Missa, intellige etiam, quando plures particulae ponuntur super Altare, ut consecrentur, & in actuali consecratione non recordatur illarum Sacerdos, sed eius tantum quam in manibus habet; tunc enim omnes sunt consecratae, *Angel. in verbo Euchar. num.* 27. *Navar. cap.* 25. *num.* 91. debent tamen esse praesentes intra Altam, non extra eam, inquit *Suarez disput.* 43. *sectio* 6. alias non aestimaret illas consecratas esse; sicut etiam existimat, id totum in Calice consecratum esse, quod per modum continui in eo continetur: guttae verò quae sunt extra Calicem,

aut intra, sed separatae à toto, verisimilius putat quod non sint consecratae, neque intentione virtuali intentae. & eo magis erunt consecratae particulae posita in Pyxide, ubi aliae adsunt alias consecratae, *iuxta placitum Possuini de Officio Curati cap.* 2. *num.* 20. quod tamen prohiberem fieri. Certè si fiat, genuflexiones plures addendae erunt ab Offertorio ad Communionem; neque circulus perficiendus erit ad *Orate fratres*, propter consecratas particulas in illa Pyxide.

Item, si Pyxis non aperitur tempore consecrationis ex obliuione, fit tamen consecratio, ex *Suarez disp.* 43. *sect.* 5.

De defectibus dispositionis animæ. VIII.

SI quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonicè impeditus, celebret; conficit quidem Sacramentum, sed gravissimè peccat, tam propter Communionem, quam indignè sumit, quam propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.

Nota, quòd valor ille Missæ, qui est ex parte precù Ecclesiæ, omnino perditur, ex *S. Thom. q. 82. art. 7. ad 3.* quia Ecclesia nō intendit orare nomine suo, ore præcisorum ab ea per excommunicationem notoriam. Fufius *Suar. disp. 77. sect. 2.* Quòd si imminet mortis, infantiæ, aut scandali periculum, poterunt prædicti cum contritione celebrare, *Azor. lib. 10. c. 31. q. 6.*

2 Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

3 Si quis autem in casu necessitatis, non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus si conteratur: debet tamen, cum primùm poterit, confiteri.

4 Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

5 Si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum: similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deferere.

Supradicta fundantur in verbis sancti Pauli 1. Corinth. 11. Probet autem seipsum homo, &c. & in Decretis Concilii Trident. Sess. 13. c. 4. & can. 11. lege *Suar. 3. par. disput. 63. sect. 3.* nam Concil. Trident. ponit duas circumstantias, quæ debent concurrere, ut liceat celebrare sine Confessione. Necessitate, inquit, urgente, & modo desit copia Confessoris.

Necessitas vrgens in his casibus erit; Primò, absoluendi inchoatum iam Sacrificium, ut perficiatur. Item necessitas alterius in periculo mortis existentis, pro quo communicando

facienda est Missa. Item, si omitendo Missam scandalum oriretur; dico scandalum, non autem quædam admiratio populi, quæ, ex *Corduba quest. 142. citante alios*, non sufficit. Item, quando tenetur ex officio facere Sacrum; quam causam præsertim indicat Tridentinum. Necessitas igitur attendatur, non commoditas, ex *Suar. ibidem sect. 4.*

Inopia verò Confessoris dicitur esse, quando verè non adest qui absolute à peccato mortali possit, quo reus est Sacerdos celebraturus; vel longius abest quàm adiri commode queat. Item,

Item, quando, etiam si adsit Confessor, timetur verè de eo, quòd ob non seruatum sigillum, aut aliam ob causam, graue damnum sequeretur celebraturo. ita *Sila. verbo Confessio* 1. §. 2. tamen confiteatur alia peccata, tacito tantùm eo, in quo est periculum. ita *Maïor* 4. dist. 17. quæst. 5. & *Naïar.* cap. 7. num. 6. Sicut etiam idem facere debet, si reseruatum casum habeat, neque adire potest Episcopum, neque obtinere absolutionem. Porro contritionem esse necessariam, omnes fatentur ex *Trident. supra cit. ibi: Sibi contritus videatur.*

Quid autem agendum erit ante consecrationem? Si ante inchoatam Missam recordetur se esse in peccato, confiteatur, etiam si oporteat exui sacerdotibus, *Scor. d. 9. quæst. 1.* quia sacra actio non est incepta. citra scan-

dalum intellige, vt etiam in sequentibus. Si Missa est inchoata, & facillè potest Confessor accedere ad Altare, fiat, *Bonan. 4. d. 13. Siluest. v. Euchar. 2. quæst. 6.* quia illa pars Missæ est extrinseca Sacrificio, & potest interrumpi, sicut per Concionem, oblationem populi, &c.

At *S. Thom. quæst. 83. artic. 6. ad 2.* dicit, tutius esse relinquere Missam, maximè in casu excommunicationis (quem sequitur Rubrica) vbi tamen indicat, non esse præceptum, sed consilium, deserere inceptam Missam, dum dicit, *tutius esse. & sanctus Bonauentura supra negat, deserendam esse Missam; negatque, teneri Sacerdotem discedere ab Altari vt confiteatur.* Debet autem, cum primùm poterit, confiteri, ex *Concilio Tridentino loco citato.*

De defectibus dispositionis corporis. IX.

1 **S**I quis non est ieiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicine, & in quantumcumque parua quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

Est doctrina *sancti Thomæ* 4. part. quæst. 80. art. 8. ad 4. ex *Conc. Africano* cap. 8. *Carth. III. cap. 29. & cap. 48.* vbi asseritur, in Concilio Nicæno fuisse hanc eandem consuetudinem sumendi Eucharistiam ante omnem cibum confirmatam: non aiunt, institutam; quia manat ab Apostolis. *Clemens Epist. 2.* dicit, se à *S. Petro* hoc

accepisse. Neque verò etiam, vt detur Viaticum ægrotò, poterit non ieiunus celebrare; contra *Maïorem, Azor. cap. 30. & Suar. sect. 5. lege Suar. disp. 68. sect. 3. & 4.* De quavis minima quantitate cibi aut potus expressè loquitur *Concilium Tolet. VII. cap. 2.* imò & de papyro traiecto & eiecto, docet *idem Suar. ibid. m.*

2 Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat, sed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

Hæc *S. Thom. ibidem ad 5.*

3 *Si reliquie cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lauando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.*

Ita S. Thom. ibidem ad 4. qui vult, quantitatem vini vel aquæ esse valde parvam, ut permisceatur salivæ inseparabiliter. unde in Rubrica *stilla aquæ* nominatur. Notat Suar. sect. 4. necessarium esse, ut manducatio præcesserit mediam noctem: nam si aduertat Sacerdos post mediam noctem, habere in ore reliquias cibi, & eas ex certa scientia deglutiatur, violat ieiunium naturæ necessarium ad Communionem, ex Palud. 4. dist. 8. art. 2. num. 21. expuantur igitur potius quàm traiciantur.

Duo tamé non ieiunio Sacerdoti conceduntur. Primú, ut possit sumere particulas siue à se siue ab alio consecratas, si nequeant conseruari sine maiori

irreuerentia: quia ieiunium est ad reuerentiam sine præiudicio maioris irreuerentiæ; & præsertim, si timeatur incurfus hostium, Bonac. cum alij. disp. 4. quest. 6. pun. 2. qui etiam addit, quod licet multo tempore se detinuerit Sacerdos in distribuenda Eucharistia, potest adhuc tamen reliquias sumere, & vasa purificare, si distribuatur coniunctim cum Missa. Alterum est ad supplendum Sacrificium; de quo mox dicemus tit. 10. num. 3. Concedit Toletus lib. 2. cap. 1. num. 2. celebrationem illi, qui omnino immemor cibi sumpti aut potus, recordatur deinde post consecrationem, se non esse ieiunium; ac etiam ante consecrationem, si scandalum imminet.

4 *Si plures Missas in vna die celebret, ut in Natiuitate Domini, in vnaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in vltima tantum percipiat purificationem.*

Prohibemur de Celebr. Miss. cap. Ex parte. ab Innocen. III. in priori Missa sumere Calicis abluitionem; quamuis non sumi soleat ob nutritionem, sed ob reuerentiam Sacramenti: quare, si in prima Missa sumitur ablutio, imò aqua per errorem pro vino consecrata, frangitur ieiunium, & alia Missa celebrari non potest.

Nota ea verba, *in aliquo vase mundo*, non in Calice Missæ, ne vinum

ablutionis sit deinde materia consecrationis. Ceterum ipsamet ablutio digitorum si non sumatur à Celebrante in tertia Missa, sumi debet ab alio qui sit ieiunus, ob reuerentiam fragmentorum, quæ fortasse ibi sunt corrupta; vel in Sacramentum fundenda erit, quod etiam nota pro ablutio digitorum, quæ fit in ordinaria Communionem populi extra Missam.

5 *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione quæ sit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communionem & celebrationem, nisi aliud Confessio*

Confessario videatur. Si dubium est, an in precedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed euenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusionem, potest communicare & celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta euenierit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

Est sancti Thom. 3. par. quest. 80. *Episc.* Sed pollutio, etiam voluntaria, per confessionem purgata non impedit, nisi ob congruentiam.

De defectibus in ministerio ipso occurrentibus. X.

Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut, si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea: si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem, communiter: si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus: si vestes sacerdotales & mappa non sint ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedicta: si non adsit clericus, vel alius deseruiens in Missa, vel adsit qui deseruire non debet, ut mulier: si non adsit Calix cum Patena conueniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, non area, vel vitrea: si Corporalia non sint munda, que debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superius dictum est: si celebrat capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

Numerantur hinc quatuordecim casus grauiores, in quibus ut plurimum accidit peccatum mortale, si fiat contra regulas hoc loco significatas; de quibus nos egimus supra in prima part. Rubricarum tit. 20. & secunda part. tit. 1. & 2. nisi excuset ignorantia, vel obliuio, &c. Azor. lib. 10. cap. 29. quest. 6. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum Sess. 22. & Pius V. initio Missalis hoc tradit,

ut secundum ritum, normam & modum à se traditum Missam decantent omnes, ac legant. Vnde non licet mutare hunc ordinem Missæ; non dico mutare Missam, & eam dicere alterius diei quàm in Missali præscribatur, ut notat Suar. 3. part. disput. 83. sect. 3. sed mutare omitendo aliquid, quod pertineat ad integrum Missæ ritum. multò verò minus addere licet quidquam, quod expressius

D d

pressius

pressius cautum est in *Trid.* & prædicta Bulla *Pij V.*

De rebus autem, an sint benedictæ, necne, non tenetur semper interrogare

Sacerdos, *Azor. lib. 10. cap. 17. quest. 11.* quæ verò non sunt vlti amplius, comburantur, ex *Clem. Epistola 2. & Summistis.*

2 Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursum hostium, vel alluionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omisis omnibus alijs.

Ratio est manifesta, quia ante Canonem nondum est inceptum Sacrificium; post Canonem verò est perficiendum: post inchoatum scilicet Ca-

nonem, qui desinit in fine seu principio Orationis Dominicæ. Qua de re vide supra *par. 2. tit. 10. nu. 1. pag. 159.* incipit autem Canon à *Te igitur.*

3 Si Sacerdos ante consecrationem grauer infirmetur, vel in syncope inciderit, aut moriatur, præmittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa^x per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, y ubi ille desijt, & in casu necessitatis^z etiam per non ieiunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen ut possit communicare, & non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, a diuidat Hostiam, & vnâ partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obijt Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppletur. Si verò obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem Calicem repetat integram formam, ab eo loco, Simili modo postquam cœnatum est, vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum^b semiconsecratum.

x Per alium Sacerdotem expleatur.] Ita *Concil. Tol. VII. in cap. Nihil. 7. q. 1. & S. Thom. 3. par. quest. 83. art. 6. ad 1.* videtur indicare Iuris esse diuini, ut tunc Sacrificium expleatur; & est probabilior sententia quàm eorum, qui id tantum concedunt ubi adest populus. Vide *Azor. lib. 10. c. 33. quest. 1.*

y Vbi ille desijt.] Si prior inchoauerit tantummodò formam Sanguinis, alter eandem integrâ proferet, *Azor. ubi supra*; si verò nesciatur ubi desierit, incipiatur à *Simili modo*, &c. vel si consecrauit vtramque speciem, incipiatur ab *Vnde & memores*. Si dubitatur de consecratione Hostiæ, incipiat

tur à Canone, *Suar. disp. 85. sect. 1.* & sub conditione mente retenta consecret, vel aliam (quod melius est) consecret Hostiam, & priorem sumat post sumptionem Sanguinis.

z Etiam per non ieiunium.] Ex eodem Concilio Toletano; quia, inquit, ex utraque persona vnus minister Christi componitur. Vide *Suar. 3. p. disput. 66. sect. 6. cum Soto 4. dist. 13. quest. 2. ad 6.* qui concedit *ibidem*, Sacrificium expleri posse à Sacerdote excommunicato irregularique, si cesset scandalum; quem sequitur *Suar. loco cit.*

a Dimidat Hostiam.] Ita conuenit, quia partem habuit ille prior in consecratione, ergo etiã in sumptione. *Suar. 3. par. disput. 85. sect. 2.* ex causa rationabili concedit *cum Palud. 4. dist. 12.*

quest. 1. artic. 5. conclus. 2. & Siluest. Euchar. 2. quest. 10. §. 7. posse dari partem Hostiæ ad communicandum laicum; quia & antiqui referuabant tertiam Hostiæ partem pro infirmis, *cap. Triforme. de Consec. d. 2. Sergij.* ergo & multò magis infirmo huic Sacerdoti.

b Semiconsecratum.] Sumat hunc Calicem ante ablutionem; qui idè dicitur semiconsecratus, quia de primis verbis consecrationis Calicis dubium est, an sufficiant pro forma. vnde etiam adorandus erit sub conditione, *Scot. 4. dist. 8. quest. 2.*

At, dato nouo casu, quod ille obierit post sumptionem tantum Hostiæ, tunc alter sumat tantum Sanguinem qui remansit, *Henriq. lib. 9. cap. 41.* & vtrique fit satis.

4 Si quis extra huiusmodi casus necessitatis, integra Sacramenta non sumperit, grauissimè peccat.

Ita *Concil. Trid. Sess. 21. cap. 1.* & *clarius sess. 22.* fusiùs *Suar. 3. par. disput. 43. sectione 3.* Integra verò Sa-

cramenta sunt vtraque species, non autem quæcumque consecrauit Sacerdos, vt patet.

5 Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, c offerat vt supra, & prosequatur Missam: d si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lauet cum vino; finita Missa comburat, & combustio ac lotio huiusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec vllum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

c Offerat vt supra.] Id est, mente concepta oblatione.

d Si post consecrationem, &c.] Est *S. Thom. 3. par. q. 83. artic. 6. ad 3.*

6 Si aliquod venenosum ceciderit in Calicem, vel quod prouocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò consecrandum: & 2 finita Missa Sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu seruetur, do-

D d 2 nec

nec species vini fuerint desiccatae, & tunc stuppa comburatur, & combustio in sacrarium projiciatur.

Prima pars est *S. Thom. quest. 83. artic. 6. ad 3.* ne Calix vitæ, inquit, sit in mortem. ex quo patet sufficere, si vinum nunc consecratur ad summationem, non autem ad integritatem consecrationis, quæ verè facta fuit in utraque vera specie. Altera pars, vltimaque ad combustionem stuppæ, est contra *Palud. dist. 9. quest. 1.* & *Silv. Euch. 2. quest. 9. §. 3.* & alios, qui sacrilegium putant, species comburere, quod verum esset, si in illis Christus esset, sed exsiccatis speciebus desinit ibi esse Christus.

7 *Si aliquod venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat eo modo quo dictum est, & illa seruetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in sacrarium.*

Adde hoc loco, quòd ea quæ sunt à fulmine tacta, venenata censentur, ex *Genuen. in sua praxi Neapol. cap. 49.* Qui casus accidit anno 1601. in Calice à fulmine tacto post consecrationem; & ita fuit à Doctoribus decisum.

8 *Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat.*

Duobus ergo modis sumi potest. & primus est *Scoti 4. distinct. 8.* alter est *Silvestri verbo Eucharistia. 2. questione 9. & aliorum.* & patet in *Parasceue*, quando particula sumitur cum vino puro. Uterque à Rubrica conceditur; at secundus magis placet.

9 *Si Hostia ante consecrationem inueniatur fracta, nisi populo euidenter appareat, talis Hostia consecratur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quòd si illius Hostia iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quòd si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.*

Continet Rubrica opportuna remedia, quorum ratio est manifestissima.

10 *Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam proficiatur, faciendo caerimontas & signa consueta cum residua parte Hostia, quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si verò tota fuerit*

fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, & sumat pariter Corpus & Sanguinem, signans se cum Calice, & dicens: Corpus & Sanguis Domini nostri, &c.

e *Nihil est reiterandum.*] Docet Rubrica addita consona sunt casui, vt S. Thom. sup. art. 6. ad 6. reliqua in verba respondeant actioni.

11 *Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, inuoluatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in feruenti aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.*

Si fingatur casus, non posse lique- in particulas redigi, vt fumi possit, fieri, tunc poterit digitis comminui, & *Suar. disput. 85. sectione 1.*

12 *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, siquidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus ipse radatur quantum satis est, & abrasio comburatur; cinis verò in sacrarium recondatur. Si verò super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus benè abluatur, & ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum Altaris, & ad aliud linteum stilla peruenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, Calice supposito, & aqua ablutio in sacrarium projiciatur. Quòd si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotibus ceciderit, debet similiter abluì, & ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, vt supra.*

Est Decretum Pij Papæ I. cap. Si imponendæ arbitrio Superioris: nec per negligentiam. de Consecr. Dist. 2. vllam tenetur Sacerdos subire nisi & explicatur à S. Thoma supra art. 6. impositam; Deo tamen satisfaciatur. ad 7. Sed adde Primò, à Sacerdote Tertio, aliqua adduntur in Rubrica tantum ea fieri debere quæ Rubrica satis similia prædictis, de quibus non hæc iubet, *Suar. disp. 85. sect. 1.* meminit Pius; vt, quando cadit super Secundo, multa esse antiquata per hanc vestes Sacerdotis, pannum, & tape- Rubricam ex ijs quæ Pius hac de re te substratum. statuerat; cuiusmodi sunt, abscissio Quid si cadat Sanguis super barbam? vestium & combustio, intra Altare *Barth. ab Ang. Dialog. 5. §. 713.* vult eam abluì, & comburi: sed videtur combustorum repositio, sumptio lo- sufficere, si barbâ pluries lauetur, cui tionis. Pœnæ quoque non sunt in vsu, & ideo in Missali omittuntur, vt no- parcendum est magis quàm tapeibus, tar *Suar. ibidem*, quæ erunt deinceps de quibus supra.

13. *At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid ^f vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est. & Si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum & aquam, & consecret ab eo loco, Simili modo postquam cœnatum est, facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra.*

f Vel parum.] Sufficit ad integritatem Sacrificij.

g Si verò nihil.] Suppleatur, ut dictum est supra ex S. Thom. ibidem ad 3.

14 *Si Sacerdos euomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reuenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur.*

Regula generalis est, si species Sacramentales integræ vel in aliqua particula haberi possunt, reuenter seruandas esse, vel sumendas, quia sub eis manet Christus: & similiter fiat, ut in hac Rubrica dicitur, si à mure sumantur, aut ex Eucharistia vermes generentur. Ea verò quæ tales species contigerunt,

vel comburenda, vel purificanda sunt, iuxta prædicta, *Suar. loco cit. sect. 1.*

Vomitus etiam potest esse, & licitè, voluntarius, quando monitus est Sacerdos de speciebus à se sumptis, quod venenatæ sint, ex *Tabien. verbo Missa. num. 32.* eadem ratione quæ supra *num. 6.* allata fuit.

15 *Si Hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuenter accipiatur, & locus ubi cecidit, mundaetur, & aliquantum abradatur, & puluis seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.*

Patent ob reuerentiam Sacramenti hæc fieri. Quod si fragmentum nequeat discerni, pluries linteum lauetur, non autem comburatur, *Henriq. cap. 28. num. 4. cum Sor. d. 10. quæst. 2. artic. 8.*

In casu dubio consecratæ Hostiæ quæ reperitur apud veneficum, seu sacrilegum, aut circa Altare, ubi proximè fuit celebratum, aut quando particula Patenæ parti posteriori

hæreat, ita fixè (quod mihi accidit) ut subeat suspicio, de consecratis in præcedenti Missa particulis eam vnam esse posse; quid erit agendum? In huiusmodi casibus nulla solemnitas est adhibenda luminarium, & eiusmodi, sed adoranda erit sub conditione, reservanda in Tabernaculo, seu intra Corporale, & sumenda à Sacerdote ante Calicis abluionem in proxima Missa. quod si fortè sit deturpata, ut naufragam

nauseam moueat, fiat vt dictum est supra num. 7.

Quod attinet ad sacrarium, de quo sæpe in his Rubricis, rem & vocabu-

lum habemus apud S. Clementem Epist. 2. de Cons. Dist. 1. cap. Altare. est autem Piscina sacra, vt loquuntur alij.

16 Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus & carimonias ipsas in eo seruandas: de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiosè dictum est.

Hoc loco distinctione est opus: nam si omittit aliquid de Rubricis primi ordinis, vt *Gloria in Excelsis*, *Credo*, *Commemoratio de Sancto*, & eiusmodi, & recordetur in progressu Missæ, non debet repetere, nec regredi, *Silu. Missæ* 1. quest. 5. §. 4. & 5. dissonum enim esset, & scandalosum potius. Commemorationem autem de Sancto debet addere inter Orationes secretas, & post Communionem, licet inter Collectas eam omiserit, si opportunè recordetur. inter vltimas non dicerem, si neque inter secretas dixissem; sed in sacristia post depositas vestes supplementum omittit. Si verò loquamur de ritibus & carimonijs quæ consistunt in actione Missæ, de suo genere mortale est omittere; quia Concilium Tridentinum sess. 22. & Pius V. in *Bulla Missalis* expressè præcipiunt obseruari etiam ritus secundi ordinis; ex leuitate tamen materiæ, vel inaduertentia, vel obliuione, posset esse veniale, si quid omittitur: grauius autem est, si quid committitur addendo Rubricis, quod item est prohibitum. *Legè Suar. disp. 84. sect. 2.*

Non tamen addit ille contra Rubricas, qui Officium recitans aliud, Missam deinde celebrat more Ecclesiæ in qua celebrat; vbi fortè dicitur *Credo*, vel *Gloria*, quæ non dicuntur extra eam; imò tenetur celebrare ibidem pro ratione Festi, iuxta Regulam,

Cum fueris Romæ, &c. alioquin esset alijs admirationi, si Festo non inferuiret in propria Ecclesia pro qualitate Festi.

Intellige quæ dicimus de Missa pro omnibus approbata: nam Missæ certis Regularibus concessæ tantum, puta de Sanctis Ordinis eorum, aut alijs quæ non habentur in Missali Romano, non possunt ab alijs dici, nec etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs, ex Decreto sacre Rituum Congregationis 19. *Novemb. 1622.* neque à Cappellanis sæcularibus proprijs in Ecclesijs Monialium, quæ Romano non vtuntur Breviario. Quo casu, Missam quidem Cappellani proprij recitabunt de Sancto, de quo Moniales Officium, sed cum Missali Romano, vt in Proprio de Sanctis, vel de Comuni. Eadem sacra Congregatio Rituum ita decreuit die 20. *Novemb. 1628.* si nulla est Missa in Missali Romano, quæ concordet cū Officio Monialium, puta de nomine Iesu, de Spinea corona, & similibus, eo casu Missam de Circumcisione Domini, seu Missam de Cruce, vel Passione, recitare poterunt; vel certè pro debita licentia adeant sacra eandem Congregationem.

Quòd si quis adderet, vel detraheret ex carimonijs, etiam deuotionis causa, præsumens id esse melius, tunc peccaret mortaliter; quia in *Bulla Pij V.* dicitur, *ne præsumant*, ita

Ant.

Ant. Molina in Instruct. Sacerdotum Tract. 3. cap. 11. §. ult.

17 At si inchoata Missa veniat Episcopus, aut eo maior, aut Princeps, neque alia Missa celebrari possit, quid agendum? ante Consecrationem, & post Epistolam, si illi veniant, poterit repeti Missa à capite, *Nauar. de Orat. Notab. 16. num. 55. & Azor. lib. 10. cap. 32. quest. 3. Addit Possen. de Offic. Cur. cap. 2. num. 11.* posse hoc idem fieri, etiam ultra primam vicem, si maior causa superueniat; sed, meo iudicio, tunc esset opus altiori iudicio.

18 Queritur adhuc: An possit interrumpi, & discontinuari Missa ob aliquam causam? respondetur, Possè, ob Concionem & publicationes Edictorum, quæ fiunt à Parochis: præterea ad confessionem audiendam moribundi, custodita, si opus est, interim ab alio Eucharistia; vel ad vngendum infirmum, cui nullum aliud Sacramentum ministrari potest, ex *Nauar. de Hor. Canon. cap. 16. num. 69. Hen-*

riq. lib. 9. cap. 30. num. 4. Non autem interrumpi debet paulò ante laicorum Communionem, vt Sacerdos audiat apud Altare etiam breuem confessionem alicuius; quod perturbat, & merito, astantium animos, *Doctores apud Bonacm. disp. 4. quest. 6. punct. 1. num. 20.*

19 Accidit denique in Missæ ministerio offerri Sacerdoti particulam pro communicando laico, & oblatione Hostiæ iam facta, poteritne illa consecrari? *Bonac. de Euchar. disp. 4. quest. ult. punct. 2. num. 6.* videtur negare. sed puto probabiliter posse consecrari, oblatione eiusdem mente concepta, vt sæpius in defectibus dictum est: non tamen remotius ab oblatione Hostiæ, puta iam cæpta Praefatione. Vel eo casu, si necessitas adsit, arbitrio boni viri, dari laico poterit pars Hostiæ consecrata, quæ olim referuabatur pro infirmis, vt paulò supra diximus *num. 3. præsentis tituli.*

De Rubricis præceptiuis, & directiuis. XI.

Reliquum est, vt in ordine ad Missam examinemus duo. Alterum est circa Rubricas omnes, de quibus hætenus, quæ cum diuidantur communiter à Summistis & Theologis in præceptiuas & directiuas, nondum quis veluti digito demonstrauit, quænam ex dictis sint præceptiua, quænam directiua: nam illæ obligant sub mortali, hæ non item, nisi ex contemptu omittantur. Alterum est circa onera Missarum, quæ subire solent Sacerdotes; de quibus Theologi multa sparsim docuere, quæ hoc loco collecta breui compedio, Lectori spero fore vt valdè prosint. Nunc de primo.

Seclusa igitur obliuione, ignorantia inculpabili, & inaduertentia, quæ culpam diminuunt, vt supra monuimus: omissa item ea recentioris Auctoris distinctione, in præceptiuas sub mortali, & præceptiuas sub veniali, diuersas à directiuis. Quæ distinctio nulla est; aut est quæstio de nomine, nam præceptum importat propriè in sua significatione materiam grauem, & lethalem culpam.

I DICO PRIMO. Quædo in Rubricis habetur hæc vox *grauissimè*, seu *grauiter peccat*, certissimum est, significari peccatum mortale. Septies autè habetur, cum de defectibus Missæ agitur.

Si non in azymo conficiatur Sacramentum in Ecclesia Latina, *tit. 3. num. 3.*

Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel multum de viuis tunc expressum; vel sine aqua fiat Sacrificium, vel cum aqua non naturali, *tit. 4. num. 2.*

Si in forma adderet aliquid Celebrans, quod significationem non mutaret, *tit. 5. num. 1.*

Si celebret suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel canonicè impeditus, *tit. 8. num. 1.*

Si celebret in peccato mortali habens copiam Confessoris, *ibid. num. 2.*

Si non habens copiam Confessoris sine contritione in peccato mortali celebret, *ibid. num. 3.*

Si integra Sacramenta extra quosdã casus non sumpserit, *tit. 10. num. 4.*

2 DICO SECVNDO. Quando materia Rubricæ pertinet ad integritatem Sacramenti, seu Sacrificij, ea ita grauis censenda est, vt omisso sit peccatum mortale: eiusmodi sunt, quæ de pane, vino, aqua, intentione, forma, sumptione vtriusque speciei sunt præscripta. quæ omnia sub mortali sunt iuxta Rubricas obseruanda.

In forma quoque illud *enim* additum ab Ecclesia, non potest sine peccato mortali voluntatiè omitti.

3 DICO TERTIO. Eas Rubricas esse præceptiuas, in quibus concordant Doctores, eas esse de re graui, & sub mortali obseruandas esse: videlicet, De loco celebrandi non prohibito, de ara consecrata, de lumine, de hora celebrandi, de dispositione animæ & corporis, ieiunio scilicet à peccato mortali, & à cibo, de ministro, de Missali libro, de Calice, Patena, Corporali, & Palla, de Canone integrè & secretè recitando, Ne prima purificatione cum

vino, de numero, munditia, integritate, & benedictione vestium Sacerdotalium; eo modo quo probauimus supra suis locis.

4 DICO QVARTO. Rubricas aliquas esse strictioris iuris in Missis Conuentualibus, seu principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegatarum; quod *cum Suar. & alijs* docet Bonacin. *disp. 4 de Euchar. quest. ultima, punct. 7. §. 3. num. 3.* quia æquiparantur hæ Missæ Horis Canonicis que dicuntur in Choro. imò verò sunt Horarum quasi finis, ad quem diriguntur Horæ, vt egregiè probat Francol. *de Temp. Horarum Canonic. par. 1. cap. 16. num. 18.* eiusmodi est Rubrica de cõcordia Missæ Conuentualis cum Officio; quæ expressè præcipitur in cap. *Cum creatura. de Celebrat. Miss.* per verbum *mandamus* Honorij III. Docent enim Doctores à Bonac. citati *de Leg. disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 4. num. 7.* quod verbum *mandamus* importat obligationem ad mortale. Inter Collegiata autem adhuc esse disparitatem dico: nam Collegiata Regulares (quæ tamen minùs propriè Collegiata dicuntur, vt paulò infra probabo) tenentur ad Horas Canonicas & Missam in Choro, ex vi Regulæ tantùm & consuetudinis interpretantis Regulam; sicuti etiam ad Officium diuinum extra Chorum consuetudo tantùm obligat Regulares vt sic, ex Caiet. *verbo Hora.* at sæculares Canonici tenentur ex stipendio ad leges Pontificias in Choro seruandas.

5 DICO QVINTO. Propè præceptiuas eas esse Rubricas, de quibus disputant Doctores; & tamen Pius V. & Clem. VIII. inclinant expressè in alteram partem, præcipiendo in Bulla, vt iuxta formam in nouo Missali tradi-

E e tam

tam celebretur Missa: eiusmodi sunt, de Matutino & Laudibus ante Missam, de mappis tribus, de luminaribus cereis; quæ licet sint controuersa inter Doctores, ij tamen Pontifices Summi prædicta potiùs in suis Rubricis approbauere tamquam tutiora.

6 DICO SEXTO. Dubias esse reliquas de principio aurore, & sine meridie, de Cruce in Altari, de pedibus calceandis, de veste talari, de pileoli vsu, à quo concedatur extra Canonem; de Orationibus ad vestes, & post Missam; de Missa priuata ad arbitrium sine causa; de Missa non approbata, nisi pro quibusdam Ecclesijs; de Votiuâ, vel de Requiem, in Festo Duplici, & diebus prohibitis; de Orationibus additis secretò dicendis, ex deuotione Celebrantis: in quibus omnibus Doctoribus utrimque disputantibus, Rubricis tamen magis ad hærendum esse cenleo.

7 DICO SEPTIMO. Inter has dubias Rubricas illa est apud me valdè certa, quòd sit de re grauissima, quæ habetur par. 1. tit. 3. num. 1. nimirum, *In Ferijs Quadragesime, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi Duplex, vel Semiduplex Festum, vel Octaua occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis cantantur due Missæ, una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.* Cantari ergo debent, vbi nimirum cantari quotidie Missa consuevit à Canonicis; tum quia præcipit Pius V. in virtute sanctæ obedientiæ in Bulla, vt decantetur Missa iuxta normam, ritum & modum à se præscriptum, hoc est, quandoque duæ; tum quia altera earum sine commemoratione alterius dici debet, ex tit. 7. num. 2. & hoc modo, altera non respondet integrè Officio di-

uino, in quo fit de Festo & Feria simul (Missa enim Conuentualis debet respondere integrè Horis Canonicis) tum quia est ritus Ecclesiæ perantiquus, teste *Microlog. cap. 48. & 58. ut diximus pag. 5.* tum quia circumstantia illa temporis (post Tertiam altera, altera post Nonam) indicat esse notabilem ritum; tum quia Clemētis VIII. auctoritate Missale recognitum, suis locis octies ad minus monet Lectorem hac de re, vt obliuioni non tradatur; scilicet, ante Missam de Vigilia Ascensionis, in Festo S. Marci, in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, in Vigilia S. Laurentij, in Festo SS. Cornelij, &c. SS. Ianuarij, &c. in Vigilia S. Matthæi, & in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum; tum quia S. Carolus cum suis Prouincialibus Episcopis in *Concil. IV. Prouinciali Roma approbato* in hæc verba decreuit: *Quibus diebus ex Missalis Romani Rubricarum præscripto in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis due Missæ Conuentuales celebrari oportet, ea amba canantur: quod si Capitulum præstare omiserit, neglexeritve, non solum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum etiam alterius diei distributionibus mulctetur.* Hæc ibi.

8 Dices, Sufficere (quod recentior scripsit, consuetudini nimium fauens, quæ potiùs est abusus) fieri satis, si altera dicatur priuatim, puta, quæ est de Feria, & Choro absente. Addunt alij, eo quia *titulo 7. num. 2.* habentur verba, *dicuntur due*: ergo satis est, si dicatur altera priuatim; sed verbum *dicuntur* explicandum est, *cantantur*, ne pugnent inuicem duæ Rubricæ, altera enim alteram explicat, & posterior à priore pendet. Deinde non est maior ratio, ex vi verbi *dicuntur*, vt altera

altera sit priuata, altera solemnis. Item, quæ dicitur Choro absente non potest respondere Horis Canonicis, neque dici potest Conuentualis. Præterea illa Hora definitio, Tertiæ & Nonæ, indicat, debere vtramque celebrari, prout Hora Tertia & Nona dicuntur in Choro, hoc est, cum cantu, & Choro præsentem. Atque hæc est Romana praxis in Patriarchalibus Romæ Ecclesijs: adeoque in ijs existimata fuerunt hæc duæ Missæ grauissimæ, vt *Franciscus Samaritanus, Beneficiarius Ecclesiæ Lateranensis, & Doctor, in suo Thesaurio Sacerdotali tertia par. titulo, Missæ plures, &c. concedat, posse has duas Missas ab eodem celebrari, si fortè vnus tantum Sacerdos eo die in Ecclesiâ Collegiata celebrare queat. quod deinde sublatum est in Rubricis par. 1. titulo 7. num. 2.* quando scilicet plures quotidie non celebrant Sacerdotes. Denique die 2. Nouembris ait Rubrica: *Missæ dicitur principalis pro Defunctis post Nonam.* explicant omnes, cantari debet Choro præsentem. eademque est ratio de alijs Missis. Aliqui ex præfato verbo dicuntur inferunt, quod ubi plures Sacerdotes celebrant, debent dici duæ Missæ prædictæ priuatim. Laudo vsu, sed nego esse Rubricæ hunc sensum; quod patebit magis infra.

9 Dices adhuc: Verba *cantantur & dicuntur* non sunt imperatiua. Respondendo, *In titulo 5. de Missis Defunctorum num. 1. habes, dicantur duæ Missæ, & titulo 15. numero 2. Missa de Tempore, quamuis dies sint sollemnes, in quibus fit Officium cum Missa de Festo, debet cantari post Nonam.* Item in Rubricis enuntiatium verbum habet vim imperatiui; verbi

gratia, *in die 2. Nouembris in Breviario: Dicuntur Vesperæ Defunctorum. post Laudes incipit Matutinum Defunctorum.* Ecce verba enuntiatia tantum; & Doctores tamen ex his verbis volunt, teneri nos sub mortali ad recitandas Vesperas & Matutinum Defunctorum, vt *Suar. expresse docet lib. 4. de Hor. Canon. cap. 25. num. 8.* Item *in cap. Cum creatura, citato supra, & explicato num. 5. mandat Honorius, cantari Missam respondentem Horis Canonicis, sub mortali; non autem responderet, si altera non cantaretur, vt dictum est num. 8. & Pius V. vt integrè respondeat Horis Canonicis, duas præscribit; ergo tenentur Collegiata ad duas. Valet enim hæc Regula illa: Paria sunt, non facere, & facere male, contra Rubricas, cap. Inter corporalia, de Translat. Episcop. cap. Veniens, de Presbyt. non bapt.*

10 Cui nostræ sententiæ subscribere aliquando, cum in dubium à nonnullis reuocaretur, doctissimi viri, & nouissimi, *Paulus Fraxinellus, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Petrus Thomas Saracenus, Ordinis Carmelitarum, Ioan. Petrus Moneta, & Homobonus de Bonis, Theologi Ordinis nostri, & primarij, qui omnes præclara multa prælo dederunt.*

11 Sacra Rituum Romana Congregatio die 16. Maij 1626. decreuit, non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis, ob celebrationem Capituli Canonicorum; & iterum hoc idem die 16. Ianuarij 1627. asseruit, ne duæ Missæ, etiam ex necessaria negotiorum causa, & Capitulari, omittantur.

12 Dices: An Regulares comprehendantur in hac Rubrica. Negat *Rodericus de Quæst. Regular. Tomo 1. quæst. 43. artic. 12. quia, inquit, non*

veniunt Regulares nomine Ecclesiarum Collegiarum in odiosis; quæ ratio mihi non placet: sed quia Ecclesiæ Regularium appellantur propriè Conuentuales ab *Innocen. IV. in Bulla eiusdem 7. Bullary*, ubi *Flavius Cherubinus in Compendio Bullar. scholio 1.* notat eo titulo appellari, ad differentiam Collegiarum, quæ sunt propriè Canonico- rum. Item in *Clem. 1. de Celebrat. Miss. ex Concil. Viennen.* distinguuntur Ecclesiæ Regulares à Cathedralibus, & Collegiatis; quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus his Missis. adde ratione allatâ suprâ *nu. 4.*

13 DICO VLTIMO. Reliquas Rubricas esse directiuas tantùm, non tamen esse negligendas: saperet enim cõtemp- tum, si quæ earum perpetuò omitte- retur, aut sæpiùs, & vt plurimùm. & multò minùs, si timeatur scandalum. Contemptum verò, & ceu scandalum iudicabis, grauias, vel leuias, ex materia & intentione Sacerdotis. Vnde, quod alij dicunt, quatuor cum litteris cele- brandam esse Missam, A. B. C. D. his addo ego litteram quintam E. in ho- norem quinque Vulnerum Christi. Hoc est Altè, Breuiter, Clarè, Deuotè, Exactè, seu Exquisitè.

Altè, vt audiatur. Breuiter, non vltra

mediam horam, ait *Scortia lib. 2. c. 19.* vel paulò vltra. Clarè, vt omnia verba integrè proferantur. Deuotè, vt atten- datur ad ea quæ dicuntur. Exactè, vt fiant omnia quæ præscribuntur in Rubricis.

14 Vt autem Rubricarum obligatio magis innotescat, præterquam quòd in Bulla Pij V. pro Missali edita omnis mutatio, additio, & detractio prohibetur, decreuit Concilium Tridenti- num *Sessione 7. canone 13.* in hæc ver- ba: Si quis dixerit, receptos, & appro- batos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in so- lemni Sacramentorum administratio- ne adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libro omitti, aut in nouos alios per quem- cumque Ecclesiarum Prælatum muta- ri posse, anathema sit. Hæc ibi. So- lemnis certè Sacramenti Eucharistiæ administratio in Missa fit, siue sit so- lemnis, siue priuata; & ritus, qui ha- bentur in Missali Romano, sunt Eccle- siæ Catholicæ recepti, & approbati, vt patet. Ex quibus non video, qua ratio- ne doceant moderni Theologi, opi- nionem esse probabilem, quòd sine peccato possint omitti Rubricæ, & si- ne causa, scienter, etiam in materia leui. sed de his satis.

De alijs obligationibus Sacerdotum circa Missam. XII.

1 **A**lterum erat circa onera Sa- cerdotum in ordinè ad Mis- sam, quæ ad capita quinque reuocari possunt, vel ratione *Loci*, vel ratione *Temporis*, vel ratione *Ritus*, vel ratione *Officij* seu *Beneficij*, vel ratione *Suspendij*: & hoc eodem ordine proceden- dum erit in hoc titulo.

2 Ratione *Loci* tenetur Sacerdos Sa- crum facere in certo Altari, non impe-

ditus legitimè, si testator aut alius lo- cum celebrandæ Missæ præscripserit, aliàs peccat mortaliter; quia nõ implet voluntatè testatoris, quam neque he- redes mutare possunt; non tamen tene- tur ad restitutionem, si alibi pro eo ce- lebret. Citat *Doctores Bonacin. de Eu- char. disput. 4. quest. vlt. pun. 7. §. 4. A num. 2. ad finem.* & ratio patet, quia violat priuatam legem testatoris.

3 Potest

3 Potest autem Episcopus aliquando ex iusta causa, si nequeat in eo Altari, concedere ut alibi celebret, *idem ibidem.*

4 Qui tenetur celebrare in Altari priuilegiato pro Defunctis, & alibi celebrat cum numismate, verbi gratia sancti Caroli, quo anima liberari potest à Purgatorio, peccat mortaliter; tum quia non seruat pactum; tum quia tutius est priuilegium Altaris quàm numismatis, de quo dubitari potest an sic benedictum, *Fraxinellus in suo libello de Oblig. Sacerdotum sect. 4. conclus. 4. §. 9. num. 1. cum Doctõribus cit. ibidem.*

5 Qui tenetur alicubi celebrare absque applicatione Sacrificij, ad diuinum cultum tantum, ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat stipendium ab alio, ut illi applicet Sacrificium sibi liberum. quod expressè vetuit sacra Concilij Tridentini Congregatio in declaratione Decreti de Celebrat. Missarum sub sanctissimo Domino nostro Urbano VIII. emanati, de quo infra in responsione ad quartum dubium. Quod etiam notent Canonici, & Curati, qui tenentur celebrare Missam Conuentualem, seu Parochialem in proprijs Ecclesijs ratione Canonatus, seu Rectoriæ; quia ad eam tenentur ratione beneficij; secus, quando ex mera consuetudine seu statuto Canonicali, ad maiorem Ecclesiæ decorem, Missas priuatas in propria Ecclesia Collegiata seu Parochiali celebrant, non ratione beneficij, neque Cappellæ, neque legati, neque salarij, qui soli quatuor tituli in prædicta responsione prohibentur: & de Parochis, quod quibus diebus tenentur Missam celebrare, non possint manualem elemosynam recipere, cen-

suit expressè S. Congregatio Concilij die 1. Septemb. 1629.

6 Ratione *Temporis*: quia vel numquam, vel sæpius, vel tardiùs, vel citiùs, vel rariùs celebrat quàm debetur. Nam qui *numquam* celebrat, grauitèr peccat: & in anno saltem ter aut quater quilibet celebrare tenetur, *ex Trident. Sess. 23. de Reformat. cap. 14.* Parochi sæpiùs, ut audiant populi Missam. lege *Bonac. quest. ult. pun. 7. num. 1.*

7 Qui *sæpiùs* in die celebrat, peccat. excipe sequentes casus: alij verò à Doctõribus allati non sunt ampliùs in vsu. Primò in die Natiuitatis. Secundò in casu supplendi Sacrificij, de quo suprà *titulo 10. numero 3.* Tertio, quando Sacerdos præest duabus Ecclesijs, in quibus vterque populus solet audire Missam; & non habet Vicarium, qui suppleat in altero loco, *Suar. disput. 80. sect. 3. cum alijs.* Quarto, quando pauci sunt Sacerdotes, & multi sunt Catholici in locis infidelium & hæreticorum, *Navar. & alij apud Scortiam lib. 2. cap. 16. num. 2.* in his enim casibus postremis licet bis & ter celebrare, si opus est, *ex Suar.* omiſsa ablutione Calicis, ut in Natiuitate Domini.

8 Contingit *tardiùs* celebrare cum peccato mortali, quando notabiliter differtur Sacrificium, puta, ad impetrandum aliquid à Deo, & Missa dicitur elapso necessitatis tempore. quo casu tenetur etiam ad restitutionem, *Pet. Nau. lib. 2. de Restit. cap. 2. numero 366.*

9 Et item, quando ita multæ Missæ acceptantur pro Defunctis celebrandæ, ut longissimo tempore sit opus. cui malo prouisum est nuperrimè *cum Decreto de Celebr. Miss. à sacra Concil. Trident. Congregatione edito 21. Iu-*

ny 162 §. in quo prohibetur singulis, ne eleemosynas manuales & quotidianas pro Missis accipiant, nisi oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut noua suscipere valeant.

10 Qua tamen in re eadem Congregatio declarauit, Primò, posse noua Missarum onera suscipi, etiamsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. ita in *declar. citata ad decimum.*

11 Si tamen tribuens eleemosynam pro nouis oneribus sciat impedimentum, & consentiat, eò casu poterunt noua suscipi post alia quamprimum persoluenda, *ibidem ad undecimum.*

12 Comprehenduntur etiam in hoc Decreto priuati quique Sacerdotes, *ibid. ad decimum quintum.*

13 Transgressores huius specialis Decreti non tenentur tamen ad pœnas appositas in prædicto Decreto, quæ relationem tantùm habent ad onera perpetua, de quibus in eodem Decreto agitur, & nos paulò infra, *ibidem ad duodecimum.*

14 Cessantq; omnia priuilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum celebratione, vel anniuersariorum, vel quibusdam Collectis, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat; ita ut, si tempore huius Decreti superfuerant multæ Missæ celebrandæ, hæ celebrari distinctè debeant, ut in *declar. cit. ad sextum.*

15 Qui verò obligatur ad celebrandum in Festis de præcepto, de voluntate testatoris, non potest differre Missam in sequentem Feriam; quia Feria non est Festum. Neque intelligendus est testator de Festis duplicibus, vel semiduplicibus, quando simpliciter dicit, in *Festis*, sed de Festis de præ-

cepto, aut consuetudine, pro secutio populi, ut censuit *Congr. Penitentiarum Mediolan. re bene agitata, teste Bonacin. loco cit. num. 6.*

16 Cuius quoque celebrando peccatur, anticipata scilicet applicatione Sacrificij, nempe incerta, pro eo qui postea eleemosynâ dederit, cum suspensione effectus Sacrificij. Quæ anticipata applicatio prohibita fuit à Paulo V. velut auaritiæ fomes, die 5. Nouem. 1605, ut scribit *Fraxinellus scilicet, prænot. §. §. num. 2. & 3.* Potest tamen Cappellanus præuenire tempus celebrationis, & anticipatè celebrare Missas antecedente Hebdomada, quas ex obligatione celebraturus erit in sequenti pro certa intentione, *Doctores citati à Barbos. de Potest. Episc. par. 2. alleg. 24. num. 14.*

17 Rariùs denique celebrando peccatur, quando quotidiano quis obligatur Sacrificio per se vel per alium faciendò, & vno die per Hebdomadam omittit celebrare, neque celebrari per alium curat: secùs, si vni tantùm impositum est quotidianum onus, ut per ipsum impleat. nam hoc intelligi debet, salua honestate, & decencia, ratione cuius vacare potest à Missa celebranda semel in Hebdomada; hoc est, potest semel non celebrare. fuscè *Bonar. loco cit. §. 2. num. 16.* non autem potest semel pro alio applicare Sacrificium; quæ duo sunt valde diuersa, ut patet.

18 Qui verò impeditus infirmitate non facit quotidianam Missam, ad quam tenetur, excusatur; neque tenetur ad supplementum, nisi ultra mensem ægrotet; & item si reliquo anni tempore diligens ille fuit in suo munere obeundo; & nisi in foundatione beneficij aliud expressè statuatur. quæ singula omnia sunt rationi consona, ex *Bonar. ibidem.*

ibidem pun. 8. num. 17. cum alijs citatis.

19 Ratione *Ritus* accidunt peccata in oneribus Missarum, quando promissit Sacerdos Missam Votiuam, vel de Requiem, & dicit aliam de Officio currenti; quia virtus fidelitatis periret: & multo magis, si cum iuramento per instrumentum promississet, *Fraxinellus* in Opere edito sub hoc titulo, *An Sacerdos teneatur dicere Missam pro Defunctis, vel eius vice possit dicere de Sanctis, vel Ferijs occurrentibus.* edidit Bononiæ, me vrgente, 1625.

20 Ceterum *ibidem*, citatis quàm plurimis Doctoribus classicis, docet ille idem, posse loco Missæ de Requiem dici Missam de Sancto, vel de Feria currente, quâdo maiori deuotione afficimur in Missa de Sancto, vel de Feria priuilegiata. vnde oritur maior valor accidentalis Missæ ex opere operantis, quo compensari potest, etiam cum lucro, Missa de Requiem breuior, & quæ in multis minuit potiùs deuotionem. nam alioquin ex opere operato idem est valor in omnibus Missis.

21 Si verò non afficitur Sacerdos maiori deuotione in Missa de Sancto, vel de Feria, tunc dicere debet de Requiem, excepto Festo Duplici, Dom. & alijs diebus, in quibus prohibetur Missa de Requiem ab Ecclesiasticis Rubricis, vt suprâ *par. 1. tit. 5. num. 2. pagina 12.*

22 Sensus etiâ Ecclesiæ est, vt Missa concordet cum Officio, quoad eius fieri potest: cui sensui fideles omnes conformari debent. ex quo sequi videtur, non esse verba petentis Missam Votiuam, seu de Requiem, ita amarè intelligenda, vt eo modo rigorosè celebrare teneatur Sacerdos, sed ciuili modo, & morali, cum causa rationabili, ait *Ecclesia in Rubricis tit. 5. num. 3.*

Lex etiam Ecclesiæ præualere debet super laicorum legem priuatam, & sæpè irrationabilem.

23 Monet idem Auctor sapienter Sacerdotes, vt promittant se dicturos Missas eo modo quo magis prodesse possunt, iuxta maiorem sui dispositionem, & deuotionem.

24 Populus etiam, qui simul offert cum Sacerdote, potest affici maiori deuotione audiendo Missam de Sancto quàm de Requiem, & consequenter prodesse magis eisdem ijs pro quibus Missa celebratur. & hæc *Fraxinellus* probat *fusiùs ibid.*

25 *Azorius lib. 10. cap. 32. quest. 5.* docet ferè prædicta de Missis Votiuis, quarum vice potest dici Missa cum Officio concordans, cum intentione secreta, quam haberet Sacerdos in Votiuam.

26 Nec erit necesse dicere in prædictis casibus Collectam de Votiuam, seu de Requiem, maximè si per Ecclesiasticos ritus non liceret. applicatio namque Sacrificij non fit in Collectis, sed potiùs in *Memento*, seu, vt Theologi loquuntur, in oblatione, quæ tacitè fit in ipsa consecratione.

27 Ratione *Officij*, seu *Beneficij*, quod erat quartum caput, contingit in oneribus Missarum peccari: nam Episcopi & Parochi tenentur aliquando applicare Sacrificium pro suis ouibus, ex *Concil. Trid. Sess. 23. cap. 1. initio*, arbitrio boni viri, nempe in præcipuis solemnitatibus Domini, & Dominicis diebus, aut saltem semel in Hebdomada, ex *Bonac. quest. vlt. punct. 7. in fin.* qua ratione conciliari possunt Doctores, qui negant, cum Concilio Tridentino affirmante *Sess. 23.* est enim populorum curator Episcopus, seu Parochus, & ab iisdem sustentantur,

28 Regu-

28 Regularis etiam grauiter peccat, applicando Sacrificium contra rationabilem voluntatem sui Prælati, vel Sacristæ ab eodem deputati, *Fraxinell. sect. 7. §. 6.* vbi addit, posse Prælatos irritare intentionem subditorum in Missæ celebratione, si secus applicent, ita vt Deus acceptet Sacrificium, & valeat illi, cui à Prælato per ministrum infidelem applicatur. Et licet *Suar.* doceat, pendere effectum Sacrificij ab intentione Celebrantis, etiam iniusta; eum tamen explicat *Fraxinell.* loqui de Sacerdote sæculari libero, non de regulari, cuius voluntas à Prælato pendet. aliàs onera Monasteriorum subiacerent periculo & dubitationi, an persoluerentur.

29 Quilibet item Sacerdos, ex probabiliori sententia, non potest applicare portionem Sacrificij, quam diximus suprâ, *cùm de Canone pag. 146.* esse propriam Sacerdotis, accepto ob eam stipendio, tamquam pro integra Missa; quia cùm sit saltem dubia hæc doctrina, posset lædi iustitia in hoc casu, & proximus, qui stipendium pro Missa dedit, suo fructu defraudari. Si verò fiat hæc applicatio Sacrificij ex mera charitate, est satis probabilis opinio, & nullum damnum inde sequi potest proximo, pro quo celebratur.

30 Conuenit adhuc ratione *Officij*, vt ille, qui supplet inchoatum ab alio Sacrificium, conformet se cum primo Sacerdote in applicatione eiusdem Sacrificij; quia accessorium sequitur naturam principalis: & quia (cùm supplementum supponat alteram saltem speciem consecratam esse) probabile est, iam factam esse Deo oblationem pro eo, pro quo primus Sacerdos cœpit Missam facere, *Corduba lib. 1. quest. 3. in quest. principal. opin. 5. post con-*

clus. 4. §. 2. & Vasq. disput. 231. numero 40. & 41.

31 Demum ratione *Stipendij* multis modis peccatur. Qui enim accipit plura stipendia iusta, taxata scilicet vel lege, vel consuetudine, à pluribus, petentibus singulis vnâ Missam pro se distinctè, & vnâ facit Missam pro ijs omnibus, peccat, ex communiore sententia, *Fraxinell. sect. 4. conclus. 1. fufius.*

32 Qui ab vno accipit plura stipendia pro pluribus Missis, & vnâ tantum celebrat, eodem modo quo suprâ, peccat, *ex eodem ibidem.*

33 Qui procurat stipendium iusto pinguius pro vna Missa (nisi celebrandum sit in loco distant, vel incommodo) peccat, *ex Bonac. & alijs, quos citat quest. vltim. punc. 8. num. 13. & tenetur inuitè danti restituere, ibidem numero 11. neque sufficit titulus paupertatis, quia facta est ordinatio in Sacerdotem titulo beneficij, seu patrimonij sufficientis ad victum, ibid. num. 14.*

34 Qui stipendium iusto pinguius accipit pro Missa, quam deinde minori stipendio, quam sit iustum, facit ab alio celebrari, peccat: neque item, si det illi stipendium iustum, retinens sibi quod est ultra iustum, tutus est in conscientia, nisi sit dominus, & non merus dispensator aut curator Missarum celebrandarum, *Fraxinell. sectione 3. pranot. 5. §. 4. num. 1. & Congregat. Pœnitent. Mediol. apud Bonac. loco citato num. 18.*

35 Sed eam limitationem, nisi sit dominus, &c. sustulit sacra Concilij Tridentini Congregatio in Decreto suprâ citato, in quo absolute prohibetur Sacerdoti, qui Missam accepit celebrandam cum certa eleëmofyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleëmof-

eleëmofynæ sibi retenta, celebrandam committat. & intelligi debet, etiam si detur illi stipēdium iustum; quia pauld infra in eodem Decreto iubentur dici Missæ pro eleëmofyna tenui & pingui æqualiter; *Omne, inquit, damnable lucrum ab Ecclesia remouere uolens. ecce causam Decreti.*

36 Imò eadem sacra Congregatio declarauit, etiam eleëmofynam maiorem solita dari, tribuendam esse integram absolutè Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ab aliquo retineri posse, *in cit. declar. ad nonum. & in responsione ad septimum*, permittendum non esse ait, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorū administratores, ex eleëmofynis Missarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam, portionem retineant, ratione expensarum quas subeunt in celebratione Missarum; nisi, cum Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint; & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio sunt necessaria subeundæ. & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs quæ supersunt, expensis vt supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleëmofynas. Hæc ibi.

37 Qui verò, acceptis duobus stipendijs iustis pro duabus Missis, vnam celebrat, applicando vni Sacrificium vt propitiatorium, alteri vt impetratorium, peccat tamen; quia vterque totum Missæ fructum præterdit, *Suar. sum alijs apud Bonac. quest. vlt. pun. 8. num. 15.* & sacra Congregatio Concilij Tridentini in Decreto citato damnat hanc distinctionem.

38 Qui à pluribus stipendia minorâ iusto recipit, vt ex ijs, constituto stipendio iusto, vnam Missam celebret, peccat: tum quia promittens cuique Missam, tenetur dare illi totam; tum quia in Decreto citato sacra Congregationis tot Missæ dici debent, quot sunt eleëmofynæ datæ, etiam incongruæ, & exiguæ, siue ab vno siue à pluribus dentur. quod præcipitur ibi sub obtestatione diuini iudicij, sub peccato mortali, & cum obligatione restitutionis, reuocatis quibuscumque priuilegijs.

39 Rector beneficij, qui potest per alium celebrare Missam, tenetur tribuere Sacerdoti celebranti pro se congruam eleëmofynam, secundum morem ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud fuerit cautum, *eadem Congreg. in cit. declar. ad octauum.*

40 Vbi nullum statutum est stipendium à testatore, vel alio, pro certo numero Missarum, eo casu statuere debet Ordinarius, non autem heres, aut alius, & iuxta morem ciuitatis, *ibid. in respons. ad secundum & quintum.*

41 Caueat autem vnusquisque ab onere perpetuo Missarum suscipiendo sine licentia Episcopi sui, vel Generalis Vicarij, seu Generalis, aut Prouincialis, si Regularis est, danda in scriptis, & gratis; alioquin secularis ab ingressu Ecclesiæ erit eo ipso interdictus, Regularis autem pœnam priuationis Officij, & perpetuæ inhabilitatis ad officia, vocisquæ actiuæ ac passiuæ, absque alia declaratione, incurret, *eadem Congreg. in citato Decreto.*

42 Ad hæc, vt ibidem dicitur, amoueantur capsulæ ab Ecclesijs cum inscriptione, *Eleemos. pro Missis*, ne fide-

les hac ratione frustrentur; neque exponantur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum pro eorumdem Missis solita apponi, *ut in cit. declarat. ad decimumtertium.* nulla tamen pœna est in hoc casu imposita, *ex responsione ad duodecesimum.* quæ in Decreto videbatur apponi.

43 Neque acceptorum multorum onerum reductio, moderatio, & commutatio ab alio nunc fieri potest, nisi à Sedè Apostolica; & aliter factæ sunt nullæ, *ut in cit. Decreto sacre Congreg. Concil. Trident.* Verumtamen, si in ipsa Beneficij erectione cautum fuerit expressè, *ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere ac moderari,* declaravit *eadem sacra Congregatio,* licet adhuc Episcopo id præstare, *in respons. ad primum dubium.* Quare neque in Synodis Diœcesanis, neque in

Capitulis Generalibus fieri possunt amplius reductiones Missarum olim concessæ à Concilio Tridentino.

44 Et ne vlllo unquã tempore hæc in obliuionem seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus ac domus Regularis curare atque efficere tenentur, sub pœna priuationis officij, vocisque actiue & passiuæ ipso facto incurrenda, *ut in perpetuum sexto quoque mense, id est, Feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & Feria sexta post Octauam Corporis Christi prædictæ Ordinationes in publica mēsa perlegantur.* quam pœnam subiectam nonnulli apud eandem sacram Congregationem Concilij Tridentini ab eorum subditis accusati.

Et hic esto finis tertiæ Partis Rubricarum Missalis.



COMMENTARIA IN RVBRICAS MISSALIS ROMANI.

PARS QVARTA.

Rubricæ Missalis propriæ.



MISSALE diuiditur in partes quinque, *Proprium de Tempore, Proprium de Sanctis, Commune Sanctorum, Missas pro Defunctis, & Benedictiones varias in fine eiusdem.* Proprias vnaquæque pars habet Rubricas, à generalibus distinctas, & earum hoc loco tum originem, quoad eius fieri potest, tum alias causas inuestigabimus. Canon autem est centrum totius Missalis, in medio idcirco positus (de quo iam diximus) cum Ordine Missæ omnibus Missis communi.

In hac igitur quarta Parte prædicta omnia ad Titulos nouemdecim reuocabimus, dilaturi nonnulla (Missali & Breuiario in Sanctorum Festis communia) in aliud volumen Commentariorum in Rubricas Breuiarij, quæ videntur esse eius loci magè propria.

De Rubricis Missarum de Aduentu. I.

O Missis ijs quæ in generalibus Rubricis sunt explicata, quæ hic in Missali & in sequentibus ideo repetuntur, vt in memoriam Sacerdotis loco proprio reuocentur: dicimus Primò, inseribi Dominicas de Aduentu, quia totus Ordo Ecclesiasticus iuxta contemplationem Aduentus Domini hoc tempore dispositus est, *Ruper. lib. 3. cap. 1.*

2 Tres aduentus Domini meditamur. Primum, quando venit vt homo fieret. Secundum, quando ventu-

rus est in fine vitæ cuiusque nostrum. Tertium, quando in fine mundi, *Honor. in Gemm. lib. 3. cap. 1.*

3 A sancto Petro institutum fuit hoc tempus per tres hebdomadas integras, & quartam non integram, *Durand. lib. 3. cap. 2.* Vt, sicut per quatuor elementa ruimus per mala opera, ita surgamus ad bona, *Amal. lib. 3. cap. 40.*

4 Partim lætitiæ est, & Alleluia dicitur; partim mœroris est, & tacetur Hymnus Angelicus, neque adhibentur Dalmaticæ, *Radul. Propos. 16.* quia

FF 2

spem

spem generat primus aduentus, secundus timorem incutit, *Durand. loco citato.*

5 Dicuntur Oraciones duæ, de beata Virgine, & contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, ratione allata *in Rubric. gen. in casu simili 1. part. tit. 9. num. 3 5. 6. pag. 25. 26.*

6 Missa infra hebdomadam non

habet *Alleluia*, vt in Dominicis, ob allatam causam propriam *in 1. part. tit. 10. pag. 34.*

7 Officia Missarum Aduentus (excepta Dominica quarta, quæ dicitur Vacans à S. Gregorio) habentur *in lib. Sacram. & Antiphonario S. Gregori*, solaque Oratio Domin. i. est Ambrosiana, *ex Pamelio in Liturgy.*

De Quatuor Temporibus Aduentus. II.

A Callisto statutum est, celebrari Quatuor Tempora per annum, quæ tantum ter antea celebrabantur, *Microlog. cap. 28.* sed antea ab Apostolis tradita fuisse, *S. Leo docet Sermone 8. de Ieiunio 10. mensis.* quare Callistus Decreto tantum firmavit usum, & quatuor distinxit; cum ea, quæ in Vere habentur, coincidunt cum Quadragesima, *Dist. 76. Ieiun. vt, sicuti quatuor sunt anni partes, ita in eisdem fiat per ieiunium purgatio, Hieme, Vere, Æstate, Autumno: & sicut tres menses quæque anni pars habet, ita tres dies ieiunij sint ad ratam trium mensium, Ordo Romanus, & Berno de quibusdam ad Missam spect. cap. 7.* & bene Feria quarta, in qua factum est Concilium contra Christum, *idem ibidem;* vel quia traditus eo die fuit Christus, *Ruper. lib. 3. cap. 5.* Feria verò sexta, quia crucifixus; Sabbato deinde, propter tristitiam Apostolorum mortuo Christo, *ex Innocen. in Decretal. Sed antea docuerat hæc sanctus Clemens lib. 5. Const. cap. 14. & 16. vbi Sabbatum memorat etiam ob Christi sepulturam.*

2 Missa Feriæ quartæ duas habet Lectiones ante Euangelium, *Ordo Romanus*: vt admoneantur ordinandi, quod teneant notitiam legis & Pro-

phetarum; quæ notitia in quarta ætate mundi maximè vigeat, *Alcun. item* habet Oraciones duas, quarum altera dicitur sine salutatione cum genuflexione, hoc est, sine *Dominus vobiscum*, cum *Flectamus genua*; quia totus est Sacerdos in Deum orando pro ordinandis & examinandis: eo namque die fiebat examen ordinandorum, *ex Durand. lib. 6. cap. 8.* Altera Oratio salutationem habet, non genuflexionem, vt in alijs Missis, *Microlog. cap. 28.* hoc est, dicitur *Dominus vobiscum*, non autem *Flectamus genua.*

3 In Feria sexta vnica est Lectio, *Ordo Romanus*; quia lex & Propheta in Euangelio vniuntur, quando in sexta ætate prædicatur, *Alcunus.*

4 In Sabbato verò septem sunt Lectiones cum Euangelio, ratione septem Ordinum qui eo die conferuntur, *ex Durand. loco citato cap. 10.* sed propriè sunt sex, *in Ordine Romano;* quia sicut in Feria quarta duæ, ita tres Feria sexta, & quatuor in Sabbato legendæ erant; sed, relicta vna Feriæ sextæ, translatae sunt alia duæ in Sabbatum, in quo idem sex leguntur, *Ruper. lib. 3. cap. 8.* quarum vltima semper est de tribus pueris in fornace, quia per fornacem illi transire debent ordinandi, inquit *Al-*

CUM

eiuius . cui Lectio additur in fine Hymnus trium puerorum, ex *VValafrid. cap. 22.* Orationes autem in eodem Sabbato sine salutatione, cum genuflexione, dicuntur, excepta vltima de camino ignis, *Ordo Romanus*; ad indicandum, quod tres pueri noluerunt adorare statuum Regis, ex *Alcino.*

5 His in communi de Quatuor Temporibus prelibatis, ieiunium hiemale fit in tertia hebdomada Aduentus, secundum Romanam Ecclesiam, *Microl. cap. 27.* & dicitur eiusdem auctor *Leo I. 76. Dist. Huius.* atque in hoc Sabbato tantum Ordinationes habite sunt a sancto Petro vsque ad Simplicium Papam, qui deinde in Februario ordinavit; vt nimirum cum Christo nascente ordinandi ab Ecclesia gignerentur, *Amalar. lib. 2. cap. 1.* tum in Sabbato tantum, quia a Deo est sanctificatum, ex *August. ad Ianuarium, citato ab Alcino in hanc causam;* tum non nisi cum ieiunio & Orationibus multis in Missa, ex *Actis Apostolor. 13.* vbi segregati sunt Paulus & Barnabas, ministrantibus illis (hoc est Missam facientibus, vt ex Græco patet) & ieiunantibus. *Ieiunantes, inquit Lucas, & orantes, imponentesque eis manus, id est consecrantes, dimiserunt*

illos, vt *Leo I. explicat scribens ad Dioscor. Alexand. Episcopum.* Gelasius autem dicitur primus qui extendit Ordinationes ad alia Tempora in eorum Sabbatis, *Microl. cap. 24.*

6 Dominica post Sabbatum Ordinationis dicebatur Vacans, ex *Microl. cap. 29.* quia putabatur eiusdem Officij cum Sabbato, & inde Euangelium huius Dominicæ quartæ est idem ac præcedentis Sabbati; quod in Temporibus etiam quæ accidunt in Vere prima hebdomada Quadragesimæ obseruabis. Sabbato enim & Dominica sequenti legitur idem Euangelium Transfigurationis Domini; in alijs autem Quatuor Temporibus Dominicæ sequentes alia ratione se habent: nam in Pentecoste variatur Euangelium, propter Octauâ illius; in Autumno item, ob instabilitatem Quatuor Temporum, quæ non habent certam hebdomadam, vt suo loco videbimus.

7 Introitus, Graduale, & Communio Dominicæ quartæ Aduentus sumpta sunt de FERIA quarta præcedenti; ne scilicet Officium Dominicæ proprium contingat eo anno omitti, quo Vigilia Natiuitatis Domini in Dominica quarta occurrit. inde Vacans Dominica, id est sine Officio proprio, fuit olim appellata.

De Natali Domini, & Festis sequentibus. III.

Vigilia Natiuitatis habetur in *Ord. Rom.* non habet *Alleluia*, nisi in Dominica, ob memoriam Resurrectionis, *Gemma lib. 4. cap. 103.* quod si fiat Commemoratio Dominicæ, non tamen eius Euangelium legitur in fine; quia in præcedenti Sabbato fuit lectum, vt dicitur *part. 1. Rubr. tit. 13. num. 2. pag. 46.*

Si Vigilia Natiuitatis Domini venerit in Dominica, Missa cantanda erit post Horam Tertiam, & post asperisionem Aquæ benedictæ; quia eo die non ieiunatur: & licet aliud videatur præscribi in *Rub. gener. par. 1. tit. 15. num. 2. pag. 49.* ibi, *Quamuis sint dies sollempnes;* de ijs tamen intelligitur, in quibus & ieiunatur, & duæ cantantur

F. F. 3

Missæ,

Missæ, de Festo & de Feria; quæ huic Dominicæ non conveniunt. Dicitur *Credo* in hac Vigilia, si venerit in Dominica; quòd aliàs docuimus ratione Dominicæ.

2 Natalis Domini, de quo *Clemens lib. 5. cap. 13. Const.* ita dicitur est in *Ordine Romano*, quia in eo natus est Christus, *Isidor. lib. 1. de Divin. Offic. c. 25.* habet certum diem, non mobilem, vt Pascha; quia *ex Aug.* nosse oportet, diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari vt Pascha, sed tantùm ad memoriam, quòd natus sit. In Paschate alia sunt mysteria, Azymorum, Feriæ sextæ, Sabbati, &c. ita *Alcuinus Flaccus.* Natus autem est die Dominico, *ex Synod. 6. cap. 8.*

3 Tres Missæ celebrantur, *ex Decreto Telephori.* duas autem tribuit eidem *Ruper. lib. 3. cap. 17.* ob duas generationes Christi, ex Patre, & ex Matre: sed fortè *Ruper.* loquitur eo sensu, quòd ille decrevit eas celebrari de nocte ante Horam tertiam. significat autem, quòd Christus natus est in salutem eorum qui ante legem, qui sub lege, & qui in Evangelio exitere, *Gemma lib. 3. cap. 104.*

4 Ante Laudes prima Missa est dicenda, *Microl. cap. 34.* qui & idè addit, quòd omitebatur tunc *Ite missa est*, ne discederet populus. *Te Deum* dicitur ante Missam, *Gemma lib. 4. c. 117.* contra quosdam apud *Durand. lib. 6. cap. 13.* De Præfatione & Communicantes diximus suprâ *par. 1. tit. 12. n. 2. & 5. pag. 41. & 44.* de ultimo item Evangelio tertiæ Missæ, *ibid. tit. 13. num. 2. pag. 46.* lubetur autem omitti purificationem in prima & secunda Missa, *ex Innocen. III. cap. Ex parte, de Celebrat. Missarum.* Vide suprâ *3. par. de Defectibus tit. 9. num. 4.*

& adde, neque purificatorio tergendum esse Calicem, nisi in fine tertiæ Missæ; neque omittendas esse eas Preces quæ in purificatione Calicis & digitorum ablutione recitari solent. Memento quoque, vt in vase, non in Calice, fiat purificatio digitorum, *ex dictis tit. 9. nu. 4.* Verùm in prima Missa solemnè, hausto diligentius sanguine, Subdiaconus deferet Calicem sine Purificatorio ad Credentiam de more, indeque alius in Sacris in Sacristiam; vbi supposito Corporali decenter seruabitur vsque ad secundam Missam solemnè seu priuatim celebrandam, tum ne impediatur incensationem Altaris in Laudibus faciendam; tum ne minùs reuerenter quam par sit habeatur in Credentia vsque ad aliam Missam: in cuius initio, vt aliàs, collocari poterit super Crēdentia, desiccata iam, vt creditur, quacumque reliqua vini specie. Alij alia: sed, saluo meliori iudicio, hæc Romana praxis videtur congruentior.

5 *Francol. de Temp. Hor. Can. 6. 40. num. 2.* monet celebraturum primam Missam in nocte, vt sit ille ieiunus per horas circiter sex, ex quadam congruentia. Quòd si celebraturus sit ante mediam noctem, ex priuilegio, vel legitima consuetudine, verè non dispensatur in ieiunio necessario ad Missam: idèd à pridiana media nocte ieiunet, neque in Missa Vigiliæ sumat purificationem; & eo casu, si in prima Missa noctis sumeret purificationem, imò & cibum ante mediam noctem, posset celebrare secundam & tertiam Missam Natiuitatis Domini. Fauet communis doctrina Theologorum.

6 Ceterùm probabilem sententiam & securam putat *Suar. 3. pag. disp. 80. sect. 4.* posse in nocte hac celebrari etiam Missam.

Missas priuatas simul post mediam noctem, quia nullo Iure prohibetur: nec abnuo, si causa adsit maioris numeri Sacerdotum, minorisque numeri Altarium, & eiusmodi, si minus omnes celebrare commodè possint. Opusculum docet *Francol. prima par. cap. 39. num. 20. vbi multos citat. Doct. quorum est communior sententia lege Bonacm. disp. 4. quest. ult. punct. 9. num. 5. vbi etiam docet pun. 11. nu. 10. non teneri Parochum ad tres Missas celebrandas, nisi adsit scandalum. Certè qui vnam tantum facit, vel primam, vel tertiam facere debet; & tertiam potius, cuius Oratio cum Officio concordat. Neque primam concedo posse dici separatim ab alijs de nocte, nisi coniunctam cum Matutino solemniter de more cantato.*

7 In Festo sancti Stephani, quo ille obiit, ex *Baron. in Martyrolog. contra Durand. lib. 7. cap. 21.* legitur Euangelium de Abele Protomartyre totius mundi, *Gemma lib. 3. cap. 107.* Et quia dicitur, *Lapidatus eos, & relinquitur vobis domus deserta*, &c. quod in ore Stephani fuit causa martyrij, *Act. 6.* meminit *Clem. in Const. huius & sequentium Festorum cum Natali Domini, lib. 8. cap. 39. & Rom. Ordo*; in quibus habuere Sermones antiquissimi Patres.

8 Festum S. Ioannis, vt filij Virginis sequentis ventrem qui his diebus genuit Christum, vel quia de Patre hac die redijt; vel quia Ecclesia eius nomine dedicata fuit, *Gemma libro 3. cap. 13.* cum obierit ille, ex *S. Hieron. in Breuiario, die 24. Iunij*, ait *Gemma auctor ibidem.* Præfatio dicitur de Natiuitate, quia maioris est dignitatis. & ita habetur in antiquioribus *M. Nalibus.*

9 Festum Innocentium antiquius est Origene, qui de eodem *Homil. 3. in Matib.* non admittit cantica lætitiæ; quia descenderunt in limbum, *Microlog. cap. 36.* in Dominica verò & Octaua dicuntur, ob causas allatas supra pag. 34. & 62.

10 Officia Missarum, à Vigilia Natiuitatis vsque ad Dominicam infra Octauam eiusdem inclusuè, habentur in *Antiphonario*, & *Sacrament. Gregor.* Orationes tamen secundæ & tertie Missæ Natiuitatis sunt Ambrosianæ, ex *Pamelio.*

11 Dominicæ infra Octauam Natiuitatis reperitur vestigium apud *Microlog. cap. 37.* etiam si dies ipsa non sit Dominica, & citat Introitum, *Dum medium silentium.* Oratio prima Dominicæ huius est Ambrosiana, ex *Pamelio.*

12 Octauæ Natiuitatis & Circumcisionis meminit *Maximus Taurin. in Homil. & Ordo Rom.* Oratio, *Deus, qui saluis æternæ*, est apud *Microlog. cap. 39.* *Pamelius* docet, Missæ Officium, licet legatur in *Antiphon. S. Gregor.* esse tamen eo posterius. Aliqui faciunt auctorem Festi Circumcisionis Iuonem, qui de eo Sermonem habuit.

13 Octauarum etiam sancti Stephani, & S. Ioannis, *Amalar. lib. 4. cap. 37.* scribit Officia. Si Octaua Innocentium venerit in Dominica, dicitur *Credo.*

14 Vigilia Epiphaniæ habetur in *Ordine Romano*, in qua non ieiunatur, ex *Concilio Turonen. II. cap. 13.* ob Natiuitatem Domini. Euangelium legitur anticipatè, quod accidit posttridie Epiphaniæ, ex *Martyrologio 7. Ianuary.* si venerit in Dominica, dicitur *Credo*, ratione Dominicæ.

15 Epiphania, seu Theophania, id est

est Apparitio Christi, ex *Ordine Romano*, continet miracula, Stellæ Magorum, Baptismi Christi, aquæ in vinum mutatæ, & quinque millium fatiatorum, *ibid.* meminit *Sæctus Clemens lib. 5. Const. cap. 13.* Post Evangelium publicatur Pascha, ex *Concilio Aurelianen. IV. can. 1.* vt proximè determinetur Dominica Septuagesima, quæ est prima dies ex mobilibus. Epiphania Magorum anno primo Christi contigit Feria sexta; & Officium Missæ habetur in *Antiphon. & Sacram. Gregoriano.*

16 Dominicæ infra Octauam cum Introitu, *In excelsò throno*, meminit *Amalar. lib. 4. c. 33.* quæ si contingat, vt in Rubricis Breuiarij, in Sabbato præcedenti celebrari, duas tantum in

Missâ Orationes admittit, more Dominicarum infra Octauas, quod idem fit in Dominica infra Octauam Natiuitatis, in qua fiunt tantum commemorationes de Octauis. Officium Missæ habetur in *Antiphonario & Sacramentario S. Gregorij*; sed Oratio est Ambrosiana, ex *Pamelio.*

17 In Octaua celebrari Baptismum Christi in Missâ, docuit *Amalar. cap. 34.* Orationes habentur in *Sacramentario Gregoriano.* Baptizatus autem fuit Feria sexta, ex *Cuconio in Vita Christi.*

18 De Festis Duplicibus, & alijs, quid agendum sit infra Octauam Epiphaniæ, pendet à Rubrica Breuiarij, vbi nos etiam causam reddemus desumptam ex Officio, non ex Missâ.

De Dominicis post Epiphaniam vsque ad Septuagesimam. IV.

1 **I**N Rubricis Breuiarij proprius locus est querendi, Cur sex tantum Dominicæ intercurrant ab Epiphania vsque ad Septuagesimâ. Missa enim sequitur Officium; & ideo de Missâ tantum, quæ hoc loco notatu digna sunt, indicemus.

2 Post Epiphaniam variatur Introitus cum suis accessorijs, Graduali, Offertorio, Communionem, in primis tantum tribus Dominicis; & hoc triplex Officium (ita loquuntur antiqui) Dominicalis Missæ significat tres annos prædicationis Christi, *Gemma lib. 3. cap. 110.* vt rectè post Octauam Epiphaniæ, in qua Baptismus Christi celebratus fuit, repræsententur. Officium Missæ harum trium Dominicarum habetur in *Antiphonario & Sacrament. Gregoriano.*

3 Hinc est, quod secundæ Domini-

cæ Missa dicitur semper ante Septuagesimam, saltem in Sabbato, vel alio die præcedenti, vt congruo tempore legatur Euangelium de aqua in vinum mutata, quod est initium miraculorum Christi; sicut in tertia quoque Dominica legitur Euangelium de leproso, qui, ex *S. Hieron.* fuit primo curatus à Christo. *Durand. lib. 6. cap. 19.* notat in Oratione Dominicæ 2. fieri mentionem de pace, & *pacem tuam nostris concede temporibus*, quia in eadem Dominica S. Gregorius conciliauit pacem in Vrbe, & Orbe. est tamen Oratio Ambrosiana, ex *Pamelio*, translata in hunc locum à S. Gregorio.

4 In vltimis verdè tribus Dominicis 4. 5. & 6. post Epiphaniam, Introitus, & accessoria sunt eadem, quæ habentur in tertia Dominica, *vt in Antiphon.*

phonario Gregoriano : & ratio est, quia sapius transferuntur post Pentecosten, quo loco mutuo sumunt Introitum, & accessoria, scilicet Graduale, Offertorium, & Communionem, à Dominica 23. post Pentecosten, ut cum ea eiusdem ferè rationis tunc esse videantur. quia ergo sunt Dominicæ vagæ, non habent idè certum

Introitum, nec proprium Officium, exceptis Orationibus, Epistolis, & Euangelijs. Orationes autem Dominicæ tertiæ & quartæ sunt Ambrosianæ, *ex Pamelio*.

5 Dominica sexta post Epiphaniam desiderata fuit vsque ad Pium V. sed Oratio tamen habetur in *Sacramentario Gregoriano*.

De Dominicis à Septuagesima vsque ad Feriam IV. Cinerum. V.

1 **Q**uadragesimæ ritus antiquior est quàm præcedentium Dominicarum: nam ab Apostolis tradita est, *ex Ignatio Epist. 8.* & à S. Petro Romæ instituta fuit, *ex Radulpho Prop. 16.* & idè à Quadragesima ordimur in hoc titulo, à qua reliquæ Dominicæ pendent.

2 Quinquagesima tribuitur Telephoro *ab eodem Radul. ibid. Dist. 4. ca. Statutus.* cui etiam Quadragesimam tribuit *Ruper. lib. 4. cap. 9.* forè ille Decreto firmavit, ut ait *Baronius anno 136. & 154.* Sexagesima & Septuagesima erant in vsu tempore Gelasij I. *ex Azor. lib. 10. cap. 16.*

3 Quadragesima semper contigua Paschati fuit, non Epiphaniæ, quo die baptizatus Christus recessit in desertum, adieciunt quadraginta dierum: vnde *Tertull. adu. Psychicos cap. 13.* nominat ieiunium Paschatis, quod nos Quadragesimale, ut notat *Baron. anno 57. num. 194.* Tres autem causas affert *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 45.* ut proxima passione Christi compatiamur eidem; ut item verno tempore libido faciliùs concitata reprimatur; & ut, sicuti Hebræi statim ac post quadraginta annos in terram promissionis intrauerunt, & de captiuitate Babylo-

nis reuersi sunt, celebrauerunt Pascha; ita & nos, peracto labore Quadragesimali, cum Christo Pascha celebremus. Addit quartam *Durand. lib. 6. cap. 28.* ut cum lactucis agrestibus ieiunij Quadragesimalis comedamus Agnum Paschalem, id est Eucharistiam in Paschate. Quinta fuit *S. Isidori lib. 2. cap. 36.* ad significandum, vitam nostram laboriosam egere Christi passione pro tolerantia exemplo, & ope; idè coniunctim vtrumque celebrandum est.

4 A numero dierum, vel à numero hebdomadarum sumitur apud Auctores factorum Rituum ratio harum Dominicarum. A numero dierum *Ordo Roman.* Septuagesimā definit, quasi cursum septuaginta dierum vsque ad Sabbatum in Albis, cuius Missa incipit, *Eduxit Dominus populum;* ut recolamus, inquit *Alcuin.* septuaginta annos captiuitatis Babylonice, & nostræ, quæ in septennio huius vitæ trāfigitur, & finitur in Sabbaro, id est requie. vnde infra Octauam Paschæ vnum *Alleluia* cum Graduali vsque ad prædictum Sabbatum (Graduale namque diximus lamentum significare) adhuc cantatur ante Euangelium, *Gemma lib. 3. cap. 38.*

Gg

5 Sex-

5 Sexagesima continet dies sexaginta usque ad Feriam quartam Paschae, cuius Missa incipit, *Venite benedicti, Ordo Romanus*; ut per sex quasi dies, quibus Deus operatus est in creatione mundi, & nos operemur bonum, ait *Alcun.* iuxta de. em. praecepta Legis, usquequod nobis dicatur, *Venite benedicti.* & praesertim nos monet *Honor. in Gemm. cap. 59.* ut operemur sex opera misericordiae, de quibus *Matt. 25.* simul cum Decalogo. sex enim decies componunt sexaginta.

6 Quinquagesima constat diebus quinquaginta, usque ad diem Paschae, *Ordo Rom.* ut per quinque sensus, Decalogo observato, Iubileum remissionis consequamur in Paschate. Quinquagenarius enim numerus Iubilei est. Haec *Alcunus.*

7 Quadragesima currit usque ad Cenam Domini & Pascha mysticum per quadraginta dies, *Ordo Roman.* ut virtus Decalogi per quatuor Evangelia impleatur, *Alcun.*

8 Alij, & melius, a numero dierum ieiunij sumunt harum Dominicarum rationem: nam Quadragesima habet quadraginta duos dies abstinentiae a carnibus, &c. usque ad Pascha, quasi per quadraginta duas generationes veniamus ad Christum cum Matthaeo *cap. 1.* ut ait *Hieron. citatus a Durando lib. 6. cap. 32.* Quod si velis numerare tantum veri & proprii ieiunij dies, demptis Dominicis, erunt triginta sex, hoc est, decima anni pars. constat enim annus diebus 365. *Alcun.* Eisdem autem triginta sex dies ante Pascha ut ieiunarent alij, demptis non modo Dominicis ob Resurrectionem Domini, sed etiam Ferijs quintis (quae Decreto Melchiadis *Epist. ad Episc. Hisp. cap. 3.* & habetur de Con-

secrat. Dist. 3. Ieiunium. ob Cenam Domini & Ascensionem Feria quinta celebratas, exceptae fuerant a ieiunio) indixerunt ieiunij caput a Quinquagesima, eosdem etiam ut ieiunarent alij, demptis praeterea Sabbatis, ex *Constantinop. VI. can. 55.* in signum futurae nostrae quietis, anticipaverunt ieiunium a Sexagesima.

9 Additi ergo sunt post S. Gregorium quatuor dies ieiunij, ut ait *Baron. anno 57.* a Feria quarta Cinerum ad Dominicam, nimirum tempore Caroli Magni, & Stephani Papae, quo editus dicitur Ordo Romanus plenior quam antea; quod opinatur *Carolus Nouarsen. Episc. in Comment. suis Canon.* ut non modò decima anni solueretur Deo, sed ut ieiunium quadraginta dierum Christi integrè imitarentur, quod secuti alij, qui in Cena Domini & Sabbato sancto non ieiunabant, a Quinquagesima coepere ieiunium. Alij idem observare volentes (demptis, ut diximus, Dominicis & Ferijs 5.) a Sexagesima ieiunio initium dederunt. Alij denique (sublatis a ieiunio etiam Sabbatis, ut supra) a Septuagesima ieiunium sunt exorsi. Haec ferè omnia ex *Epistola Caroli Magni ad Alcunum*; nimirum ut quadragenarius ieiunij numerus, a Christo, Moyse & Elia comprobatus, consummationem nostram aptè significet, quo consistit tum in denarij perfectione nobis promissi, tum in laboribus huius mundi a quatuor ventis delineati, & in corporis nostri, ex quatuor elementis compositi, per anni quatuor varia tempora exercitatione, *S. Isidori lib. 2. cap. 36.*

10 *Gratianus de Consec. Distinct. 5. Quadragesima.* facit auctorem S. Gregorium additionis quatuor dierum a Fe-

ria quarta Cinerum vsque ad Domini-
cam: qui conciliari fortasse posset cum
Baronio negante supra; quòd nimi-
rum S. Gregorius nondum addiderat
quatuor hos dies, quando Homiliam
habuit ad populum, ex qua *Baronius*
negat ab eodem additos eos fuisse:
deinde verò, antequam obierit, eos
addidit ille, vt essent quadraginta ie-
iunij dies. quod affirmat *Gratianus*,
& indicant *Microl. c. 49.* & *Pamelius*,
qui volunt, Officia quatuor dierum ad-
ditorum esse Gregoriana, & verè ha-
bentur in *Antiphonario* & *Sacramen-*
tario sancti Gregorij; nisi & hæc à po-
sterioribus addita fuisse dicamus.

11 Sed iam Quadragesima nostra
constat diebus quadraginta sex; quid
ergo habet mysterij? *Honor. in Gemma*
lib. 3. c. 41. docet, quadraginta sex an-
nis ædificatū fuisse templum, Ioan. 2.
id est corpus Christi, *ibidem*; & hoc
modo explicat: nam duodecim anno-
rum erat beata Virgo quando Chri-
stum peperit; vixit autem Christus an-
nis 34. & mortuus resurrexit. Ergo
corpus Christi, cuius Mater funda-
mentum fuit, ædificatum fuit quadra-
ginta sex annis, dirutum fuit in mor-
te, & reædificatum in resurrectione:
nos quoque, ait ille, ædificemus nos-
metipfos templum Domino quadra-
ginta sex diebus ieiunij quadragesi-
malis. *Ibidem* docet, nomen *Adam*
constare litteris Græcis, quæ faciunt
numerum, more Græcorum, quadra-
ginta sex; quod *Augustini est Tract. in*
Ioan. lib. 10. reformemus itaque his
diebus quadraginta sex veterem ho-
minem in bonis. Hæc ille arguè.

12 Maximè verò omnium mihi
placet *Ruper. Abbas lib. 4. c. 2.* qui has
Dominicas ordinat ratione hebdoma-
darum vsque ad quartam Dominicam

Quadragesimæ, quæ dicitur *Latare*;
& est Paradisi propria quædam ima-
go. Septuagesima, inquit ille, dicend^a
est, quia per septem hebdomadas ad
illam *Latare* peruenitur; Sexagesima,
quia per sex; Quinquagesima, quia per
quinque; Quadragesima, quia per
quatuor: hoc est, per septem ætates
mundi ad caelestem gloriam, per sex
ætates ad gratiã Redemptionis nostræ.
Fufius ille. Dominica verò *Latare* est
lætitia: vnde eo die conuiuium legi-
tur à Christo celebratū, Ioan. 6. quod
est imago Paradisi; semel & iterum
dicitur, *Latatus sum in his.* &c. ad Mis-
sam adhibentur Dalmaticæ, quæ sunt
lætitia, *1. part. tit. 19. num. 6. pag. 68.*
& præterea (quod tamen ad commu-
nem Missam non spectat) in argumen-
tum lætitia, Papa eo die defert in ma-
nibus auream Rosam, de qua lege
Duran. lib. 6. cap. 53.

13 Omittuntur à Septuagesima
Cantica lætitia, *Gloria in Excelsis*, &
Alleluia. dicitur *Tractus*, id est luctus,
vt docuimus in *Rubric. general. 1. par.*
locis suis, causa mœsticia, ex *Ordine*
Rom. Officia verò trium harum Do-
minicarum habentur in *Antiphonario*
& *Sacramentario Gregoriano.* Quòd si
Septuagesima venerit ante Purifica-
tionem, secunda & tertia Oratio non
mutantur, ita vt secunda sit de beata
Virgine, cuius partus adhuc celebra-
tur. Idemque fiat in Sexagesima, &
Quinquagesima.

14 In Ferijs autem omittitur *Trac-*
tus, quia luctus solemnus est in con-
cursu populi tantum faciendus, vt
nox dicemus.

15 In Collecta Sexagesimæ occur-
runt duo, præter Regulas ordinarias.
Alterum est, quòd dicitur Collecta de
S. Paulo sine Collecta de S. Petro;

qui in Festis eorum & commemoratione per annum numquam diuiduntur, vt patet. Alterum est, quòd licet in prima Collecta fiat mentio de S. Paulo, tamen in Oratione *A cunctis* adhuc fit de eodem commemoratio, contra illud quod habetur supra pag. 28. de Missa Votiuâ Apostolorum, quæ excludit Orationem *A cunctis*. Sed nota nouum titulum Stationis, quæ, vt in Missali dicitur in Sexagesima, est ad S. Paulum; & item nota, quòd nominat Ecclesia S. Paulum occultiori nomine, *Doctōris Gentium*. Titulus autem Stationis non est Festum, neque commemoratio, neque quid votiuum: at Regula illa, *De eodem bis non fit in eodem Officio*, valet in Festis, commemorationibus, & votiuis, non in titulo Stationis, & occulto præsertim nomine,

vel tacito, verbi gratis Apostoli cognomine in nostro casu; quæ sicut in Officio non excludunt commemorationem communem, ita neque in Missa Orationem *A cunctis*, quæ, vt aliàs diximus, correspondet suffragijs communibus Officij diuini. Simile quid habemus in Feria quinta Dominicæ tertiæ Quadragesimæ, in cuius Collecta nominantur quidem sancti Cosmas & Damianus (tacito fortasse hac de causa cognomine *Martyrum*, quia de ipsdem ibi fit mentio titulo tantum Stationis) sed inde neque in Officio, neque in N. Orationis *A cunctis*, in propria eorum Ecclesia, omitti ideò debet consueta commemoratio eorundem tamquam Martyrum inter suffragia communia, & tamquam Titularium Ecclesiæ propriæ.

De Feria quarta Cinerum vsque ad Dominicam de Passione. VI.

Feria quarta Cinerum, seu dies Cinerum, vt *Maximus Taurin.* ait in *Homil.* non est caput Quadragesimæ, & ideò adhuc Vesperæ non cantantur manè; sed initium pœnitentiæ est, vnde & Cineres capiti imponuntur benedicti, ex *Ordine Roman.* vt recordemur originis & finis nostri, ex *Ruper. lib. 4. cap. 10.* Porro in hac ipsa Feria quarta cœpit

Christus ieiunare, qui Feria tertia baptizatus est, vt rectè probat *Durand. lib. 6. cap. 28.* & die 16. Februarij Feria secunda ieiunium perfecit, vt docet *Torniellus noster Tomo secundo Annual. sacrorum, anno 4081. num. 7.* cum sine dubio illud inceperit die septima Ianuarij post Baptismum, quia cecidit die sexta Ianuarij. Rubricæ Cinerum sunt.

2. *Ante Missam benedicuntur Cineres^a facti de ramis oliuarum, sive aliarum arborum, precedenti anno benedictis, hoc modo. b* Finita Nona, Sacerdos indutus pluuiali violaceo, vel^c sine casula, cum ministris^d similiter indutis, ^e procedit ab benedicendum Cineres in vase aliquo^f super Altari posito. Et primò cantatur à Choro Antiphona, *Exaudi, &c.*

a. Facti

a *Facti de ramis oliuarum.*] Vt sicut Cineres ad humiliationē distribuuntur, ita & per humilitatem spem habeamus futura gloria, quam designauit Processio Palmarum. Cineres itaque sunt reliquiae gloriae Christi, & quasi semen gloriae nostrae. debent autem esse aridi, non in modum luti, vt declarauit sacra Rituum Congregatio 23. Maij 1603.

b *Finita Nona.*] Quia Missa in diebus ieiuniorum cantanda est post Nonam, in par. 1. Rubr. tit. 15. num. 2. pag. 50. Praeparantur Thuribulum, nauicula, & vas aquae in angulo Altaris, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 19.*

c *Sine casula.*] Vt habetur 1. part. tit. 19. num. 4. pag. 66. assumit autem Pluuiale, vt *ibid. num. 3. pag. 66.*

d *Similiter indutus.*] Et quidem sine Dalmaticis. In Ecelesijs autem praeci-

puis cum Planetis plicatis, in alijs minoribus Alba amicti ministrent, vt 1. part. tit. 19. num. 6. & 7. pag. 68. sine manipulis, *Carimon. Episc. lib. 2. capite 17.*

e *Procedit ad benedicendum.*] De Sacristia ad Altare; Acolythique tantum praecedunt cum candelabris accensis. Ministri pares Celebranti procedunt, quia Pluuiale habet, ex *Carimon. Episc. lib. 1. cap. 15. in fine.*

f *Super Altari.*] Hoc est in cornu Epistolae, *Carim. Episc. lib. 2. cap. 19.* ita vt sit vas inter Missale, & cornu Celebrans, osculato Altari in medio, accedit ad librum, vbi stans inter vtrumque Ministrum, *Carimon. Pap. lib. 2. sec. 1. cap. 29. & 41.* quia Pluuiale habet, legit Antiphonam, *Exaudi, &c.* quae cum sequentibus habetur in *Antiphonario Gregoriano.*

3 *Deinde Sacerdos in cornu Epistola, non vertens se ad populum, dicit, &c.*

Adde, manibus iunctis, & dum benedicit manu dextra Cineres, Diaconus eleuat à dextris simbriam anteriorem Pluuialis; & ideò stare debet illi à dextris, non post eum, vt diximus.

4 *Postea Celebrans, g imposto incenso in Thuribulo, ter^h aspergit Cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam, i Asperges, sine cantu, & sine Psalmo, & l ter adolet incenso. Deinde m dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare, imponit Cinerem Celebranti n non genuflexo. Si vero non adsit alius Sacerdos, o ipsemet Celebrans, genibus flexis coram Altari sibi ipsi Cineres imponit in capite, nihil dicens: & cantatur statim à Choro Antiphona.*

g *Imposito incenso in Thuribulo.*] De more, & cum benedictione, ministrantibus Diacono & Thuriferario.

h *Aspergit.*] In medio, à dextris & à sinistris Cinerum, delato vase aquae ab altero ex Acolythis, & aspergillo sine osculis dato Diacono, qui deinde cum osculo tradit Celebranti.

i *Asperges.*] Totum versum dicit, & nihil praeterea.

l *Ter adolet.*] Eodem modo quo aspergit.

m *Dignior Sacerdos.*] In suo habitu, sine Stola cum habitu Choralis, *Carimon. Episc. cit.* stans imponit Cinerem dicens, *Memento homo, quia pulvis es, &c.* Ordo Roman. At, si cinis est,

G g 3 cur

cur dicitur pulvis? *Gen. 18.* dicebat Abraham, *Cum sim pulvis, & cinis.* Cinis enim mixtus pulvere inutilis est, ex *Chrysof. Homil. 23. Epist. 2. ad Corint.* diuifum verò vilia sunt.

n *Non genuflexo.*] Stanti quidem, facie verfa ad populum, sed capite inclinato; imponit autem in formam

Crucis, *Carimon. Pap. lib. 2. cap. 31. o Ipsemet Celebrans.*] Non debet Diaconus imponere Sacerdoti Cineres. Conuenit autem, vt genibus flexis coram Altari sibi ipsi eo casu imponat, quasi à Christo illos recipiat, cui flectitur omne genu, & ad exemplum humilitatis.

5 p Sacerdos verò, dum cantantur *Antiphona, & Responsorium,* primò imponit Cineres digniori Sacerdoti, à quo ipse accepit; deinde ministris paratis, genibus flexis coram Altari, dicens.

p Sacerdos.] Stans aperto capite, & Diacono tenente à dextris eius vas Cinerum, *Carim. Episc. vbi sup.* Aperto,

inquã, capite distribuit Cineres, Candelas, & Ramos, ex Decreto sacre Rituum Congregationis 18. *Iuly 1626.*

6 Postea q veniunt alij, primò Clerus per ordinem, deinde r populus: & genibus flexis ante Altare singulatim recipiunt Cineres à Sacerdote, vt dictum est de ministris. Completa Cinerum impositione Sacerdos dicit, *Dominus vobiscum.*

q Veniunt alij.] Cum debitis reuerentijs Altari, & Celebranti antè & post, & manibus iunctis.

r Populus.] Extra gradus Altaris ad cancellos populus congruentius recipit Cineres: feminis etiam non supra velum, sed supra capillos dantur Cineres, si fieri potest commodè; ne benedictus cinis supra velu deperdat.

In fine distributionis ante Orationem *Concede,* tergat digitos Celebrans in angulo Altaris, *Carimon. Episcop. loco citato,* cum aqua & mica panis. Deinde dicitur Missa, in qua hæc sunt propria.

7 Graduale dicitur cum Tractu, *Dominus non secundum peccata nostra,* &c. non ex *Ord. Rom.* sed ex nostra deuotione, inquit *Microl. cap. 50.* quod repetitur in Ferijs secundis, quartis, & textis, *idem ibid.* cur non in alijs Ferijs? quia in prædictis tantum erat populi

cõcurfus ad luctum solemnem, quem significat *Tractus:* & est in *Antiphon. Gregor.* eadem ratione, qua in iisdem Ferijs dicuntur *Officium Defunctorum, Psalmi Graduales,* & *Penitentiales;* quia nimirum læticia Dominica minui debet statim in Feria secundæ tum in quarta venditus fuit Christus, & in sexta fuit Cruci affixus. Præfatio Quadragesimalis ex Pelagij Decreto quotidie dicitur, *Microl. loco citato,* etiam in Dominicis, *Gemma lib. 4. cap. 127.* quamuis non ieiunemus, contra quosdam, quos confutat *Durand. loco citato.*

8 Duplex Oratio in fine Missæ additur cum humiliatione: *Humiliati capiti,* &c. ex *Amalar. lib. 3. cap. 37.* vide supra 2. par. *Rubr. tit. 11. num. 2. pag. 173.* sed non in Dominicis, in quibus Communio fiebat populi, cuius loco successit in Ferijs Oratio illa duplex.

duplex; unde & in iisdem humiliatio est omittenda, *Microl. cap. 51.* Orationes autem Missæ sunt eadem quæ in *Sacramentario Gregoriano.*

9 Feria quintæ festiue habitæ sunt à sancto Siluestro successore S. Melchiadis; & ided non habuere Officia propria à sancto Gregorio I. Gregorius deinde dictus Iunior, id est II. Officia propria & Missas (quæ addita sunt Antiphonario & Sacrament. Gregorij) iisdem distribuit, *VValafr. c. 20.* imò, ex *Baronio anno 731.* ieiunium in iisdem instituit in Ecclesijs ijs, in quibus adhuc non agebatur; & ided Euangelia ferè omnia, quintis Ferijs assignata, communia sunt alijs diebus extra Quadragesimam.

10 In Sabbato Cinerum idem est Officium Missæ quod in præcedenti Feria 6. quia posterius est S. Gregorio, ex *Microl. cap. 49.* cum Oratione tamen diuersa, in *Sacramentario sancti Gregorij.*

11 In Dominica prima Quadragesimæ nihil occurrit notandum, nisi, quod ea contingit aliquâdo die 16. Februarii, ut in *Tabula IX. Calendarij nostri perpetui*, & ea ipsa dies est, ex *Augustino Tornielo in Annal.* qua Christus tentatus fuit, ut in Euangelio Dominicæ.

12 Feriæ Quatuor Temporum, ex Decreto Gregorij VII. tamquam à Maioribus eo tempore institutæ, habent Officia in *Sacrament. S. Gregorij*, & *Lectionario S. Hieronymi.* de quarum ritibus vide quæ diximus suprâ de Adventus Quatuor Temporibus, ubi, cur Euangelium 2. Dominicæ Quadragesimæ sit idem ac Sabbati præced. indicauimus.

13 Dominica 2. habet Missæ Officium non Gregorianum, ex *Microl.*

cap. 24. & 29. & ex Pamel. Dicta est vacans, hoc est sine Officio proprio: nam Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio sumpta sunt de Feria 4. præced. Reliquarum Feriarum & Dominicarum sequentium Officia partim in *Antiph.* partim in *Sacrament. Gregor.* habentur, paucis Orationibus mutatis in aptiores.

14 In Feria 5. Dominicæ 3. habetur Collecta de SS. Cosma & Damiano, de qua vide suprâ *tit. præced. numero 15. pag. 236.*

15 Feriæ 4. Dominicæ 4. variatur Missa, cui datæ sunt duæ Lectiones, ut in Feria 4. Temporum. putant aliqui, ad indicium futurarum in Sabbato ordinationum. Sed hac die fiebat Scrutinium baptizandorum in Paschate, & inter septem Scrutinia hoc erat maximum, *Ordo Rom.* quod Scrutinium non est in vsu hodie, sed tamè Missa est eadem, in qua Catechumenis dicitur in Introitu, *Effundam super vos aquam mundam*; & idem repetitur in prima Epistola: tum dicitur, *Lauamini*, in secunda; & in Euangelio cæcus natus nondum lotus Catechumenum representat, ex *Aug. in Homilia illius Feriæ.* à qua Feria vsque ad Parasceuen ieiunabât quindecim diebus, demptis Dominicis, ex *Ruper. lib. 4. cap. 18.* Causas autem Scrutinij in hac Feria 4. vide apud *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 54.*

16 In reliquis diebus nihil noui occurrit declarandum vsque ad Dominicam de Passione, exceptis Ordinationibus, quæ in Sabbato *Sistentes*, ita dicto, quia Introitus Missæ incipit à verbo *Sistentes*, concessæ sunt ex Decreto Gelasij I. *Dist. 75. Ordinationes Presbyterorum.* de quibus eadem est ratio cum alijs Sabbatis Quatuor Temporum, ut suprâ nos diximus.

De

De Dominica de Passione, & Hebdomada
maiori. VII.

1 IN primis Vesperis Dominicæ de Passione velantur Cruces & Imagines, ex *Carim. Episc. lib. 2. c. 20* hoc est ante Vesperas; velum autem non debet habere secum aliam imaginem: & illud velum, quo teguntur Cruces, sit potius violaceū quàm nigrum (album nequaquam) nisi aliud statuatur infra. quo ritu significatur, iam Christum non in palam ambulasse apud Iudæos hoc tempore, & abscondisse se, vt in Euangelio Dominicæ dicitur.

2 *Ruper. lib. 5. cap. 1.* probat, verisimiliter in Vesperis Sabbati ante Dominicam de Passione coactum fuisse Concilium aduersus IESUM; ideoque mœstitia maior cōuenit Ecclesiasticis Officijs: & hinc in Introitu tacetur *Gloria Patri* apud quosdam, inquit ille; sed *Ordo Rom.* expressè omittit, vt & nos humilitati studentes omittamus excelsa nostra, ait *Alcuin.*

3 Omittitur etiam *Iudica me Deus.* ita *Gemma lib. 4. cap. 117.* & quia Officia huius Dominicæ sunt media inter dies Quadragesimæ & sequentes de Passione, ideo fortè dicta est *ab Ord. Rom.* Dominica mediana, vt etiam à *Gelasio Dist. tit. preced. num. 15. citata.*

4 De duabus Orationibus, non tribus, & de Præfatione de Cruce diximus in 1. par. Rubr. tit. 9. & 12. pagina 26. & 41. testatur autem *Micrologus cap. 50.* Præfationem de Cruce non dici solitam ante Palmas, qui mos durauit vsque ad Pium V. à quo statuta est Præfatio de Cruce ab ipsa Dominica de Passione.

5 In Sabbato ante Palmas Officium non est Gregorianum, ex *Amal.*

lib. 1. cap. 9. tamen congruum legitur Euangelium, in quo habetur, quod in crastinum turbæ obuianere Christo; ergo, quæ narrantur initio, contigerunt hac die. Officium Missæ, hoc est Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio, sunt de Feria 6. precedenti; quia olim Sabbatum vacans dicebatur, in quo Papa elemosinas dabat.

6 Dominica Palmarum dicta est in *Ord. Rom.* Palmarum, siue Florum, siue Ramorum, Hofanna, Pascha petentium, siue competentium, id est simul petentium Symbolum ante Baptismum, ex *Alcuino, & Capitolanum,* quia in hac die lauabantur capita vngendorum in Sabbato sancto, ex *Sid. lib. 1. cap. 27.* item Hebdomada maior, apud *Chrysoft. Hom. 30. in cap. 10. Gen.* quo nomine eam vocat etiam *Clem. lib. 8. Const. 39.* vel quia in ea maxima parsimonia, vel quia in ea Officium maius celebratur, *Ordo Roman.* addit *Microlog. cap. 52.* Maiorem dici, ob sanctissimum Dominicæ Passionis sacramentum. *Idem Chrysoft.* appellat Magnam, quia magna, inquit, & ineffabilia bona in ea contigerunt. Item appellatur Indulgentiæ, ob pœnitentes absoluentos publicè, *Honor. in Gem. libro 3. cap. 72.* Item Pœnosa, & Sancta, ob Christi passionem, & impios iustificatos, *Durand. lib. 6. cap. 67.* Authentica, in *Officio Ambrosiano.* & dicitur etiã Vltima à *S. Ambrosio. Epist. 31.* quia vltima est Quadragesimæ.

In benedictione Ramorum Rubricas attende Missalis, quibus addemur alias minutiore de more.

7 *Completa Tertia, & facta aspersione aquæ, more solito, Sacerdos indutus pluuiiali violaceo, vel sine casula, cum a ministris similiter indutus, b procedit ad benedicendum ramos palmarum, & oliuarum, siue aliarum arborum, c in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positos. Et primo cantatur à Choro Antiphona.*

Benedictionis Palmarum mentio est anno 877. apud Baron. sub Ioanne VIII.

Aspersio aquæ, de qua Rubr. fit à Sacerdote statim ac venerit ante Altare.

Acolythes ante aspersione aquæ deponant candelabra super Credentia.

a *Ministris similiter indutus.*] Hoc est simili colore, sed sine Dalmaticis, cum Casulis plicatis, vel in albis, iuxta supradicta iii. 19. num. 6. & 7. par. 1. pag. 68. & 70. Manipulos autem in hoc casu Ministri portant, quia cantaturi sunt Epistolam & Euangelium.

b *Procedit ad benedicendum.*] De Sacrificia iam venit Celebrans, præce-

dentibus Acolythis cum candelabris, vt ante Missam, sine Thuriferario, & cum Ministris, capite cooperto, hinc inde à latere Celebrantis, vt in simili casu *Cerimon. Episcop. lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 30. & 31.* quia Pluuiiale habet. Quare verbum *procedit* hoc loco non significat motum localem à Sacrificia, sed quòd, finita aspersione, prosequitur benedictionem Palmarum, ascendendo ad Altare, quod osculatur in medio, & deinde in cornu Epistolæ cantando, vt in Missali.

c *In medio ante Altare.*] Ita Ordo Romanus, sed est commodius, quòd ad cornu Epistolæ ponantur Palmæ & rami.

8 *Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, dicit in tono Orationis Missæ Ferialis, Dominus vobiscum.*

Non diducit manus, sed iunctas eas tenet, etià ad *Oremus*, & ad Orationes; quia sumus extra Missam. & Ministri

pares sint Celebranti hinc inde, vt, quando erit opus, commodius Diaconus eleuet simbriam Pluuiialis à dextris.

9 *Postea Subdiaconus in loco solito cantat sequentem Lectionem in tono Epistolæ, & in fine osculatur manum Sacerdotis.*

Eadè prorsus facit quæ pro Epistola Missæ; in cuius fine non tamen defert librum Celebrantis ad cornu Euan-

gelij, quod legit Celebrans, si velit, in cornu Epistolæ; & resumit, si ea vitur, Planetam plicatam Subdiaconus.

10 *Interim dum cantatur Bz. Diaconus ponit librum Euangeliorum super Altare: & Sacerdos, ministrante Diacono nauiculam, ponit incensum in Thuribulo. Deinde Diaconus dicit, Munda cor meum, accipit librum de Altari, petit benedictionem à Sacerdote: postea Sub-*

H h diacono

diacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, signat librum, incensat, & cantat Euangelium, ut infra, more consueto: quo finito, Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti, qui & incensatur à Diacono.

Non discedit Celebrans à cornu Epistolæ. Omnia fiunt, etiam à Thuriferario, prout ad Euangelium Missæ diximus 2. par. tit. 6. num. 5. pag. 127.

hic adde tamen, quòd si Diaconus Casula plicata utitur, incensato Celebrante priorem resumit, eo modo quo diximus pag. 68.

11 *Post hæc benedicuntur rami. Sacerdos stans in eodem cornu Epistolæ dicit in tono Orationis ferialis, Dominus vobiscum.*

Eodem modo cantat Præfationem manibus iunctis, assistentibus hinc inde Ministris, cum quibus dicit *Sanctus*, &c. cum autem manu benedicturus est ramos, Diaconus eleuat à dextris fimbriam Pluuiialis anteriorem; Celebrans verò, dum dextra signum Crucis facit, ponit sinistram super Altare, ex Rubr. gener. par. 2. tit. 3. nu. 5. pag. 109. & tit. 7. num. 5. pag. 134.

In Orationibus nihil est detrahendum, neque mutandum, licet benedicantur rami arborum, non palmæ, nec oliuarum rami: quia ij rami arborum

succedunt palmarum loco, & à populo eo die vocantur palmæ. Neque Romæ (vbi saltem oliuæ benedicuntur, non aliæ inferiores arbores) tacentur ea verba in quarta Oratione, *ceterarumq; arborum*: neque est mendacium dicere in Parascue, *Eccè lignum Crucis*, adhibita tunc Cruce argentea à Celebrante.

12 Circa finem quintæ Orationis, Acolythorum alter accipit de Credentia vas Aquæ benedictæ cum aspersorio, & vnâ cum Thuriferario accedit ad Celebrantem prope Diaconum.

13 *Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter ^d aspergit ramos Aqua benedicta, dicendo Antiphonam, ^e Asperges me sine cantu, & sine Psalmo: & ter ^f adolet incenso.*

^d *Aspergit ramos.*] Ordo Rom. accepto nimirum aspersorio de manu Diaconi cum solitis osculis & reuerentijs. Aspergit autem ter, id est in medio, à dextris ramorum, & à sinistris eorum.

^e *Asperges me.*] Submissa voce Verbum illum tantum.

^f *Adolet incenso.*] Ordo Romanus; eo modo scilicet quo asperit, nihil di-

cens. Diaconus autem in aspersione & incensatione eleuat fimbriam pluuiialis. rursus Celebrans in cornu Epistolæ, vt prius, addit quæ sequuntur in Missali.

Benedictio hæc breuior est quam sit in Ordine Romano; sufficiens tamen, demptis Orationibus, quæ multò plures habentur ibi.

14 *Completa benedictione, g dignior ex Clero accedit ad Altare, & dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec osculatur ma-*

num dantis. Postea Celebrans stans ante Altare versus ad populum, distribuit ramos, primum digniori, à quo ipse accepit, deinde Diacono & Subdiacono paratis, & alijs Clericis singulatim per ordinem, ultimò laicis: omnibus genufle etentibus, & ramum ac manum Celebrantis osculantibus, ^h exceptis Prælati, si adsint.

g Dignior ex Clero.] Dignior, qui dat ramum Celebranti, stans in suo habitu sine Stola, eidem stanti dabit, & cum osculo rami ab utroque facto, non manus; deponit autem Celebrans ramum suum in manu Acolythi, & dum alijs aperto capite, ut diximus pag. 238. stans distribuit, Diaconus à sinistris eius ministrat eidem ramos, eos tantum osculando, deposito

interim suo ramo super Altare. Alter Acolythus ministrabit ramos Diacono sine osculis.

h Exceptis Prælati.] Canonici quoque non osculantur manum Celebrantis Canonici, ex Cerim. lib. 2. cap. 17.

Si populus est multus, poterit alius Sacerdos mitti, qui distribuat laicis; sed Ordo Romanus à Celebrante distribui iubet.

15 Postea fit ⁱ Processio. Et primò Celebrans ^l imponit incensum in thuribulum: & Diaconus vertens se ad populum dicit: Procedamus in pace. Et Chorus respondet: In nomine Christi, Amen. Præcedit thuriferarius ^m cum thuribulo fumigante: deinde ⁿ Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis: sequitur Clerus per ordinem, ^o ultimò Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum ramis in manibus: & cantantur sequentes Antiphonæ, vel omnes, vel aliqua, quousque durat Processio.

i Processio.] Tradit Ordo Romanus.

l Imponit incensum.] Ministrante Diacono, & Thuriferario, cum benedictione, de more.

m Cum thuribulo fumigante.] Ut quasi sternat viam Crucifixo sequenti cum odore incensi: vel quasi Christus trahat post se sequentes in odorem vnguentorum suorum.

n Subdiaconus paratus.] Eo modo

quo supra; & ille idem qui supra, non alius defert Crucem inter Acolythos, cuius usum in Processione antiquissimum docet Baron. anno 398. ut par. 1. diximus tit. 19. num. 3. pag. 65. & prædicti quatuor deponunt alicubi ramos suos, ut commodius gestent alia.

o Ultimò Celebrans.] Cooperto capite, & cum ramis in manibus suis, tam Celebrans quam Diaconus.

16 In reuersione Processionis, duo vel quatuor cantores intrant in Ecclesiam, & clauso ostio stantes versa facie ad Processionem, incipiunt ^y. p. Gloria, laus. & decantant duos primos Versus. q. Sacerdos vero cum alijs extra Ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus, cantant alios Versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur:

& qui sunt extra, ad quoslibet duos Versus respondent, Gloria, laus, sicut à principio. Postea Subdiaconus hastili Crucis ⁊ percussit portam: qua statim aperta, Processio intrat Ecclesiam cantando R.

p *Gloria, laus.*] Duodecim tantum Versus habet *Ordo Romanus*, & auctor eorum dicitur fuisse Aurelianensis Episcopus, de carcere idcirco liberatus. lege *Durand. libro 6. cap. 67.* Quam Historiam describit etiam *Baronius* anno 835. ex probatis Auctoribus.

q *Sacerdos cum alijs.*] Sacerdos coo-

perto capite, Subdiaconus prope portam in medio, versa tunc imagine Crucifixi ad Sacerdotem.

r *Percussit portam.*] Semel in ima parte portae, & cum ima parte hastili, ex *Cerimoniali Pap. lib. 2. cap. 39.* & *Rituale Romano Pauli V.* tum ad Altare deponit Crucem prope Credentiam, si Missa sequatur solemniter.

17 *R. Ingrediente Domino, &c. Habet Ordo Romanus.*

18 *Deinde celebratur Missa, & rami tenentur in manibus dum cantatur Passio & Euangelium tantum.*

Ad totam Missam tenebantur rami in *Ordine Romano*: sed ad Passionem omnino, ut, dum ignominia Crucis narratur, eiusdem victoria per ramos ostendatur. Celebrans autem dum legit in cornu Epistolae Passionem, palmam teneat sinistra manu, *Cerimon. Marcell. lib. 2. cap. 41.* idem & ministri faciant. Missa habetur in *Antiphonario & Sacramentali Gregoriano*; unicaque dicitur Oratio, quae à sancto Ambrosio accepta est, ex *Pamelio*, de Feria 6. in Parasceue Ambros.

19 In Missa legitur Passio à S. Mattheo scripta: nam Alexander Papa instituit, Passionem legi hoc tempore à quatuor Evangelistis scriptam, eodemque ordine quo ipsi scripserunt, *Durand. cap. 68.* refert *S. August. Sermone 144. de Tempore*, vno tantum die Passionem legi solitam fuisse, & secundum Mattheum; & cum ille voluisset eam legi iuxta quatuor Evangelistas, factum quidem est, sed

cum auditorum ob novitatem perturbatione.

Notae illae ✠ C. S. non sunt antiquae, auctorem habent incertum; & puto eas significare Christum, Chonistam, Synagogam; alij, Christum, Cantorem, Succentorem: nam Diaconi dicuntur hodie Cantores Passionis in *Cerimon.* Vox autem *Succentor* non est nova aut recens in Ecclesia Latina, quam ego legi inter Dignitates Cathedralis Auerlanæ in instrumento celebrato cum Fratibus Minoribus anno 1234. quod habetur apud *Lucam Vadingum* in *Regesto Pontificio ad calcem Annalium Minorum*, anno 1239. *Bulla 27.* Ad cantandam verò Passionem eadem observanda ferè sunt quae infra dicemus in *Parasceue* num. 3. sed Stola Cantorum erunt violaceae. vide ibi. Dilatio enim haec fit in gratiam nostri Ordinis, qui hodiernam non cantat Missam.

20 Non petitur benedictio, quia auctor

auctor benedictionis extinctus legitur; eademque de causa neque luminaria deferuntur, neque thus adhibetur, *ex Ordine Romano*, quia feruor deuotionis in Apostolis tepuerat. Nec dicitur *Domine vobiscum*, in detestationem male salutaris Iudæ; neque gloria Christo datur, qui in Passione est, *Durand. ibidem*. De omissione *Gloria tibi Domine* scribit *Microlog.* etiam c. 52. Omnis autem solemnitas in tanta incertitia tollitur; & in fine tantum, more solito, tamquam ad Euangelium Missæ petitur benedictio, incensatur liber, qui & osculandus datur Celebranti in initio postremæ partis, cum eiusdem incensatione, *Durand. ibid.* in fine quoque respondetur, *Laus tibi Christo*, quæ item (excepta incensatione libri & Celebrantis) seruanda erunt in Missis priuatis.

21 Ad legendam autem Passionem in Missa priuata non extinguuntur luminaria in Altari, vt ex professo probat *Paulus Comitolus in Respons. moral. lib. 1. quæst. 49.*

22 In fine Missæ legitur Euangelium variè, vt dicitur *part. 1. Rubr. tit. 13. num. 2. pag. 46.* nimirum in Missis priuatis Euangelium Palmarum, in solemnibus S. Ioannis, & in ijs priuatis, quæ sequuntur immediate benedictionem palmarum.

23 Mysticè in hac Benedictione, Processione, & Missa, recole decimam fuisse Lunam hac die, in qua ducebantur agni in domos immolandi in Paschate, *Exod. 27.* & ecce Christus Agnus Dei portatur ad victimam, *Ierem. 11. ex Amalar. lib. 1. cap. 10.* vnde partim lætitiæ, ob palmas, victoriæ symbolum, partim mæroris est hæc dies; quia includitur in

Ierusalem vt Agnus ad occisionem. Porta Ecclesiæ clausa, & hastili Crucis aperta, designat Ierusalem caelestem per Christi Passionem nobis reueratam. vnde dicitur *xi. Ingrediente Domino in sanctam ciuitatem.* Reliqua per se patent ex Historia Euangelica, & Benedictione ramorum, id est ex verbis Benedictionis.

24 Sed quid agendum, si Processio extra Ecclesiam exire nequeat? Fiat circum Ecclesiam, & quod ante portam præstandum erat, fiat in vestibulo ante ingressum Cappellæ maioris.

25 Quid item, si Cantores desint ad cantandam Passionem? eo casu Diaconus solus Missæ cantet totam; & ea finita, redeat ad Altare, ac reliqua faciat pro parte postrema, vt supra dictum est, & dicemus Feria 6.

26 In Feria quarta sequenti ad Introitum non genuflectitur. Duæ Lectiones leguntur, *ex Ordine Romano*, vel propter Ordinationes futuras in Sabbato sancto, *Durand. cap. 70.* vel quia in prima Lectione de morte animæ, in altera de morte corporis agitur: Christus autem mortuus est pro redemptione vtriusque, *Amalar. lib. 1. cap. 11.* vel quia ea die venditus est Christus: vnde quasi sit Feria 4. Temporum, habet ieiunij duplicem rationem; & inde sumptum est, quod in ieiunio post sextam Feriam, Feria quarta primum locum obtinet, *Durand. loco nunc citato.* Tractus post secundam Lectionem dicitur, vt in Parasceue, qui, vt alias diximus, luctum significat, *Ruper. lib. 5. cap. 13.*

27 Habes in *Antiphonario & Sacramentario S. Gregorij* Missarum Officia præcedentis tridui.

De Feria quinta in Cœna Domini. VIII.

1 DE hac Feria *Ordo Romanus*. Missa verò festiuū habet Officium, ob institutionem Sacramenti Sacramentorum. Sed, vt ait *Rupert. lib. 5. cap. 14.* sicut in Feria quinta mundi ex aquis ortum genus partim reliquit gurgiti Deus, hoc est, pisces creauit; & partim leuauit in aëra, hoc est aues: ita in hac Feria quinta deprimimur in tristitiam, leuamur in gaudium. Crux, quæ in Altari est, velo tegatur albo.

2 Missæ Officium habetur in Antiphonario & Sacram. Gregor. cuius Collecta huc translata est ex Missali Ambrosiano, ait *Pamelius in Liturgicon tom. 1.* Dicitur *Gloria in excelsis*, ex Bonifacij Decreto, *Durand. lib. 6. c. 75.* & ab Episcopis, *de Conf. Dist. 1.* Porro, qui est Canon Nicolai Papæ. Campanæ deinde silent, vt excelsa nostra & turrium nostrarum taceant in humilitate Christi, *Alcuin.* & quia tunc Apostoli prædicatores per castella non circuibant, & tacebant, *Rupert. loco cit. cap. 29.* & vt silentium indicamus populo, *idem.* Dicitur *Pax vobis* ab Episcopo, in *Sacramen. Gregor. Euangelium* quadrat, quia eo die Chri-

stus lauit pedes: & in Epistola sufficienter agitur de Eucharistia.

3 De Symbolo diximus in *Rubr. general. 1. par. tit. 11. Communicans*, *Hanc igitur oblat. Qui pridie*, quæ sunt propria huius Missæ, habentur in *Ordine Romano.*

4 Pax non datur, *ex eod. Ord. Rom.* in detestationem osculi Iudæ, *Alcuin.* In tertio *Agnus Dei* dicitur, *dona nobis pacem*, contra editionem Venetam in Officijs paruis Hebdomadæ maioris, in quibus perperam notatur, quod habet *Duran. lib. 4. cap. 52.* tertio dicit, *miserere nobis*: nam Missale vult dici de more, quamuis pax non detur.

5 Reseruatur Hostia cum particulis in sequentem diem pro Sacerdote, & infirmis, ex Decreto Innocentij I. *Duran. c. 75.* & habetur hæc reseruatio in *Sacram. Gregor.* nihil de Sanguine, tum quia periculum est ne effundatur, *Hugo Victorin. de Spec. Miss. obseru. lib. 3. cap. 20.* tum quia significatur in Calice finis legis antiquæ, & cum bibisset Christus in Cruce, dixit, *Consummatum est*, id est Testamentum vetus, *Duran. loco citato.*

Verba Rubricarum huius diei sunt

6 *Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis: Sanguinem verò totum sumit: & ante abluitionem digitorum ponit Hostiam reseruatam in alio Calice, quem Diaconus^a Palla & Patena cooperit, & desuper^b velum expandit, & in medio Altaris collocat. Deinde^c fit Communio, & completur Missa. Sacerdos autem^d genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit à medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in Calice reseruatam, & cum dicere debet, Dominus vobiscum, non vertit se ad populum.*

lum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, sed à latere Euangelij: & in fine. e ibidem dat benedictionem.

Calicem alterum de Credentia ad Altare hoc item loco deferat Subdiaconus sine velo longo, sed cum velotantum Calicis eiusdem paruo, Patena, & Palla.

a *Palla & Patena cooperit.*] Palla prius, quæ, ut diximus aliàs, significat lapidem ad ostium monumèri; Patena deinde, ad tutelâ Pallæ, quasi sigillum indicet Pharisaorû, de quo *Matt. 27. Signatus lapidem cum custodibus.* Cùm enim Sabbato sancto anticipetur Missa, quæ de nocte dicebatur, congruit etiam accelerari representationem Sepulchri Christi, ut innuit *Duran. lococitato.* à Feria V. post Missam, quamquam improprie, Sepulchrum Domini hoc appellatur.

b *Velum expandit.*] Velum album ad cautelam & ornatum apponitur.

c *Fit Communio.*] Omnis populus communicat in ordine suo. ita legitur in *Sacramentario Gregoriano.* De qua Communionem vide suprâ p. 2. tit. 10. num. 9. pag. 172.

7 An Cleri quoque & Sacerdotum? Sanè *Francolinus 1. par. de Tempore Hor. Can. cap. 30. ex Ord. Roman. & Alcino* contendit, non licere hodie Sacerdotibus celebrare priuatas Missas, ob receptam consuetudinem faciendi vnum Sacrum solemne, in quo, exemplo Apostolorum, omnes Presbyteri communicent: cui subscribit *Azor. lib. 10. cap. 24. quest. 5. quid-*

8 *Legitur Euangelium sancti Ioannis, in cuius initio Sacerdos non signat Altare, sed seipsum tantum.*

In Altari non fit signum; quia ibi immediatè adest auctor benedictionum. Si legi Euangelium in libro. potest

quid contrâ sentiunt *Sotus & Nauarrus*; extatque Canon Soteris de hac Communionem generali de *Consec. Distinct. 2. In cœna.* concedit *Suarez 3. part. disp. 8. sectione 2.* Missas plures, secluso scandalo, & in loco secreto, sine concursu. Sacra verò Rituum Congregatio 27. Septembris 1608. Communionem Cleri iubet in hac Missa, in memoriam, quòd Christus communicauit Apostolos; & hoc est seruandum. Communicent autem Presbyteri cum Stola de collo pendente, ex *Concil. Braccar. III. can. 3.* ante Altare quidem Sacerdotes & Leuitæ, extra Chorum populus, ex *Concil. Tolitano IV. cap. 17.* si tamen Stola omitatur, non est peccatum mortale, ex *Doctoribus apud Bonac. disp. 4. quest. 6. pun. 2. num. 2.*

d *Genus flectit, quandocumque accedit, &c.*] Ob reuerentiam Sacramenti, licet in Calice lateat, & sub velo. quod in simili casu aliàs obserua.

e *Ibidem dat benedictionem.*] Hoc est, in latere Euangelij; neque perficit circulum, sed reuertitur ad medium, ne terga vertat Sacramento: nam crastina die ob eandem causam idem habes aperte in Rubrica ad *Orate fratres.* eadem obseruent Ministri; & ad ea, quæ maioris sunt reuerentiæ his diebus erga Christum à Iudæis derisum, diligentiùs aduertant.

signare librum. Ad ea, *Et Verbum caro factum est,* genuflectat Celebrans cum Ministris paulò versus Sacramentum.

9 *Hodie*

9 *Hodie* ^f *paretur locus aptus in aliqua Cappella Ecclesie, vel Altari, & decoratus, quoad fieri potest, ornatur & cum velis & luminibus, ubi Calix cum Hostia ut supra reservata, reponatur. Finita autem Missa accenduntur intorticia, & ^b fit Processio more solito, alio tamen ⁱ Subdiacono parato Crucem ferente. ^l Celebrans indutus Plumali albo, stans ante Altare, ^m imponit incensum in duobus thuribulis absque benedictione, deinde in medio genuflexus, cum altero ⁿ incensat ter Sacramentum: & ^o accepto Calice cum Sacramento de manu Diaconi stans, & cooperto extremitatibus veli, quo eius humeri teguntur, procedit medius inter eundem Diaconum à dextris, & Subdiaconum à sinistris, & sub baldachino, duobus Acolythis ^p Sacramentum continuè incensantibus usque ad locum preparatum, ubi pro crastino servandum est. Interea dum fit Processio, ^r cantatur Hymnus, Pange lingua gloriosi Corporis. Cum autem ventum fuerit ad locum paratum, Diaconus genuflexus à Sacerdote stante accipit Calicem cum Sacramento, & ponit ^s illum primò super Altare, ubi à Sacerdote genuflexo incensatur, ut supra: deinde ^t reponit in capsula. Postea in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu.*

^f *Paretur locus.*] Omnino debet esse distinctus ab Altari, in quo fuit celebratum.

^g *Cum velis.*] Vela sunt cortinæ, ex *Gloss. de Consecrat. d. 1. cap. Altaris.* Imò ex *Ambros. ad Marcellinam,* ut explicat *Baron. anno 112.* sunt cortinæ Regiæ. Plura idem *Baron. an. 329.* Non igitur adhibeantur panni nigri; tum quia in horto sepultus fuit Christus; tum quia crastina die super Calicem adhuc erit velum album, cum reportabitur ad Altare maius; tum quia vivit verè Christus, etiam in representatione mortis eiusdem. Exemplum habes in Sacello Pontificio Romano, ubi omnia splendent in hoc casu reservandæ Hostiæ, ab usque à vulgo sepulchrum Christi appellatur, ut supra diximus.

^h *Fit Processio more solito.*] Ante Pium V. de hac nulla mentio est in

Missalibus: fit autem de more, Acolythis nimirum cum candelabris Crucem comitantibus; non tamen extra Ecclesiam, ex Decreto S. Congregationis super negotia Episcoporum, tum in hac quàm in sequenti Feria, die 6. Augusti 1591.

ⁱ *Subdiacono parato.*] Id est, cum Tunicella alba, sine Manipulo, Cui etiam sit adhuc velata, contra quosdam, qui oppositam scripserunt legis: & melius Romæ velo tegitur violaceo quàm albo, prout requirit Professionis tempus. Quòd autem à Subdiacono Crux deferatur, diximus supra *par. 2. tit. 13. num. 4. pag. 184.* Hic autem cum suis Acolythis stabit, genuflexis alijs in loco ubi reponitur Sacramentum.

^l *Celebrans indutus Plumali.*] Vbi illud induat, retrahet se extra cornu Epistolæ, ob præsentiam Sacramenti ibique

ibique omnes deponant Manipulos, in *Imponit incensum absque benedictione.*] Vide supra quæ diximus in elevatione Hostiæ ad Missam *par. 2. tit. 8. num. 8. pag. 153. & in Cerim. Episc. lib. 1. cap. 23. & lib. 2. cap. 33. habetur.*

n *Incensat ter Sacramentum.*] Adde, facta antè & post profunda capitis simul cum Ministris inclinatione. Caveat Diaconus ab osculis coram Sacramento *Cerim. Episc. lib. 1. cap. 23.*

o *Accepto Calice.*] Ita ut Celebrans sinistra nodum teneat, & dextram superponat Calici, quam Diaconus tegit extremitatibus veli pendentis ab humeris.

p *Sub baldachino.*] Vocatur Mappa ab *Innoc. III. lib. 2. Myst. Miss. cap. 7.* & in distributione hastarum eiusdem, nobilioribus dantur eæ quæ sunt in facie Celebrantis, posteriores minus nobilibus, *Cerimon. Pap. lib. 2. cap. 14. & Cerimon. Episc. lib. 1. c. 14.* Nobilioribus item inter hastas pares dentur eæ, quæ sunt à dextris Celebrantis, dum procedit. conuenit tamen, ut hodie & sequenti die ab Ecclesiasticis cum Pluuiialibus deferantur hastæ; quod si desint Pluuialia, non ideo induant Stolas, cortis tantum indui, *ex Cerim. Episcop. lib. 2. cap. 25. & 26.*

q *Sacramentum continue incensantibus.*] Duobus modis fieri potest. Primò, si Acolythi alternatim incensent ductis Thuribulis, ut sit in incensatione personarum. Secundò, si hinc inde ante procedant mouentes manibus dextris Thuribula de iisdem penden-

tia, & effumantia, ait *Rituale Romanum de Processione sanctissimi Sacramenti*, quasi sternendo viam Sacramento cum odore incensi. qui modus videtur magis vtitatus, & maiorem reuerentiam connotat erga Sacramentum, quod numquam nisi à genuflexis Sacerdotibus incensari solet.

r *Cantatur Hymnus, Pange.*] Celebrans numquã cum alijs in Processione Sacramenti cantat, sed secretò dicit. Quia Processio nõ fit extra Ecclesiam, conuenit, ut Clerus ad primos duos Versus, *Tantum ergo Sacramentũ*, &c. genuflectat conuersus ad Sacramentum; ministri tamen nõ genuflectant: extra Ecclesiam verò minimè, & vbi multus est Clerus. posset alioqui, & malè, interrumpi Processio.

s *Illum primo super Altare.*] Adde, & deinde genuflexione facta descendit, & rursus imponi curat incensum sine benedictione à Celebrate stante, ut priùs, amoto velo per Subdiaconũ ab humeris Celebrantis; quia nõ est daturus in fine benedictionem.

Dum incensatur Sacramentum, cantatur, *O salutaris Hostia*, vel, *Tantum ergo Sacramentum*, ut in *Cerimon. Episc. lib. 2. cap. 23.*

t *Reponit in capsula.*] Facta iterum genuflexione antè & post. Clauem autem dabit illi ad quem spectat: non enim videndus est Calix à populo, & multò minus Hostia patere populo debet. Neque dari debet clauis laico, quantumuis nobili, ex Decreto sacra Rituum Congregationis 30. *Ianuarij 1610.* sed ei potiùs qui sequenti die est celebraturus.

10 *Et Sacerdos cum ministris denudet Altaria, legendo Antiphonam, Digiserunt, &c. cum toto Psalmo.*

Ordo Romanus. Altaria, inquit Rub. non Altare maius tantum. An Altaria denudanda erunt, dum dicuntur Vesperæ? ex hac Rubrica videtur affirmandum. *Alcum.* post Vesperas vult denudari, quia vespere, ait, nudatus fuit Christus suis discipulis. Idem habet *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 23.* & communior vsus Ecclesiarum Urbis cum Cærimoniali prædicto explicat Rubricam. In Missali Vatic. 1604. legitur: *Postea Sacerdos cum ministris denudet, &c.*

11 Hæc Altarium nuditas significat Christum amisisse speciem & decorem, *Ruper. lib. 5. cap. 35.* & vestimenta illius fuisse diuisa inter milites, vt ex Antiphona patet. & idem *Rupert.* colligit nudatum Christum quasi gloria deitatis: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* contemplatur *Duran. cap. 76. loco citato.*

12 Procedat autem Celebrans cum Diacono in Albis & Stolis tantum violaceis, cum Subdiacono in Albis tantum, sine Manipulis, & Clerus cantare potest Psalmum totum. Amouenda verò sunt mappæ tantum cum

pallijs, & alijs ornamentis, relicta Cruce velata cum candelabris in Altaribus: neque Psalmus idè est repetendus, si multa sint Altaria. Conopeum Tabernaculi maioris, in quo asseruatur ordinariè Sacramentum, adhuc placet esse coloris violacei, vt diximus pag. 79. quia Regia viuens Christi est, ad modicum tempus absentis. quòd si adhibeatur coloris nigri, ob sequentem Feriam 6. ea erit ratio, quia vacuum est Tabernaculum, & conformis erit color paramenti Celebrantis: standum ergo erit consuetudini locorum. Et Romæ in Ecclesia S. Petri amouetur conopeum, quod etiam magis placet, nisi sint velandæ statuæ seu imagines prædicti Tabernaculi.

13 Hoc triduo trãseuntes ante Crucem, quæ est in Altari maiori, reuerentiam illi faciant cum genuflexione; excepto Celebrante parato (nisi aliud infra noetur) quia fulget Crucis mysterium. & de die Paralceus hoc decreuisse sacram Rituum Congregationem, testatur *Castaldus in sua Præcon. Cærimoniarum.*

14 Post denudationem Altarium, hora competenti factò signo ^a cum tabula, conueniunt Clerici ^x ad faciendum mandatum. Prælati, seu Superior, super Amictu & Alba induitur Stola & Pluuiali violaceis, & ^y in loco ad id deputato, ministrante Diacono (qui paratus cum Subdiacono, ^z vt in Missa, paramentiis albis, ei assistit) imponit incensum in thuribulo: deinde Diaconus ^a librum Euangeliorum ante pectus tenens, genuflexus ^b ante Superiorem, petit benedictionem: qua accepta, astantibus duobus Acolythis cum candelabris accensis, & Subdiacono librum tenente, signat librum, & incensat, & cantat, vt moris est, Euangelium, Ante diem festum Pasche, vt in Missa. Quo finito, Subdiaconus portat librum apertum osculandum Superiori, & Diaconus eum de more incensat. Postea Superior exiit Pluuiali, & per Diaconum & Subdiaconum præcingitur linteis, &

& sic præcinctus, assistentibus sibi iisdem Diacono & Subdiacono, accedit ad lotionem pedum: & per ordinem dispositis ijs qui lauandi sunt, Clericis peluim & aquam ministrantibus, Subdiacono singulorum pedem dextrum tenente, genuflectens singulis, illorum pedem lauat, c extergit, & osculatur, Diacono d præbente linteam ad abstergendum.

u *Cum tabula.*] Sonitus lignei fit mentio in *Parasc.* in *Ordine Rom.* sed & hac die adhiberi docent *Alcuin.* & *aly.* Humilitatis est indicium, *Amal. lib. 4. cap. 21.* Terrorem significat Iudæorum incussum Apostolis, *Gemma lib. 3. cap. 88.* & lignum Crucis, quo conuocantur omnes, adumbrat, *Rupert. lib. 5. cap. 29.* Minus etiam sonat lignum quam æs: quia mulieres in passione magis loquebantur de Christo quam Apostoli, *Durandus cap. 76.*

x *Ad faciendum mandatum.*] Dicitur *mandatum*, quia mandauit Christus lauationem pedum; & quia Antiphonæ incipiunt ab hac, *Mandatum nouum*, &c.

y *In loco ad id deputato.*] Congruum esset, ut ibi Altare esset cum pallio albo, ad significandam munditiam, cuius gratia lauandi sunt pedes, cum Cruce, & candelabris. Poterit etiam parari Credentia à latere sinistro, super quam collocabuntur Missale, linteam Sacerdotis, vasa ad abluendas in fine manus eiusdem, & alia eiusmodi, cum floribus & herbis. Scamna necessaria cum tapetibus habeantur pro lauandis, & tapetia sint ita ampla, ut Celebrans super iisdem genuflexus

lauare queat, neque Albam fœdet.

z *Ut in Missa.*] Hoc est, cum Manipulis, (licet eo careat Celebrans) ob Euangelium cantandum à ministris. Si fiat Processio à Sacristia ad locum destinatum, Subdiaconus ferat Crucem inter Acolythos medius, more solito, quam deponit prope Altare in cornu Euangelij.

a *Librum Euangeliorum*, &c.] Imposito prius de more incenso cum benedictione in Thuribulum à Celebrante. Hoc eodem loco Euangelium restitutum est à Pio V. in *secunda editione Missalis ab eodem reformati ante Clementem VIII. iuxta Ordinem Romanum antiquum.*

b *Ante Superiorem.*] Adde, stantem in cornu Epistolæ. Finita incensatione Celebrantis deponuntur Manipuli à ministris, ut ei liberiùs inseruiant.

c *Extergit, & osculatur.*] Nullo facto super pedem signo Crucis manu Celebrantis.

d *Præbente linteam.*] Stabit idè Diaconus à dextris, colliget linteam ipsum quo Celebrans est præcinctus, & extendet, quando opus est, ut tergat: non autem Diaconus infundat aquam pedibus, quod aliqui scripserunt nimis apertè contra Rubricam.

15 Et interim hæc subscripta cantantur.

In cantandis Psalmis Mandati, vnus tantum Versus cantatur, *Duran. lib. 6.*

cap. 75. quod etiam dicitur in Rubrica Missalis.

16 Post lotionem, Superior, vel qui alijs abluit pedes, lauat manus, & abtergit alio linteo: deinde rediens ad locum, ubi prius fuerat, accipit Pluuiiale, & c. stans capite detecto ^f dicit, & c.

e Stans capite detecto.] In medio scilicet ante Altare.

f Dicit.] Manibus iunctis, vt alijs notauimus, tenentibus librum Diacono & Subdiacono. Orationes cum Versibus additæ sunt à Pio V. ex Ordine Romano.

17 Finitis omnibus, vel exiit ubi dem Superior, vel redit in Sacristiam ordine quo venerat.

18 De hoc Mandato cum Euangelio Missæ huius diei meminit *Ordo Romanus*. Ablutio verò pedum habetur apud *August. Epist. 119.* & *Cyprian. Sermonem de hac re.* fitque ad humilitatem Christi imitandam, & ad munditiam animæ designandam, *Rupert. lib. 5. cap. 20.* Vnde & antiquitus

reconciliabantur Deo hac die penitentes. S. Gregorium firmasse Decretum lotionem hanc, scribit *Alph. Villegu in Flore Sanctorum.*

19 De oleis sacris nihil Missale neque nos loquimur, ad Pontificale spectant. interea lege *Durand. libro 6. cap. 74.*

20 Hora commodiore, post Vesperas, deferantur particulæ supra referuatæ pro infirmis cum luminibus, Superpelliceo & Stola alba adhibitis, ad locum ubi reseruata fuit Hostia consecrata; nisi aliud exigat laudabilior consuetudo: & ostiolum Tabernaculi, in quo ordinariè asseruari solent, maneat apertum, ne populus ibi adoret quod non adest amplius.

De Feria sexta in Parasceue. I X.

1 Institutorem Feriæ Parasceues, facit sanctum Paulum *Chrysostom. Homil. 1. de Cruce & latrone*, quæ præparationem significat. Cæna pura dicta

est apud *Irenæum lib. 5. cap. 23.* id est, sine azymis, vt explicat *Baron. anno 34.* cuius Rubricas cum augmento minutiorum nunc explicabimus.

2 a Finita Nona, Sacerdos & ministri induti paramenti nigri coloris, sine luminaribus & incenso ^b procedunt ad Altare: & c. ante illud prostrati aliquamdiu orant. Interim Acolythy vnâ tantum ^d tobuleam extendunt super Altare. Sacerdos cum ministris facta oratione ascendit ad Altare, & c. osculatur illud in medio; deinde Lectorem accedit ad legendum Prophetiam in loco ubi legitur Epistola, & incipit eam ^f sine titulo: quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud Altare in cornu Epistolæ.

a Finita Nona.] Notat hoc *Rupert. lib. 6. cap. 4.* Quia hora nona expirauit Christus, ad cuius quasi funus nos accedimus cum Nicodemo, & alijs, *Du-*

rând. lib. 6. cap. 77. neque enim hac die Missa dicitur, ex *Innocen. I.* qui percussio pastore, dispersi sunt Apostoli, & vsque ad diem I. schætis in tristitia

tristitia ieiunauerunt, de *Consec. d. 3. Sabbato*. Præterea celebrare non conuenit, cum hac die seipsum obtulerit Christus, *Alcuinus*. quod si Missam eam appelles, ea est more Apostolorum, ait *Amalar. lib. 4. cap. 20.* quod tamen non placet, cum hodie nulla sit consecratio, & Missa sit præsanctificatorum. Nona uero cum alijs præcedentibus Horis sine lumine dicitur.

b *Procedunt ad Altare.*] Altare erit nudum cum Cruce velata uelo nigro, ita ut suo tempore faciliè queat detegi; & candelabris sex obscuri potius coloris, & candelis ex cera communi, non alba, extinctis: gradus eiusdem nudi erunt, sed tamen bene mundi pro Sacerdotis prostratione. Credentia simplex linteo cooperta in superiori tantum parte, cum necessarijs tantum ad Officium, nempe bursa cum Corporali & purificatorio, ampullis uini & aquæ, uase uireo ad ablutionem digitorum, ut infra, Missalibus duobus & cussino, mappa longa pro Altari, uelo longo albo pro Celebrantis humeris ad Sacramentum reportandum, & candelabris Acolythorum cum candelis ex cera

communi. Procedunt igitur, præcensibus Acolythis sine candelabris, cum paramantis, ut in *1. par. tit. 19. numero 6. & 7.* uno post alium ministro, ut ad Missam.

c *Ante illud prostrati.*] Conuenit, ut sub eorum capitibus ponantur cussini coriacei, uel simplices, non tamen de ijs qui sunt ad usum Missalis in Altari. Prostrationis meminit *Ordo Romanus*, neque idè vestiri debent gradus Altaris panno nigro, qui sapit solemnitatem.

d *Tobalem extendunt.*] Ita *Ordo Romanus*, quæ Sindorem monumenti significat, *Durand. lib. 6. cap. 77.* & præterea Missale cum cussino super Altare apertum collocatur.

e *Osculatur illud.*] Indicat *Ordo Romanus*, ut initio Missæ fieri solet.

f *Sine titulo.*] Titulus est caput lectionis; & sine capite sumus, cum Christus occiditur, hoc est representatiuè, hac die, *Honor. in Gemma libro 3. cap. 89.* nec in fine Lector osculatur manum Celebrantis. Tractus primus habetur in *Antiphonario Gregoriano*; sed *Alcuinus* putat, nuperimè tunc fuisse compilatum.

3 *Finito Tractu, Sacerdos in cornu Epistolæ dicit, Oremus. Diaconus, Flectamus genua, & Subdiaconus, Leuate.*

Non dicitur *Dominus uobiscum* hodie; quia, moriente summo Sacerdote, cessant Officia Sacerdotis, *Honor. ubi supra cap. 95.* frequentius dicitur, *Flectamus genua*, quod etiam docet *Ordo Romanus*, ad augmentandam humilitatem, *Hugo Victorin. de Spec.*

Miss. obseru. cap. 20. Diaconus genuflectit ante alios dicens, *Flectamus genua*; Subdiaconus ante alios surgens dicit, *Leuate*. solus stat Celebrans. Ad Orationem Ministri stant, ut in Missa. Oratio uero hæc non habetur in *Sacramentario Gregoriano*.

4 *Subdiaconus in tono Epistolæ similiter sine titulo cantat sequentem Lectionem.*

Prima Lectio ex Prophetis, secunda ex Pentateucho Moyſis; quia lex & propheta Crucem Christi prænuntiarunt, *Rupert. lib. 6. cap. 5.* & duæ Lectiones innuunt, pro duobus populis obire Christum, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 89.* Lectio Exodi vicinior

est Passioni, in qua mentio de illi est: *Os non comminuetis ex eo, Durand. loco citato.* & ideo secundo loco legitur, quamvis sit antiquior Lectio-
ne Oſeæ.

Subdiaconus in fine non osculatur manum Celebrantis.

5 Finito Tractu, dicitur Passio & super nudum pulpitem: quam Celebrans ^h submissa voce legit in cornu Epistolæ.

Tractus secundus habetur in Antiphonario Gregoriano.

g Super nudum pulpitem.] Nudato Christo in Cruce omnia nuda sunt, & Scripturæ reuelatæ, *Duran. ibidem.* in eodem pulpito, vel in tribus, ad maiorem commoditatem, in cornu Euangelij, in plano Cappellæ, legitur seu cantatur Passio à tribus Diaconis inducis Amictu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali nigra, cum Manipulo, ex *Carimon. Pap. lib. 2. cap. 39.* qui procedunt de Sacristia hoc ordine, ut, qui Euangelistam refert, librum deferat ante pectus, & sit primus; quem sequitur ille, qui Turbam; postremò, qui Christum: omnes manibus iunctis. factis autem debitis reuerentijs Altari, accedunt ad cantandum, medium locum relinquentes agenti personam Christi, & dextram Euangelistæ. Romæ communior usus est, ut Euangelista medium teneat locum, & illius dextram ille qui Christum repræsentat; & in Cappella Papæ vnus tantum adhibetur liber, in quo tres Cantores singillatim cantant quæ cantare debent: quo fit, ut Euangelista, qui plus alijs cantat, medium quoque teneat locum. Alij adhibent tres libros, ut commodius cantent. *Carim. Episcop. lib. 2. cap. 21.* meminit vnus tantum libri, & quoad locum non

tollit consuetudinem Ecclesiarum, Non probatur illa distributio Passionis inter Celebrantem, Diaconum & Subdiaconum, ita ut Celebrans vice Christi loquatur, & Subdiaconus Turbarum. Si desint ministri, solus Diaconus cantare debet totam Passionem, & partem finalem eiusdem, addito deinde ministerio Subdiaconi & Acolythorum, ut fit ad Euangelium. Pulpiti verò vox à sancto *Cypriano* usurpatur *Epist. 33.* pro loco Euangelij. Vide supra part. 2. tit. 6. num. 5. pagina 129.

h Submissa voce legit.] Stans paulò versus Cantores, & astantibus Ministris, ut ad Introitum Missæ; sed cum legit ipse, tradidit spiritum, nondum tamen genuflectit, quia non legit in cornu Euangelij, ut in alijs Missis. Lecta verò etiam postrema parte in eodem cornu, quæ vicem gerit Euangelij, conuertit se ad Cantores Passionis, ex *Carimon. Papa loco citato cap. 39.*

6 Dicitur autem Passio sine salutatione, & sine incenso, *Ordo Romanus.* Passionis secundum Ioannem est mentio in *Sacramentario*: & quia vltimus scripsit, & quia interfuit, ideo legitur hodie, ex *Rupert. lib. 6. cap. 6.*

7 Ad ea verba Cantorum, *tra didit spiritum*, omnes quidem genuflectunt, sed

sed Celebrans & alij versus Altare, Diaconi Cantores versus librum; signumque surgendi post pausam datur à Diacono, qui Euangelistam agit, eo ipso quod surgit, vt in *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 25.* Pausa erit vnius Patris

noster, vt in Cappella Papæ, *Carimon. Marcell. lib. 2. cap. 39.* quare non placet dari signum à Celebrante, manu cum strepitu super librum deposita. Fit autem prædicta genuflexio ambobus genibus in terra positis.

8 Quod sequitur, legitur in tono Euangelij: & dicitur, *Munda cor meum, sed non petitur benedictio, & non deferuntur luminaria, neque incensum, & Celebrans in fine non osculatur librum.*

Diaconus reliqua facit de more vt ad Euangelium, non tamen signat librum, neque se ipsum. Acolythis medium tenent Subdiaconum, qui

sustentat librum. Fiunt enim velut exequiæ defuncto Christo in tristitia & mœrore, *Alcuin. & communiter aly.*

9 Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolæ, incipit absolute.

Ministri stant post Celebrantem vt in Missa. Orationes autem pro omnibus fiunt, quia pro omnibus orauit Christus in Cruce, ex *Alcuino.* habentur in *Ordine Romano*, & in *Sacramentario Gregoriano*; imò Cælestinus I. earundem meminit *Epist. 1. ad Episcopos Gallia*, & habentur in *Ambrosiano ritu*, ex *Pamelio.* Celebrans dicit monitionem primam manibus iunctis, Orationem verò manibus extensis; neque vquam genuflectit, vt in *2. par. tit. 5. numero 5. pag. 123.* dictum est, & sic deinceps vsque ad finem Orationum.

10 Ad monitionem pro Iudæis non respondetur *Amen.* Quid mysterij quærent hoc loco? neque in præcedentibus monitionibus respondetur *Amen*: non enim est Oratio, sed monitio ad orandum. Omittitur autem *Oremus*, quia oratur pro ijs vtrumque non saluandis, nisi in fine mundi, *Durand. loco citato cap. 77.* Item non flectuntur genua, ex *Sacramentario Gregoriano*; quia ij genibus flexis illuserunt Christo, *Alcuin. secutus Ordinem Romanum.*

11 Completis Orationibus, Sacerdos deposita casula accedit ad cornu Epistolæ, & ibi in posteriori parte anguli Altaris accipit à Diacono Crucem iam in Altari præparatam: quam versa facie ad populum, à summitate parum discooperit, incipiens solus Antiphonam, *Ecce lignum crucis. ac deinceps in reliquis iuuatur in cantu à ministris vsque ad Venite adoremus.* Choro autem cantante, *Venite adoremus, omnes se prosternunt, excepto Celebrante.* Deinde procedit ad anteriorem partem anguli eiusdem cornu Epistolæ: & discooperiens brachium dextrum Crucis, ¹ eleuansq; eam paulisper, altius quàm primo incipit, *Ecce lignum crucis, aly cantantibus, & adorantibus,*

vt

ut supra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris, & discoperiens Crucem totaliter, ac eleuans eam, tertio altius incipit, Eleu lignum crucis, alijs cantantibus, & adorantibus, ut supra.

i *Discoperit.*] Velum aufertur à Cruce, ut quod Iudæis tectum erat, nobis reueletur, *Rupert. lib. 6. cap. 20.* Item, quia nudatur Christus in Cruce, *Duran. loco citato.* ubi docet, ter discoperiri Crucem, quia paulatim prædicatus est Christus Crucifixus, primò in angulo Iudæorum, postea palam, deinde ante medium Altaris, id est in medio Gentium.

l *Eleuansq;*] Ostensio ligni Crucis in hac die erat in usu in Ierusalem tempore S. Paulini Nolani, ex *Francioto in Obseruat. myster. anni.* Eleuatur etiam Crux ter ad honorem, con-

tra tres illusiones Christi, in atrio Principis, in Prætorio, in Caluarie. Fit prostratio, non tamen usque ad terram, sed genibus flexis, & capite valde demisso. Salutatur & adoratur ter cum genuflexione; & tertia vice prosternimur, ut eam osculemur, ut nimirum Christum Crucifixum omni humilitate veneremur, & easdem tres illusiones compensemus, *Duran. ibidem.* Nota aduerbium *altius* concordare etiam cum verbo *incipit*, uedum cum verbo *eleuans*, ita ut & uocem & Crucem eleuet altius Sacerdos unà simul.

12 *Postea Sacerdos solus portat Crucem ad locum m ante Altare preparatum, & genuflexus ibidem eam locat: mox n depositis calceamentis accedit ad o adorandam Crucem, ter genua flectens antequam eam deosculetur. Hoc facto reuertitur, & accipit calceamenta, & cassulam. Postmodum ministri Altaris, deinde alij Clerici & laici, bini & bini, ter genibus flexis, ut dictum est, Crucem adorant. Interim, dum fit adoratio Crucis, & cantantur impropria, & alia que sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium, vel paucitas requirit, hoc modo. Duo cantores in medio Chori cantant, &c.*

m *Ante Altare preparatum.*] Portat celebrans Crucem sine ulla inclinatione facta Altari. Acolythi, dum denudatur Crux, extendunt tapete pulchrum cum cussino pretioso, & velo longo albo supra gradus Altaris versus planum Cappellæ. genuflexus Celebrans ibidem deponit Crucem super velum & cussinum.

n *Depositis calceamentis.*] A latere Epistolæ prope scamnum illi paratum

ad sedendum: & Celebrans adorans solus, deinde ministri simul, & Diaconus quidem cum stola sua lateri, quam non deponit usque ad finem Officij, ex *Carim. Episc. lib. 2. cap. 26.* Subdiaconus autem in Albis, ex rita Cappellæ Papalis & Romano: alij de Clero in suo quisque habitu choral, calcæis tantum depositis, ex laudabili consuetudine.

o *Adorandam.*] Adorantis habitus autem

auctor S. Gregorius est, ex S. Antonino par. 2. cap. 3. tit. 12. Habetur in Ord. Romano, & in Sacrament. Gregor. cum minoribus carimonijs. Conuenit autem, vt vniformis sit omnium actio pro locorum consuetudine, tum in osculo membrorum Crucifixi, tum in aequali pausa, qua singuli genua flectunt. Ad singulas adorationes dici potest Verlus, *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Ordo adorationis est, vt quilibet laicus, etiam Princeps, post Clerum adoret; Prælati verò, si qui adsunt, post Celebrantem.

p Cantantur impropria.] Ordo Romanus. eadem legat Sacerdos sedens cum ministris, Carimon. Pap. lib. 2. sect. 1. cap. 51.

Impropria continent verba Latina & Græca in laudem Christi, non Hebræa; quia Iudæi negauere Christum, & reprobauerunt, Rupert. lib. 6. cap. 19. Agios & Trifagion hoc Græcè dicitur adhuc, ex instituto S. Sabbæ apud Baron. anno 492. Hymni, *Pange lingua gloriosi*, auctor est Venantius Fortun. ex Baron. infra citando.

Si repetitio est facienda ob longiorem adorationem, fiat ab Hymno, *Pange lingua*, vt in Missali.

- 13 Circa finem adorationis Crucis accenduntur 9 candelæ super Altare: & Diaconus accipiens bursam Corporalium, extendit Corporale more solito, & iuxta illud ¹ ponit purificatorium: & finita adoratione, Crucem reuerenter accipit, & ² reportat ad Altare. Postea ordinatur Processio ad locum, vbi pridie Sacramentum repositum fuerat. Præcedit ³ Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis, & Clerus per ordinem, vltimus Sacerdos cum ministris. Cum peruentum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intorticia, qua non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti: & Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum: Diaconus interim aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini: postea Sacerdos surgens, absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono ⁴ nauiculam ministrante, & genuflexus ⁵ incensat Sacramentum: tum Diaconus extrahens Calicem cum Sacramento de capsula, ⁶ dat ad manus Sacerdotis, & tegit extremitatibus veli, quod humeros illius circumdat: & procedunt ordine quo venerunt: ⁷ defertur baldachinum super Sacramentum: & duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incensant: interim cantatur Hymnus, ⁸ Vexilla Regis prodeunt. ⁹ Cum venerit Sacerdos ad Altare, ¹⁰ posito super illud Calice, genuflexus rursus incensat, & accedens ¹¹ deponit Hostiam ex Calice super Patenam, quam Diaconus tenet: & accipiens Patenam de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super Corporale,

nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase. Interim Diaconus imponit ^e vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam: sed accipiens Calicem à Diacono, ponit super Altare, & nihil dicens: & Diaconus illum cooperit palla: deinde imponit incensum in thuribulo & absque benedictione, & incensat oblata, & Altare ^h more solito, genuflectens ante & post, & quandoque transit ante Sacramentum. Cum incensat oblata, dicit, & ipse non incensatur.

q *Candela super Altare.*] Et item eæ, quæ super Credentiam habentur pro Acolythis.

r *Ponit purificatorium.*] Ad cornu Epistolæ, loco solito: & tunc etiam transfertur à Cærimoniario Missale ad cornu Euangelij cum cussino.

s *Reportat ad Altare.*] Quo casu nemini reuerentiam faciat. sed & Celebrans assurgat transeunti Cruci, ex *Cerim. Episc. lib. 2. cap. 26.* cui genuflectit simul cum Subdiacono. quod hodie faciunt omnes omnino in honorem crucifixi Domini nostri, ex *Cerimon. Episc. lib. 2. cap. 25. & 26.* Amoueantur statim ab Acolythis tapete & cussinus cum velo. Quæ delatio Crucis ad Altare cum Processione sequenti à Pio V. statuta fuit; nec in antiquioribus Missalibus habebatur.

Si multus adest populus, poterit collocari alia Crux à Sacerdote cum Stola nigra ante aliud Altare, ad quam adorandam accedant tum mares, tum feminae, ne Processio nimis differatur, & Officium sequens.

t *Subdiaconus cum Cruce.*] Hoc est, alter paratus, vt Subdiaconus Missæ, non cum Dalmatica, vt scripsit *Alcoer*, excepto tamen Manipulo, defert autem Crucem processionalem discoopertam. Duo Thuriferarij præcedunt Subdiaconum sine incenso in

Thuribulis, quia nondum est Processio sacra, sed aditus ad eam; & ideo itur ad locum destinatum per viam breuiorem Ibi omnes genuflecti orant, exceptis Subdiacono, qui gestat Crucem, & Acolythis.

u *Nauiculam ministrante.*] Omituntur oscula manus & rerum in hac Missa.

x *Incensat Sacramentum.*] Vt heri, & statim imponitur eius humeris velum album, non nigrum.

y *Dat ad manus Sacerdotis.*] Nimirum stans Diaconus.

z *Defertur baldachinum.*] Non nigrum, vt aliqui solent, & malè. debet enim esse simile velo quod Calicem tegit, & esse illud idè quod heri tegebatur.

a *Vexilla regis produnt.*] Cuius auctor, ex *Baronio* anno 566. fuit Venantius Fortunatus.

b *Cum venerit Sacerdos ad Altare.*] Subdiaconus Crucis, deposita Cruce, vbi minus impediatur, in latere Epistolæ genuflectit. Acolythis deponunt candelabra super Credentiam. Clerus in plano Cappellæ circumdat Altare genibus flexis.

c *Posito super illud Calice.*] Hoc est, vt pridie, cum ministerio Diaconi. Nam Diaconus genuflectens accipit Calicem de manu Celebrantis stans, & deponit super Altare, genuflectit, descen-

descendit, ministrat nauiculam stanti Sacerdoti pro impositione incensi: & deposito humerorum velo, Celebrans genuflexus rursus incensat Sacramentum vt prius. Recedit alter ex Thuriferarijs post hanc incensationem.

d *Deponit Hostiam.*] Facta prius genuflexione, & amoto à Diacono velo albo paruo à Calice. Neque debet sponte tangere Sacerdos Hostiam, neque ideò prius lauare manus; quod aliqui scripsere: si tamen accidat, vt tangat, purificet statim digitos, quod in hac Rubrica sub conditione dicitur, non autem iubetur.

e *Vinum cū aqua.*] Habet *Ord. Rom.* f *Nihil dicens.*] Neque signum Crucis, vt aliàs, faciens cum Patena, aut Calice.

g *Absque benedictione.*] De hac incensatione nihil antiqui. De benedictione verò noua Rubrica est in recognitione Missalis addita, est enim dubitatum, An benedici hoc loco debeat incensum, & videbatur affirmandum, quia incensandum est præterea Altare, & tunc benedicitur incensum, etiam coram Sacramento, in *Carimon. Episc. lib. 1. cap. 23.* vbi, cum excipiat à benedictione incensum in principio & in fine Processionis, quæ fit in Feria quinta & sexta maioris Hebdomadæ, nulla mentione facta oblatorum huius diei, dicendum videbatur, ibidem non excipi à benedictione incensum in incensatione hac oblatorum. *Marcellus* quoque in *Carimon.*

Pap. lib. 2. cap. 51. scribit, poni incensum à Papa *more consueto*; ergo cum benedictione. Vrgere quoque videbatur illud, quod dicitur, *Incensum istud à te benedictum.* Sed vim faceret, si diceretur, *à nobis benedictum:* & hac die verbis vtimur minùs proprijs, vt, *Sacrificium*, in seq. Quid ergo? Nihilominùs tamen, cum in Missa hodierna expressè omnia describantur quæ dicenda sunt, ita, vt quidquid de consueta Missa hoc loco omititur, omittendum esse prorsus videatur: & cum omiſsa fuerint in textu omniù Missalium verba benedictionis incensi, & solita dici ante incensationem oblatorum, *Per intercessionem*, &c. & expressè posita sint reliqua verba totius incensationis; in eam partem ab ijs, quorum intererat, me presente, in recognitione Missalis itum est, vt omittatur incensi benedictio. & hac die videtur congruum, nihil prorsus debere benedici. In *Carimon. Episcoporum loco cit.* benedicitur incensum, quando alij quoque præter Altare, quod Christum significat, incensantur. sed hodie neque ipse Celebrans incensatur. *Marcellus* etiam explicatur *more consueto*, id est ter, cum ministerio Diaconi, &c.

h *More solito.*] In recognitione Missalis secundum prædictam sententiam, *more solito* cadere dictum fuit super incensationem oblatorum & Altaris tantum, non super impositionem incensi, quod hodie magis declaratum est.

14 Postea aliquantum extra Altare in cornu Epistolæ ¹ lauat manus, nihil dicens: deinde in medio Altaris inclinatus, ¹ iunctis manibus dicit.

¹ *Lauat manus.*] Facie ad populum versam.

¹ *Iunctis manibus.*] Id est super Altare, vt aliàs.

15 *Deinde versus ad populum in cornu Euangelij, dicit more solito, Ora-
te fratres.*

Et dum se vertit, caueat, ne vel mi-
nimùm terga vertat Sacramento, vt
mox dicitur. Vidésne, quòd *more so-
lito* non includit omnia de more?

16 *Et per eandem viam reuertitur, non perficiens circulum: & conse-
quenter, omiſſis alijs, dicit.*

Si, omiſſis alijs; ergo non di-
citur *Suscipiat*, neque aliud quid-
quam quod hìc non sit descri-
ptum.

17 *Sacerdos sub silentio dicto Amen, eadē voce, qua dixit, Pater noster, ab-
ſolutè sine Oremus, in tono Orationis Miſſæ ſerialis dicit, Libera nos.*

Ita Ordo Romanus, & Sacramenta-
rium Gregorianum; in quo nihil aliud
præterea de Miſſa habetur pro eiuf-
dem fine.

Tria hæc, *Præceptis, Pater noster,
Libera nos*, triduum Sepulturae Christi
ſignificant, *Honor. in Gemm. libro 3.
cap. 96.* Alta voce dicitur, *Libera nos*,
vt pateat hodie deſcenſus Chriſti in
Limbum ad liberandos Patres, quod
aliàs docuimus in Expositione myſtica
Miſſæ cum *Duran. lib. 4. c. 49.* Diacono
ad *Pater noster* deſcendit, vt aliàs,
cum Subdiacono poſt Celebrantem.
Dicit autem manibus extenſis, neque
ſe ſignat cum Patena, vt aliàs.

18 *Tunc Celebrans, facta reuerentia uſque ad terram, ſupponit Pate-
nam Sacramento, quod in dextra accipiens, ^m eleuat, vt videri poſ-
ſit à populo: & ſtatim ⁿ ſupra Calicem diuidit in tres partes, qua-
rum ultimam mittit in Calicem more ſolito, nihil dicens. ^o Pax Do-
mini non dicitur, & nec Agnus Dei, & neque pacis oſculum datur.
Poſtmodum ^r prætermiſſis duabus primis Orationibus, dicit tantum
ſequentem, Perceptio, &c.*

^m Eleuat, vt videri poſſit.] A Pio V.
hoc fuit additum. Non eleuatur Pa-
tena, quam tenet manu poſita ſuper
Altare; nec eleuatur Planeta, nec in-
centatur Hoſtia. eleuatur autem alte-
ra tantum manu, ad differentiam ele-
uationis quæ fit poſt conſecrationem,
ne hac die videatur de nouo con-
ſecrata.

ⁿ *Supra Calicem diuidit.*] Diacono
cum debitis reuerentijs diſcoope-

rit Calicem, & cooperit, vt aliàs. Ce-
lebrans mittit particulam in Calicem
ſine aliquo Crucis ſigno, quod firmo-
uit Decreto ſacra Rituum Congrega-
tio die 28. *Auguſti 1627.* Et licet hìc
dicatur *more ſolito*, cadit hoc verbum
ſuper totam Hoſtiæ diuiſionem, non
præciſè ſuper immiſſionem particu-
læ. Vides hoc etiam loco, quòd *more
ſolito* non dicit, omnia de *more ſo-
lito* fieri.

o Pax Domini non dicitur.] Ita Ordo Romanus.

p. Nec Agnus Dei.] Quia ordinatur ad pacem dandam, vt in tertio patet, *Dona nobis pacem.*

q. Neque pacis osculum datur.] Negat Ordo Romanus in odium osculi Iudæ, Amalar. libro 1. cap. 13. tum quia publicum erat ieiunium populi, ex Tertull. de Oratione; tum quia nullam hac die fit Sacrificium,

ex Albaspin. lib. 1. de Vet. rit. obseru. 17.

r. Prætermisiss, &c.] Omittuntur duæ Orationes; prima, quia est de pace; secunda, quia mentionem facit de sanguine: tertia dicitur, & manibus iunctis super Altare, vt aliàs, in quò solum de corpore Christi agitur. Fit Communio Sacerdotis, vt in Missali; ad quam Ministri stant capite inclinato, vt aliàs.

19 Deinde, ^r omisiss omnibus quæ dici solent ante sumptionem Sanguinis, immediatè particulam Hostiæ cum vino ^r reuerèter sumit de Calice. Et more solito, ^u facta ablutione digitorum, & sumpta purificatione, in medio Altaris inclinatus, manibus iunctis dicit, Quod ore, &c.

[Omisiss omnibus.] Quia in ijs de sanguine fit mentio. Diaconus Calicem discooperit, & cum Celebrante genuflectit.

r. Reuerenter sumit de Calice.] Neque se signat, vt aliàs, cum Calice: quod & decreuit sacra Rituum

Congregatio die 28. Augusti 1627.

u. Facta ablutione.] Non Calicis, sed tantum digitorum in Calice, ministrante Subdiacono ampullas. Extinguuntur hoc loco, dum fit ablutio, non prius, cerei à Clero delati.

20 Non dicitur, ^x Corpus tuum Domine, ^y nec Postcommunio, ^z nec Placeat tibi, nec datur benedictio, sed facta reuerentia Altari, Sacerdos cum ministris discedit: & dicuntur Vesperæ sine cantu, & ^a denudatur Altare.

x. Corpus tuum Domine.] Omittitur, quia sanguis commemorandus esset, qui non extitit in Calice.

y. Nec Postcommunio.] Quia nemo alius communicat apud Rom. ex Alcuino cap. de Cæna Domini, vbi testem citat Augustinum ad Ianuarium. Neque consequenter Communio dicitur, quæ dicebatur tempore Communionis populi, & vt diximus in Expositione mystica Missæ, lætitiâ significat Apostolorum, quæ hac die desideratur.

z. Nec Placeat.] Non ob eam ratio-

nem; quia Sacrificium in ea nominatur prece, quod non fit hodie, nam supra nominatum est in *Orate fratres*; sed quia hic expressè diceret Sacerdos, se obtulisse Sacrificium, quod non est verum. Est autem verum, in Sacramento Christi esse Sacrificium Sacerdotis & populi, seu victimam Sacrificij, latè sumpto vocabulo Sacrificij, vt in hoc casu docet Suarez. 3. par. disp. 75. sect. 4. in fine, quod in *Orate fratres* dicitur. & hoc idem voluit Durandus loco citato.

K k 3

21 Dia-

21 Diaconus librum claudit; Subdiaconus, plicato Corporali, & in burfam reposito, reportat Calicem ad Credentiam: & postremo cum debitis reuerentijs redeunt omnes, vnde, & modo quo venerant.

a *Denudatur Altare.*] Ab Acolythis, à quibus & nudatur Credentia, & candelæ extinguuntur post Vesperas. Si reportanda est Crux, vt eam populus adoret, ad priorem, seu alium locum, supponantur eidem eadem que prius, & decet eam portari ab alio Sacerdote post Vesperas.

22 Habet autem mysterium, ait *Duran. loco citato*; quia in fine mundi Hebræa gens salutem consequetur, & Crucem adorabit. Sed deceret magis, vt dictum est, aliam Crucem poni pro adoratione populi post adorationem primam.

23 Pyxis, quæ remansit cum particulis in loco pro Calice & Hostia deputato, portatur ad aliud Sacellum in loco remotiori præparatum cum luminibus, *Carimon. Petr. Ruyz.* & placet, ne in Ecclesia sint luminaria in Matutinis sequentibus, & Officio Sabbati, vltra præscripta.

24 Quæritur, An occurrente Festo Annuntiationis beatæ Virginis in Parasceue, teneantur fideles interesse Officio prædicto, quod loco Missæ celebratur? & An ratione Festi ministrari possit Eucharistia alijs quàm infirmis? Scio, alicubi edicto Episcopi translatum fuisse hoc Festum cum suo præcepto in diem, quo ex Rubricis recitandum erat Officium: & cum hac mutatio Festi vniuersalis excedat facultatem Episcopi, de Maiorum auctoritate factum esse tunc credidi; quo casu cessauit prima dubitatio, non au-

tem admiratio, quòd Episcopus transferret Festum de præcepto vniuersale, non translatum alibi, neque Romæ à Papa. Immutato igitur Festo, sacra Rituum Congregatio vetuit Missam fieri hac die de B. Virgine, etiam in *Ede. Lauretana*, etiam ratione concultus populi, seu Festi tituli Ecclesiæ, die 9. *Maij* 1606. deinde anno, quo contigit, censuit die 19. *February* 1622. non teneri fideles interesse prædicto Officio.

25 Ad aliud verò dubium eadem respondit eadem die, seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem, non ministrandi, nisi infirmis, hac die Eucharistiam. Et quidem, licet *Ordo Roman. cum Sacrament. Gregoriano* concedat Communionem Clero, & alijs; tamen antiquitus, *Augustino teste*, vt dixi, Romani non communicabant hac die. *Innocent. in cap. Sabb. de Cons. Dist. 3.* Sacramenta penitus non celebrari tradit & in Rubrica nostra Missalis de infirmis tantum est mentio, vt illis referretur pridie Sacramentum. *Francisc. eadem docet 1. part. cap. 30. à num. 10. de Temp. Hor. Can. & Albas. de Veritibus lib. 1. obseru. 14.* negat, in ieiunio rigoroso, & in mœre maximo præcis temporibus Eucharistiam distulisse.

26 Abrogatus fuit abusus deferendi nocte in hac Feria 6. sanctissimum Sacramentum à S. Congregatione Cardinalium super negotia Episcoporum die 22. *Martij* 1596. vt alienus à ritu, & legitimo sensu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ occultat his diebus Eucharistiam, & in aliud tempus idè distulit Processionem, & Festum Corporis Christi.

De Sabbato sancto. X.

1 **S**abbatum hoc antonomasticè appellatur sanctum, quia ad suscipiendam sancti luminis claritatem noua Ecclesia sacro Baptismi fonte sanctificatur, *Ruper. lib. 6. cap. 25.* vel quia Sanctus Sanctorum quieuit in sepulchro, *Alcuin.* nullum habet Officium propriè: nam Officium noctis

erat sequentis, vt patet ex benedictione Cerei, *Hæc nox est, &c.* & ex Collecta Missæ, *Duran. lib. 6. cap. 78.* ieiunium autem omnino seruandum est, *ex lib. 6. Constit. Apost. cap. 24.*

Videamus Rubricas eiusdem, & de more nostro, minutioribus additis, eas explicemus.

2 **H**ora competenti ^a cooperiuntur Altaria, & dicuntur Hora, candelis Altaris extinctis vsque ad principium Missæ. Interim ^b excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam, & ex eo accenduntur carbones. ^c Dicta Nona, Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluuiali violaceo, vel sine Casula, ^d astantibus sibi ministris cum Cruce, Aqua benedicta, & incenso, ^e ante portam Ecclesie, si commodè potest, vel in ipso aditu Ecclesie, benedicit nouum ignem ^f dicens, &c.

^a *Cooperiuntur Altaria.*] Haber *Duran. lib. 6. cap. 85.* quia Christus in resurrectione stolam gloriæ induit. Sed conuenit duplici pallio vestiri Altare maius, violaceo nimirum super album, ita, vt remoueri citò queat violaceum circa finem Litaniarum, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 27.* Super Altare candelæ erunt ex cera alba. Cereus etiam benedicendus collocabitur cum suo candelabro in latere Euangelij, *Carim. Episc. vbi supra:* ante Cereum legile vestitam veste alba, & super illud Missale non apertum.

^b *Excuitur ignis de lapide.*] Ignis de Christo, qui lapis est in caput anguli, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 100.* & antiquus ignis extinguendus est, vt lex finem habeat. Ante Zachariæ Papæ tempora, Romæ nouus ignis ex lampadibus seruatis in Feria quinta sumebatur, vt scribit *Baronius* anno 751. *ex litteris Zachariæ eodem anno datis.* Ri-

tus ergo noster post eundem annum.

^c *Dicta Nona.*] Non ante Horam nonam, Urbani II. Decreto apud *Baron.* anno 1095.

^d *Astantibus sibi ministris.*] Ministri debent esse in violaceis, sine Manipulis, vt *1. par. tit. 19. num. 6. & 7. pag. 68. 70.* Crucem gestare debet Subdiaconus, quem præcedunt Acolythi tres, cum Aqua benedicta, thuribulo sine igne cum nauicula, & peluicula cum quinque granis incensi; & hoc eodem ordine procedunt ad portam.

^e *Ante portam Ecclesie.*] Extra portam passus est Christus. Exeamus ad eum, inquit Paulus, vt eum explicat de hoc ritu loquens *Durand. cap. 80.* Crux cum Subdiacono sit in porta ante faciem Celebrantis, ignis autem in foculo super aliquod scamnum coram Celebrante; vbi etiam forcipes ferrei, & candelulæ cum lignis sulphuratis parari debent.

^f *Di-*

f *Dicens.*] Manibus iunctis. Et Diaconus eleuet fimbriam Pluuiialis, quando est benedicturus manu ignem & grana incensi.

3 *Deinde benedicit quinque grana incensi ponenda in Cereo, dicens absolute hanc Orationem.*

Quidam addunt aliam incensi quantitatem vnâ cum quinque granis benedicendam; sed ad quid? An, vt ea deinde in nauiculam immittatur deuoè benedicenda à Celebrante, vt adoleat ignem, & grana? superfluit hæc duplex incensi benedictio, & præter Rubricam. De hisce granis aperte meminit *Rupert.* loco citato cap. 31. & significari docet aromata mulieribus empta, vt vngereur Iesum. Celebrans non dicit *Oremus*, quasi coniungens nouam benedictionem incensi cum præcedenti benedictione ignis.

4 *Dom benedicit grana incensi, Acolythus assumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo. & finita Oratione supradicta, & Sacerdos de nauicula ponit incensum in thuribulo, benedicens illud more solito: deinde prædicta grana incensi & ignem h ter aspergit aqua benedicta, dicens: Asperges me, sine cantu, & sine Psalmo. & ter adolet incenso. Interim omnia luminaria Ecclesie extinguuntur, et de igne benedicto postmodum accendantur.*

g *Sacerdos de nauicula.*] Supple, à Diacono de more ministrata; qui & ministrat cum osculis aspersorium & Thuribulum Celebranti. h *Ter aspergit.*] In medio, à dextris rerum benedictarum, & à sinistris earumdem. i *Ter adolet.*] Nimirum, vii aspectu.

5 *Tum Diaconus l indutus Dalmatica albi coloris, accipit m arundinem cum tribus candelis in summitate illius triangulo distinctis. n Præcedit Thuriferarius o cum Acolytha deferente in vase quinque grana incensi: p sequitur Subdiaconus cum Cruce, & Clerus per ordinem: deinde q Diaconus cum arundine, post eum Celebrans. Com l Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinât arundinem, & Acolythus deferens candelam accensam de nouo igne, accendit unam ex illis tribus candelis desuper positis: & Diaconus eleuans arundinem genuflectit, similiter & omnes alij cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem: & cantat solus, Lumen Christi. R. Deo gratias. Et procedens ad medium Ecclesie, ibi accenditur alia candelâ: & iterum genuflectus, vt supra, alius cantat, Lumen Christi. R. Deo gratias. Tertio procedit ante Altare, ubi accenditur*

tertia candela: & rursus genuflexus ut prius, adhuc altiùs dicit, Lumen Christi. R. Deo gratias. Deinde Celebrans ascendit ad Altare in cornu Epistola, & Diaconus dat arundinem uni Acolytho: & accipiens librum, petit à Celebrante benedictionem, ut fit ad Euangelium, Sacerdote dicente, &c.

A consecratione luminis incipitur Paschalis solemnitas, quia æternæ lucis contulit claritatem, *Raban. lib. 2. cap. 38. idem innuit Conc. Tolet. IV. can. 8.*

l *Indutus Dalmatica.*] *Ex Ord. Rom.* Cur autem ad Diaconum spectat proxima Cerei benedictio, etiam præfente Sacerdote? *Rupert. lib. 6. cap. 30.* Inferioris, ait, ministri est annuntiare Christi resurrectionem, sicut inferior mulierum sexus Apostolis ipsis eandem nuntiavit; vel quia Angelum significat, qui mouebat Hebræis Columnam nubis & ignis, quam indicat Cereus, ut dicemus, *Gemm. loc. citat. cap. 102.* Dalmatica festiua est, & idè congruit benedictioni Cerei: *Exultet iam, &c.* Accipit etiam Manipulum Diaconus, *ex Cerimon. Episc. lib. 2. cap. 28.*

m *Arundinem cum tribus candelis.*] De arundine cum Cereo in eadem satis aperta est mentio in *Ord. Rom.* non tamen de tribus candelis: neque interpretes Ordinis Romani quidquam indicant de arundine ipsa. Candelæ in calce vnum quid esse deberent, & deinde distingui in tres, ad

designandum mysterium vnitatis & Trinitatis Dei. Fortasse significat arundo humilitatem passionis Christi, ex qua in fine patuit maior gloria vnitatis & Trinitatis Dei. Patuit autem veluti lumen Christi, qui in Trinitate est Deus. Vel, *ex Athanas. de Passione,* sicut arundo serpentes necat; ita passio Christi diabolum vicit. Solet ornari floribus: sed ita ornetur, ut appareat ex parte arundo, non baculus, seu quid aliud.

n *Præcedit Thuriferarius.*] Posito priùs incenso à Celebrante in Thuribulum more solito.

o *Cum Acolytho deferente, &c.*] Nempe à dextris Thuriferarij.

p *Sequitur Subdiaconus.*] Et hic etiam cum Manipulo, *ex Cerim. Episc. loco cit.* coloris autem violacei.

q *Diaconus cum arundine.*] Ad cuius sinistram eat Acolythus cum candela accensa de nouo igne, & si opus est, intra laternam, ne à vento extinguatur in Processione.

r *Diaconus ingressus.*] Et cum ingressus est etiam Celebrans post eum (non ante) inclinat arundinem; ut Celebrans quoque genuflectat in Ecclesia.

6 *Postea vadit ad pulpitum, & ponit super eo librum, & incensat. A dextris Diaconi stent Subdiaconus cum Cruce, & Thuriferarius: à sinistris, duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, & alius tenens in vase quinque grana incensi benedicta figenda in Cereo. Tunc, surgentibus omnibus, & stantibus, ut fit ad Euangelium, Diaconus cantat.*

[*Diaconus cantat.*] Non signat librum, neque seipsum: neque imponitur incensum de nouo in thuribulo; quod notasset aliquis Ritualis liber, si de nouo imponendum esset. Et verè sufficit impositio incensi facta semel, & proximè in ordine ad *Lumen Christi*, & Cereum. Ministri verò hinc inde stantes respiciunt librum, vt Diaconus rectam quasi efformâtes lineam cum Diacono medio; ita tamen, vt latera, non terga, vertant Altari.

7 Quòd attinet ad benedictionè Cerei magni, *Ordo Roman.* habet, *Exultet iam*, &c. dicitur esse S. Ambrosij ab *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 102.* Sed, excepto proœmio, discordat nostra ab Ambrosiana, vt videre est in *Missali Ambros.* tribuitur S. Aug. in *Missali Gotico Tom. 6. Bibl. Patrum.*

Cereus autem benedicitur, ex decreto Zosimi Papæ, *Alcuin.* sed Prudentius ante Zosimum cecinit Hymnum de hoc Cereo. *Martinus Polonus* auctorè facit Theodorum I. anno 643. *Baron. anno 418.* docet, concessisse Zosimum, vt etiam in Parochijs benedici posset, nedum in Ecclesijs principalibus.

8 Significat autè Cereus Christum resurgentem; & quidem cera corpus, ellychnium animam, lumen deitatem designat, ex *Duran. loco citato cap. 80.* antequam verò illuminetur, repræsenterat Columnam nubis; illuminatus autem, Columnam ignis, quæ præcedit Catechumenos hodie transeuntes per mare Baptismi, *idem Duran. ibidem.* Crucis figura in Cereo solet inscribi, vt Christum demonstret Crucifixum, *Ruper. lib. 6. cap. 29.* sed grana quinque incensi in formam Crucis in eo confixa idem sonant, & apertè plagas eius quinque, ex eodem *Duran.*

9 Ordo figendi grana est, vt primum in superiori parte, alterum in media, tertium in inferiori, quartum in dextra Cerei, quintum in sinistra.

10 Habet etiam mysterium, quòd Diaconus accendit Cereum non cum candelula, vt aliqui scripsere, sed *mediare* (ait Rubrica) *cum vna ex tribus candelis in arundine positis.* Dicere ego, tacentibus alijs, sicut tres illæ candelæ inclinâtur versus Cereum, & cum vna tantum ex ijs accenditur; ita Resurrectio Christi est effectus quidem totius Trinitatis, sed potissimum Verbi, quod animam carni trusus vniuit, & immortalitatis gloriosa luce vestiuit. Quam rationem afferbam *Recognitoribus* Missalis sub Clemente VIII. quando hic ritus fuit stabilitus; & fuit approbatus etiam in *Carim. Episc. lib. 2. cap. 27.*

11 Accenduntur deinde lampades, sumpto lumine à Cereo ipso, vel à candelis arundinis. Vt sicuti, ex *Alcuin.* Cereus significat nouam gratiam, & doctrinam Christi; ita ab eodem omni demonstratur tum gratia, tum doctrina Apostolorum, qui sunt lux mundi. Et Christus ipse resuscitatus statim accendit in Apostolis ignem Spiritus sancti, quando insufflauit, & dixit, *Accipite Spiritum sanctum,* in ipso die Resurrectionis, *Ruper. lib. 6. cap. 29.*

12 In fine benedictionis Cerei, excepto Papa, Episcopo, & Imperatore, cui additur Electi titulus, si nondum est coronatus, nemo alius nominari debet, inconsulta Sede Apostolica, quidquid scripsere alijs; qui tamen hanc additionem pridie fieri prohibent. At quæ maior est ratio, cum Pius V. in sua Bulla additiones omnes prohibuerit? Sede Romana vel Episcopali vacante tacetur nomen Papæ, vel Episcopi.

- 13 Completa benedictione Cerei, Diaconus, depositis albis, sumit ^r violacea paramenta, & vadit ad Celebrantem: qui exiit Pluuiali, & sumit Manipulum & Casulam violacei coloris. Postea ^u leguntur Prophetia ^x sine titulo: & Celebrans legit eas submissa voce ad Altare in cornu Epistola. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes modo subscripto. Antè, vel interim dum Prophetia leguntur, Presbyteri ^y catechizent Catechumenos baptizandos, & preparent ad Baptismum.

^r *Violacea paramenta.*] Iuxta titulum 19. 1. par. Rubr. nu. 6. & 7. pag. 68. & 70. Crux deponatur in loco decenti; arundo stabiatur pede marmoreo preparato, non procul à Cereo.

^u *Leguntur Prophetia.*] In medio Chori, ait *Carim. Episc. lib. 2. c. 27.* ubi scilicet ab omnibus audiri queat Lector, vnde non male illi, qui in ambone, vel ante Altare Prophetias legunt.

^x *Sine titulo.*] Tradit *Ordo Romanus* quia adhuc sine capite Christo, nondum viso ab Apostolis, videtur esse Ecclesia, *Rupert. lib. 7. cap. 9.* Vel tacentur tituli, ait *Hugo Victorin. de Spec. Miss. obser. lib. 3. c. 24.* ne Catechumenis de Gentilitate venientibus, Hebræorum auctorum nominibus auditis, Lectiones vilescant: vel ad repræsentandam æciritatem Catechumenorum, qui nesciunt doctrinæ nostræ originem, *Alcuin.* leguntur autem ad instructionem Catechumenorum, *idem.*

14 Porro quatuor tantum legebantur in *Ord. Rom.* cum tribus Canticis. Primus, qui meminit harum duodecim Lectionum, est *Microl. cap. 53.* & significant duodecim Apostolorum doctrinam, qua erudiuntur Catechumeni, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 108.* Habentur in *Sacramentario Gregoriano* è nostris prima, 3. 9. 4. 5. 8. 10. & hoc eodem ordine. Lectores autem non osculantur in fine manum Cele-

brantis, neque recedunt nisi dicto *Lenate* à Subdiacono.

15 Cantica tria, siue Tractus, sunt eadem quæ in *Antiphonario Gregoriano*, *Ordine Rom.* & apud *Amalar. lib. 1. cap. 22.* tamen apud nos post 4. 8. & 11. Lectionem: & sunt indicia exultantium Catechumenorum de proximo Baptismo, sed non sine timore; vnde & Tractus, id est luctus, vocantur, *Ruper. lib. 7. cap. 9.*

16 Orationes indicant expectationem & desideria sanctorum Patrum circa Redemptionem per Christi Resurrectionem, *Raban. lib. 2. c. 38.* eaque Celebrans dicit, vt in Missa, manibus extensis, & secundum aliquos, sunt pars Missæ, vt dicemus.

^y *Catechizent Catechumenos.*] *Catechizent*, id est instruant, *Catechumenos*, id est auditores, *Raban. lib. 1. cap. 26.* De ritu verò catechizandi pro Baptismo, vide *Rituale Romanum Pauli V.*

17 A Ministris illud obseruandum, vt, dum Celebrans Prophetias legit, assistant, sicut ad Introitum Missæ, quas & appellat Introitum Missæ huius diei *Hugo Victor. ubi supra cap. 28.* Dum ille Orationes dicit, stant post Celebrantem, vnus post alium. Diaconus dicit genuflectens ante alios, *Flectamus genua*; Subdiaconus surgens ante alios, *Lenate*; excepta vltima

ma Oratione, quia tres pueri, de quibus in vltima Prophetia, noluerunt genua flectere statuae Nabuchodonosor, vt aliàs diximus in *Sabbato Quatuor Temporum Aduentus*, pag. 228. Celebrans autem numquam genuflectit, vt dictum est in *Rubr. general.*

18 Si sedere voluerit Celebras post lectam in Altari Prophetiam, sedeat ad scamnum consuetum, sed nudum,

20 *His expletis, si Ecclesia habuerit fontem Baptismalem, Sacerdos benedicturus Fontem, accipit Pluuiale violaceum, & precedente Cruce, cum candelabris, & 2 Cereo benedicto accenso, descendit cum Clero & ministris paratis ad Fontem: & interim cantatur sequens*
a Tractus: Sicut ceruus, &c.

Baptismus significat mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi, Rom. 6. & idè potissimùm hac die celebratur, *Ruper. lib. 6. cap. 34.*

2 Cereo benedicto. Portabitur Cereus ante Crucem, *Car. Episc. li. 2. c. 27.*

in latere Epistolae. Eat autem per viam breuiorem cum Ministris, & redeat per longiorem cum debitis reuerentijs ante medium Altaris. Nullo modo ledeat ad Altare, quod Episcopo rautum concedi debet.

19 Ordo legendi Prophetias hie erit, vt primas legant minores, postremas maiores, nisi aliud necessitas suadeat.

a *Tractus: Sicut ceruus, &c.* Est in *Ordine Romano*, cum quo concordat Oratio sequens, vt manifestè patet, & in *Gregoriano legitur Sacramentario*. imò & huius ritus meminit *S. August. in Psalm. 41.*

21 Postea procedit ad benedictionem Fontis, dicens, manibus iunctis.

De Fontis vsu antiquo *Dion. de Eccles. Hierar.* quem Matrem adoptionis vocat.

De consecratione eiusdem *Clem. lib. 7. Const. cap. 43. & Sidon. Apollin. lib. 4. Epist. 15.* plura vide apud *Baron. anno 132. & Durandum de Ritibus lib. 1. cap. 19.*

22 Porro sex facit Sacerdos in hac benedictione Fontis, orat, manu tangit aquam, & format cruces; mutat vocem, sufflat, demittit & eleuat Cereum in aquam; infundit oleum & Chrisma, & commiscet.

23 Orat Deum, vt sit praesens tantis mysterijs; mouetque in Praefatione astantes in Deum, ad eundem finem, vt Deus audiat.

24 *Manu tangit aquam* ter. Primò, diuidens in formam Crucis, à qua pendet effectus Baptismi. Secundò, tangit simpliciter, quia manu Sacerdotali opus est, etiam in Baptismo, ad fugandos daemones. Tertio, proieciens & effundens aquam versus quatuor mundi partes; quia Baptismus omnes homines attingit, non Circumcisio. Facit etiam manu varias Cruces super aquam, vt benedicatur à Trinitate per virtutem sanctae Crucis.

25 *Mutat vocem* ter; primò, per modum Orationis; secundò, per modum Praefationis; tertio, per modum Lectionis, vt in Trinitate omnia fiant, & modò humiliùs, modò audentiùs Deus orecur.

26 *Halat* ter in modum Crucis, & sufflat ter in modum Ψ , vt cum Cruce Trinitatem coniungat; à quibus habet vim Baptismus, maiorem autem à Trinitate. Valet etiam insufflatio ad expellendos dæmones cum ignominia, qui leui flatu expelli queunt à Sacerdote.

27 *Demittit Cereum* in aquam, & eleuat ter, profundè, profundius, profundissime, vt Spiritus sanctus sua plenitudine Fontem impleat; sicuti quando descendit in specie Columbæ in Baptismo Christi, adumbrati in hoc Cereo demerso in aquam. Eleuatio autem eiusdem Cerei significat effectum Baptismi, qui confert gratiam eleuantem à peccato ad gloriam.

28 *Infundit oleum & Chrisma*, &

commiscet, de quo etiam *Dion. vbi supra cap. 20. par. 2.* vt indicetur coniunctio Christi per Baptismum cum populis Ecclesiæ; *aqua multa, populi multi*: & Christi nomen, id est vncti, ab oleo & Chrismate deducitur. Ceterum ritus hic totus habetur in *Ord. Rom.* expositio verò sumpta est partim ab *Amalar. lib. 1. cap. 25.* partim ab *Honorio in Gemma lib. 3. cap. 3.* partim à *Durando lib. 6. cap. 81.*

29 *In eodem Ordine Romano* iubetur, vt in Rubrica nostra, aspersio populi cum aqua Fontis ante infusionem olei; & eiusdem aquæ referuario, ad aspergendum in domibus, & alijs locis, ad munditiam Baptizatorum. de qua etiam *Greg. Tur. lib. 1. de Glor. Mart. cap. 24.*

30 *Vbi verò non est fons Baptismalis, finita vltima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans Casulam deponit, & b cum ministris ante Altare procumbit: & alijs omnibus genuflexis, c cantantur Litanie in medio Chori à duobus Cantoribus, vtroque Choro idem simul respondente. Cum autem peruentum fuerit d ad Ψ . Peccatores, te rogamus. Sacerdos & ministri surgunt, & accedentes ad Sacristiam, induuntur paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda: & interim e accenduntur luminaria in Altari. f In fine Litaniarum cantantur solemniter, Kyrie eleison, & repetuntur, vt in Missa moris est.*

b *Cum ministris.*] Et hi quoque in albis procumbunt, ex communiore vltu Ecclesiarum Romæ: deponunt tamen Planetas plicatas paulò ante Peccatores, *Carim. Episc. lib. 2. cap. 27.* quod etiam mihi magis placet. cussini coriacei dari possunt sub eorum capitibus, & Celebrantis.

c *Cantantur Litanie.*] Ita *Ordo Romanus.* Litanie, id est deprecationes, *Amalar. lib. 1. cap. 28.* quibus significatur consortium Sanctorum cum nuper baptizatis, *Raban. lib. 2. cap. 28.*

Hæ verò non inchoantur apud Fontem, sed apud Altare, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 28.* Aliqui scripsere, geminandum illud, *Per sanctam resurrectionem tuam*, sed nullo antiquo auctore, imò contra Bullam Pij V. quæ additiones prohibet.

d *Ad Ψ . Peccatores.*] Discedunt in Sacristiam, vt dicitur etiam in *Missali Vatic. volum. 4743.* si vicina est; alioquin in locum viciniorum & decentem post Altare. Omnino ante Altare nemo Episcopo inferior est vestien-

us, licet sit loci superior: non enim est illi communicanda Episcopalis prorogativa, nisi Mitra utatur.

c *Accendantur luminaria.*] *Sacramentarium Gregor. & Ordo Romanus ad Agnus Dei accendi iubent; quia per Agnum Dei Christum lumen fidei communicatum est, Amalar. lib. 1.*

cap. 30. sed & pallium violaceum remouetur ab Altari, ornatur Credentia suis necessarijs ad Missam solemnem, vt supra dictum est.

f *In fine Litaniarum cantantur, &c.* Monet *Ordo Romanus*, quod cantari debent ita tardè, vt Sacerdos & ministri queant procedere ad Altare.

31 *Interim Sacerdos cum ministris in paramentis albis accedit ad Altare, & dicto Psalmo, Iudica me Deus, cum Gloria Patri, facit Confessionem, vt moris est, in loco consueto: deinde ascendens osculatur Altare, incensat more solito; & finitis à Choro Kyrie eleison, incipit solemniter, & Gloria in excelsis. & h pulsantur campanæ.*

g *Gloria in excelsis.*] Habet *Ordo Roman. & Sacrament. Gregor.* Dicat autem priùs de more Celebrans cum ministris submissa voce, *Kyrie eleison, nouies, Carim. Pap. lib. 2. sec. 1. cap. 57. & 60.*

h *Pulsantur campanæ.*] Iubet *Ordo Romanus* pulsari ad Litanias; fortè, vt populus vocaretur ad initium Missæ; *Durandus cap. 85.* ad Hymnum Angelicum. & conuenit, sicuti cessauere in Hymno eodem Feria quinta.

Sed aduerte, ne maiores campanæ pulsentur, antequam signum datum fuerit in Cathedrali, seu Matrice Ecclesia, ex Decreto Concilij Lateranen-

sis Sessione 11. sub Leone X. sub pena Regularibus centum ducatorum, & sacræ Rituum Congregationis die 21. Martij 1609. & ea tantum eo casu pulsabuntur, quæ sunt intra parietes Ecclesiæ. Dato deinde signo à Cathedrali, seu Matrice, dabitur etiam (licet detur longè post Gloria in excelsis) solempne signum ab omnibus alijs Ecclesijs cum campanis maioribus. Per Matricem intellige quoque Parochialem in Diœcesi; &, si plures sint Parochiales, eam, quæ alijs maior est dignitate: nam ante Matricem hæc non sunt pulsandæ à Confratrijs campanæ, ex Decreto S. Rituum Congregationis die 9. Februar. 1608.

32 *Posteà Sacerdos dicit, Dominus vobiscum.*

Quid Episcopus? dicat, *Pax vobis.* ita *Ordo Romanus*, contra *Durand. cap. 81.*

33 *Finita Epistola, Celebrans incipit, Alleluia, & totum decantat ter, eleuando vocem gradatim: & Chorus post quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem. Posteà Chorus prosequitur, & Confitemini, &c.*

34 *Alleluia* cantatur in cornu Epistolæ, osculata priùs manu à Subdia-

cono. & dum cantatur, stant omnes *Carimon. Pap. loco cit. cap. 57.*

Præc.

Præcedit Alleluia Tractum, Ordo Roman. & Sacramentar. Gregor. & ecce gaudium Paschale, sed non plenum, quia Tractus luctum significat, vt aliàs docuimus. Versus tamen *Consistimini* est de Psalm. 117.

cuius titulus est, *Alleluia*, Rupert. libro 7. cap. 11. est ergo lætitia in spe proxima, *Hugo Victorin. vbi supra libro 3. cap. 29.* Versus & Tractus habentur in *Antiphonario Gregoriano.*

35 *Ad Euangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum: petitur benedictio, & alia sunt de more.*

Tradit Ordo Roman. & significatur aromata mulieram ad monumentum sine lumine fidei; quia putabant Christum hominem mortuum, *Alcuin. De-*

notio aderat, fides obscura erat, *Duran. loco cit.* Euangelium legitur à Celebrante in cornu Euangelij, vt aliàs, post cantatum à se tertio *Alleluia.*

36 *Non dicitur Credo, sed finito Euangelio Sacerdos dicit, Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. & postea, Oremus. 1 Non dicitur Offertorium.*

Hæc Ordo Romanus.

i *Credo.*] Quia nondum Apostoli credebant Resurrectionem Christi.

1 *Non dicitur Offertorium.*] Quia mulieres sub silentio ibant cum aromatibus ad Sepulchrum, *Alcuin. ne-*

que habetur in *Sacram. Gregor.* Subdiaconus defert ad Altare vna cum Calice bursam Corporalium. Ad *Lanabo* dicitur *Gloria Patri.*

37 *De Communicantes, & Hanc igitur oblat.* vti etiam de Præfatione propria, vide supra in *Rubr. Gen.*

38 *Dicitur, Pax Domini sit semper vobiscum, sed in pacis osculum non datur. n Agnus Dei non dicitur, nec o Postcommunio: dicuntur tamen tres consuetæ Orationes ante Communionem.*

m *Pacis osculum non datur.*] *Ord. Roman.* quia nondum dixerat Christus Apostolis, Pax vobis.

n *Agnus Dei.*] *Ordo Rom. & Sacrament. Greg.* inquit *Alcuin.* ob filietum mulierum nondum credebatur Christus Redemptor animarum ad tollenda peccata mundi, *Durand. cap. 85.*

o *Postcommunio.*] Hæc omittitur, quia in hac Missa non communicabant,

tempore nimirum Durandi, introducta etiam tunc noua consuetudine celebrandi hanc Missam manè; sed in die sequenti communicabant tum Catechumeni, tum alij, quod nota contra quosdam, qui gratis oppositum scripserunt) ne communicet alius à Celebrante in hac Missa noctis vel Vesperæ. Sunt vice v. *Communio & Postcommunio*, vt scribit *Duran. loc. cit.*

39 *Post suspensionem Sacramenti, P pro Vesperis in Choro cantatur Antiphona, Alleluia, alleluia, alleluia, & Psalmus, Laudate Dominum omnes*

omnes gentes, cum Gloria Patri in fine, & post repetitur eadem Antiphona, Capitulum, Hymnus, & Versus non dicuntur, sed statim Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat.

Non deponitur à Celebrante Casula, ut assumat Pluuiiale, quod aliquando fecere perperam nonnulli; quia nondum est finita Missa.

p. *Pro Vesperis.*] Hoc Sabbatū propriè non habet Officiū, ex *Augustin.* & *Aluin.* & quæcumque hinc habentur pro Vesperis, eadem sunt in *Ord.*

Romano. Si habet Officiū, hoc terminatur in Vespera, non in Missa, ut sine fine laudetur Christus, qui morte sua nos redemit, *Duran. ibidem.* Sed veriùs finitur Officiū in Missa cum *Ite missa est.* quæstio est de nomine. Porro Antiph. *Alleluia* conuenit, ut inchoetur à digniori qui est in Choro.

40 *Deinde cantatur Magnificat, cum Gloria Patri in fine, & fit incensatio, & ut aliàs in Vesperis. Repetita Antiphona, Celebrans dicit Dominus vobiscum.*

Ministri cum Celebrante dicunt Psalmum & *Magnificat* in cornu Epistolæ, uti stant ad Introitum Missæ.

q. *Ut aliàs.*] Incensatio item fit eodem modo quo initio Missæ, sed præterea incensantur alij in Choro.

41 Extra Chorum dicuntur Vesperæ, ut in Breuiario adnotatum est: & nos in Commentarijs Rub. Breuiarij opportuniùs de his dicemus.

42 Ad Orationem vltimam vsque ad finem omnino seruatur omnia quæ in fine Missæ aliàs præscripta sunt.

43 Peracta Missa, quæritur, An aliæ Missæ celebrari queant; *Microlog. cap. 53.* concedit, si necesse fuerit, & à Litania incipere docet, ommissis Lectionibus, inquit, auditis. *Negant Nauarr. cap. 25. num. 88. & Francolin. tractatu de Temp. Hor. Canon. cap. 30. num. 2. & 9.* quia vsu receptum est, ut vnum tantum Sacrificium fiat solemne. Nullusque est Introitus, ut in Sabbato Pentecostes; nisi dicas cum *Hugone supra,* Lectiones omnes habere vicem Introitus: vnde & Sacerdos habet Casulam tunc, & iubetur eas legere

submissa voce ad Altare. *Sorus in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 2.* concedit hac lege, ut celebretur Superioris coöcessu & auctoritate: sed *Azor,* qui *lib. 10. cap. 24. quæst. 4.* omnino negat, ex *cap. Sabbato Distin. 3. de Consec.* vbi dicitur, biduo hoc Sacramenta penitus non celebrari, cõcedit à Superiore dari posse licentiam tantum, quando iusta adsit causa. Puta, qui multi sunt, qui commodè eo die Sacrificio publico interesse non possunt, quod accidere potest, quando Festum Annuntiationis incidit in Sabbatum sanctum, & tunc de licentia Superioris celebrari posset, aliàs non, & nonnisi post inchoatum saltem solemne Sacrificium, depositoque luctu & mærore Ecclesiæ.

44 Quo casu fortè sufficit incipere à Confessione, qua finita, dicat Sacerdos, *Kyrie eleison,* de more, & reliqua cum Vesperis vsque ad finem Missæ, nam *Gemma lib. 3. cap. 118.* ait Officiū huius Missæ per *Kyrie eleison* inchoari; nisi pro *Kyrie eleison* intelligat cum *Micrologo* Litaniam. Volens aliqui

aliqui, non dici Vesperas in hac priuata Missa, & pro *v. Communio*, dici Antiphonam tantum ad *Magnificat*, hoc est, *Vespera autem Sabbati*, &c. & statim Orationem: sed fugiendus est hic casus, non decidendus.

45 Tutiorum autem arbitror sententiam *Nauar. & Francolin.* eamque conformiorem *cap. Sabbato*, ut non celebretur nisi vnica Missa, quæ noctis est; & sub initio noctis dicebatur tempore sancti Thomæ, in 4. *dist. 13. quest. 1.* Festi verò, cuius Officium transfertur, nulla prorsus, quod ad Missam attinet, haberi debet ratio: & multò minùs votiuâ Missa dici debet, etiam pro re graui.

46 Idem dicerem de Communione Cleri, seu laicorum, in Festo Annuntiationis in Sabbato sancto; quòd non debent alij communicare in Missa, quæ noctis est, & idèd non dicitur *Communio*, ut supra adnotauimus.

47 De Cereo accendendo in tempore Paschali nihil inuenio apud antiquos, nisi quòd *ex Ordine Romano & Microlog. cap. 53.* in Octauis Paschæ distribui solitus fuit Cereus hodie benedictus: ergo non ultra Octauam Paschæ ardebat. In *Annal. Minorum Lucae VVaddingi* decretum fuit anno 1263. quòd in Ordine Minorum Cereus Paschalis remaneret vsque ad Ascensionem Domini, & accenderetur in Missis, saltem diebus Festiuis. Sacra Rituum Congregatio 19. *May 1607.* censuit, regulariter accendi debere ad

Missas & Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis vsque ad Ascensionem, in alijs seruandam esse consuetudinem locorum.

48 Romæ varia est consuetudo. A peritioribus hæc laudatur, ut à latere Euangelij ille ardeat à Sabbato sancto vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè; quia est vnicum Resurrectionis Festum, *ex Ordine Romano*, ad Missam, & ad omnes Horas. Præterea diebus Dominicis, à primis Vesperis vsque ad secundas & Completorium inclusiuè, ad Missam, & Horas; quia Dominica est repetitio Festi Resurrectionis Christi, etiam per annum, nedum Paschali tempore. quem ritum tradit *Samarinus in Thes. Sacerdotali, tit. de Cereo Pasch.* nimirum ad vtrasque Vesperas, & Missam Dominicæ, & in Ascensione ad omnes Horas, vsque ad Euangelium Missæ. Quòd si dicatur Missa Parochialis, seu Conuentalis non solemnis, ad eam item die Dominico accendi potest.

49 Postremò, à primis Vesperis Ascensionis Domini vsque ad finem Euangelij Missæ solemnis, seu Parochialis, seu Conuentalis non solemnis, in alijs diebus numquam.

50 Candelæ tres, de quibus supra, in arundine positæ non ultra Vesperas Sabbati sancti ardere debent: alioquin gratis ardebunt, & sine causa.

De die sancto Paschæ vsque ad Festum

Trinitatis. XI.

Nobilitas anni, mensis decus, alma dierum, splendor horarum, est Pascha, *ex Rupert. lib. 6. cap. 26.*

Pascha, id est transitus, ex vi nominis Hebræi, *apud Isid. lib. 1. cap. 31.* vel passio, à Græco verbo *πάσχει*, *apud*

M m

Inno-

Innocent. III. in Serm. vel est compositum ex Hebræo & Græco per diuinam dispositionem; quia in passione Christi cum ipso & nos transiuimus de morte ad vitam. ita *August. citat. à Durando lib. 6. cap. 86.* celebratur etiam semper in Dominica, ex auctoritate sancti Petri *apud Baron. anno 58. num. 82.* & meminit *Clementis lib. 5. Constit. cap. 18.* item ex Decreto Pij *de Consecr. Distinct. 3. Nosse.* post decimum quartum diem Lunationis primi mensis, & ex Decreto Victoris *de Conf. d. 3. cap. Celebratorem.* tum ut à Iudæis Pascha nostrum distingueretur; tum quia Christus resurrexit die Dominico post 14. Lunam, hoc est, *ex Isid. supra,* in 3. Hebdomadæ Luna, ob numerum mysticum Trinitatis; sicut etiam triduo mortuus resurrexit tertia die, qui vix erat triginta tribus annis: in quibus numeris resplendet ternarius numerus. in quo intellige non modò gloriam Trinitatis, sed salutem omnium qui ante legem, qui sub lege, qui sub gratia extitere. Hæc *ex Isid. cit. & Rupert. lib. 7. cap. 14.*

2 Habet Octauam ex institutione Apostolorum, ait *Baron. anno Domini 58. num. cit.* infra quam si fiat commemoratio de Simplicio, non tamen dicitur tertia Oratio.

3 Missa verò habet hæc notatu digna. Sequentia auctorem habet hactenus incognitum, de qua *Duran. lib. 6. cap. 87.* neque priores illo meminere, nisi subobscurissimè, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 135.* Graduale adhuc dicitur, *ex Sacramentario Gregoriano:* quod, ut aliàs docuimus, canticum est laborantium, & dicitur propter recens baptizatos, qui gradiuntur ad gloriam, quam resurrectio Christi

promittit cum labore. Additur *Alleluia duplex,* ob spem binæ stolæ, animæ & corporis, & ut gradiendo lætetur cum laude Dei. Hæc partim *ex Rupert. lib. 8. cap. 1.* partim *ex Hugone Victorin. de Spec. Miss. obseruat. lib. 3. cap. 32.* Notat *Ordo Romanus,* sumi Graduale ex Psalm. 117. ab hac die vsque ad Sabbatum in Albis, unde nimirum sumitur & ille Versus frequentior, *Hæc dies,* &c. cui Psalmi titulus est, *Alleluia,* ut supra diximus *ex Rupert. lib. 7. cap. 11.* Reliqua, quæ habentur in Missa huius Festi, & in Octaua propria, patent ex dictis in *Rubric. gener. Ite missa est* dicitur cum duplici *Alleluia* vsque ad Sabbatum in Albis inclusiue, in Missis nimirum de Octaua Paschatis; non in ijs quæ cum paramentis violaceis fortè debent cantari, puta Litaniarum maiorum, seu pro publica necessitate: quia duplex *Alleluia* est proprius ritus Missæ Paschalis & lætitiæ.

4 Euangelium legitur secundum Marcum, sicuti pridie secundum Matthæum, & postridie secundum Lucam, ordine congruo, quem indicat *Augustin. Serm. 144. de Temp.* & Euangelia cum Epistolis per totam hanc Octauam habentur in *Comito S. Hieronymi;* sicut etiam Orationes in *Sacramentario Gregoriano,* & Officia Missarum in *Antiphonario eiusdem sancti Gregorij,* vsque ad Dominicam in Albis. Sed Orationes Feriæ tertiæ, quintæ, sextæ, & Sabbati sunt Ambrosianæ, *ex Pamelio.*

5 In Sabbato in Albis, qui titulus est vel ab Angelis, qui visi sunt in Seclia candida, *ex Duran. cap. 80.* vel quia hodie baptizati deponerent albas vestes, *ex Alcuino,* ut intelligant fore illis requiem æternam Sabbati celestis,

lestis, si deposuerint corpora immaculata vti vestes albas in morte. Vna est varietas post Epistolam; quia quatuor *Alleluia*, & duo Versus deinceps dicuntur. qua de re vide quæ diximus in 1. par. Rubr. tit. 10. pag. 32. Abundant autem *Alleluia*, & merito, in læticia Paschali, ex *August. Epist. 19. ad Ian. cap. 17.*

6 De Dominicis sequentibus nulla est Rubrica specialis. habentur eorumdem Missarum Officia in *Antiphonario Gregor.* Orationes autem non sunt eadem in *Sacramentario*; tamen habentur *ibidem sub alijs titulis.* Dominicæ in Albis meminit *Clem. lib. 5. Const. cap. 20.* cuius Oratio est Ambrosii. ex *Pamelio.* Tempus est Paschale, quod vocatur Remissionis à *Concil. Carthag. IV. can. 82.*

7 Occurrunt in hoc tempore Paschali Litanie maiores, & minores, seu Rogationes; & maiores quidem in festo sancti Marci, etiamsi Festum cum eiusdem Missa contingat transferri, quas instituit S. Gregorius Papa non simpliciter, sed ad sanctum Petrum, vt ait *Baronius in Not. Martyrol. 25. Aprilis.* erant enim annuæ ante Gregorium, vt idem ipse ait *initio lib. 2. Epist. & in Comite S. Hier.* habentur Epistola & Euangelium assignata Missæ de Rogationibus. Septiformem ille Litaniam instituit, propter imminentem cælestis iræ mucronem, ait *Ordo Romanus*, hoc est, pestem inguinarum, qua obibant multi, etiam oscitando, & sternutando, morte repentina. Vnde & oscitantes digito super os formabant signum Crucis, & sternutantibus dicebatur: *Deus te iuuet.* qui mores ad nos vsque deuenerunt, *Duran. lib. 6. cap. 102.* sed *Baron.* haurit à *Plinio lib. 28. Hist. natur.*

ritum salutandi prædicto modo sternutantes.

8 Dictæ verò sunt hæ Litanie Processiones nigre; quia in signum mœroris & pœnitentiæ homines vestibus nigris induti procedebant, Cruces & Altaria nigris coloribus velabantur. Item dicta est Processio septiformis; quia S. Gregorius eam distribuit in septem ordines ad certas Ecclesias, Clericorum, Religiosorum, Monialium, Puerorum, Adolescentium, Viduarum & Continentium, & Coniugatorum, *idem ibid.* fit in primis ad conseruandas fruges, *Ordo Roman.*

9 Si terminatur Processio Litaniarum maiorum ad Ecclesiam S. Marci, cantatur ibi Missa de sancto Marco, ex Decreto sacre Rituum Congregationis 23. *May 1603.* quia titulus est Ecclesiæ, & lætitiæ locus eo die: nam alioquin cantantur duæ Missæ, de Festo, & de Litania, ex *Microl. cap. 58.*

10 Si occurrant in die Paschatis, transferuntur in Feriam terciã sequentem, ex Decreto sacre Rituum Congregationis die 25. *Septemb. 1627.* & in Missa de Rogationibus, quæ dici debet sine Commemoratione Octauæ Paschatis, dicitur quidem Præfatio Paschalis, sed ea, quæ cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus, quia Missa est ferialis; & consequenter neque in fine Missæ adduntur *Ite missa est* duo *Alleluia.* Certum autem est, quòd festiua Præfatio Paschalis dici non debet; sicuti non dicitur (ex Rubricis huius Missæ) in Litanis maioribus (*credo*, neque Præfatio de Apostolis, licet sit Festum S. Marci, vt probauimus supra par. 1. tit. 12. un. 2. pag. 42. *Communicantes* dicitur ea ratione quam attulimus supra par. 1. tit. 12. pag. 44.

11 Litaniae minores, id est, Rogationes Latine, seu deprecationes, fiunt triduo ante Ascensionem; de quibus *August. Serm. 173. de Tempore, & in Concilio Aurelianensi cap. 29. de Conf. Dist. 3. cap. Rogationes.* unde restituta potius, ex *Baron. in Notis Martyr. supra*, quam dici debent instituta a sancto Mamerto, seu Mamereo, ex *Sidon. Apoll. lib. 7. Epist. 1. Viennensi Episcopo in Gallijs, ob incursionem luporum, in damnum grauissimum populorum. Quae ideo appellatae sunt Minores, quia a minori Episcopo, si ille auctor est, vel restitutor, & in minori loco respectu S. Gregorij, & Urbis Romae, Durand. ubi supra: qua ratione ea forent, quoad restitutionem, etiam antiquiores Maioribus, centum saltem ante annos, ex *Rupert. lib. 9. cap. 5. nam anno 452. ex Baronio loco citato; Mamertus erat in humanis, & eo anno Litanias celebrauit. In postrema tandem Martyrologij Romani recognitione, re penitus indagata, institutor S. Mamertus Litaniarum minorum, non restitutor est appellatus. Vide locum 11. Maij.**

12 Fiunt autem ob peccata, pacem, pestem, conseruationem frugum, & ceteras necessitates, *Ordo Roman. cibisque Quadragesimalibus utendum esse iussit Concilium Aurelianense supra. certe dies abstinentiae sunt, non laetitia, Ordo Romanus. Amalar. autem lib. 1. cap. 32. negat esse ieiunandum, & probat ex SS. Patribus. in Ecclesijs autem Occidentalibus fieri ieiunium docet Raban. lib. 2. cap. 40. quod Ambrosiani obseruant, translatis Rogationibus post Ascensionem, ne praesente sponso Christo ieiunent, iuxta illud *Matt. 9. Auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. sed & congrue sub**

Dominica praecedenti celebrantur, in qua inuitamur ad orandum: *Petite, & accipietis.* Missa Processionum tres habet Orationes, sine Gloria, sine Credo, & sine commemoratione Festi occurrentis cuiuscumque. de quo, si nouem Lectionum est, cantatur alia Missa. Vnicum *Alleluia*, quia temperanda est laetitia Paschalis: Oratio Missae in Sacramentario Gregoriano habetur, & Officium Missae in Antiphonario Gregoriano. Praefatio semper est Paschalis, etiam in Litanijs maioribus, ut dicitur in proprio loco Missalis, quocumque die occurrant.

13 In Feria 3. Rogationum in Missis priuatis, si fiat de Sancto nouem Lectionum, in illius Missa fit commemoratio Rogationum: si fiat Officium de Simplici Festo, potest dici Missa de eo, cum commemoratione Rogationum, vel Missa Rogationum cum commemoratione Festi, ut dicitur in Rubrica propria. Si Festum non occurrat, dicitur Missa Rogationum, ut in Missali, neque in ea fit commemoratio de Officio feriali; quod est peculiare in hac die, licet Rubrica sit obscurior in modo loquendi. Altarium paramenta erunt Officio conformia; Altaris autem maioris, & Celebrantiu ad quocumque Altare conformia Missae Rogationum, ut diximus *par. 1. tit. 18. in fine.* Hymnus Angelicus non dicitur, neque Credo, in Missa Rogationum maiorum & minorum, ut dicitur in propria Rubrica, quocumque die occurrat.

14 In Vigilia Ascensionis, de qua *S. Hieron. in Lektionario*, dicitur Missa propria, cuius meminere *Microt. c. 40. & Ordo Rom.* si in ea occurrat Festum nouem Lectionum, dicuntur tres Missae in Collegiatis, de Festo, de Vigilia, & de Rogationibus, post Tertiam, Sextam,

Sextam, & Nonam horam: & in vnaquaque harum, secunda Oratio, si dicenda est, erit de B. Virgine, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa. In priuatis si eo die occurrat Festum simplex, erit de eo secunda Oratio, tertia de Rogationibus, quæ in Officio nullam habent comm. quia, vt diximus *num. præcedenti*, Festum simplex præcedit supra ultimas Rogationum Ferias, etiam in Missa. Si occurrat Festum nouem Lectionum, Missa erit de Festo, cum commemoratione Vigilæ, & Rogationum. ita in propria Rubrica.

15 In Ascensione Domini, de qua *Clem. lib. 5. Const. cap. 20.* extinguitur Cereus Paschalis post Euangelium, ad representandum Christi discessum ab Apostolis. Missa habetur in *Antiphon. & Sacramen. Gregor.* De Cereo extinguendo nihil in Missalibus habetur vsque ad Pium V. neque apud antiquiores Auctores.

16 Habet Octauam, de qua *Radul. Prop. 19.* & Missa Dominica infra Octauam habetur in *Sacramentario Gregor.* sed Oratio sub alio titulo Festi.

17 Vigilia Pentecostes, de qua *Hier. in Lectionario*, ieiunium habet, *Ordo Romanus*. non habebat quidem tempore Ambrosij, ex *Amalar. lib. 4. c. 46.* & licet oppositum tribuatur Ambrosio *Distin. 76. cap. Nosse. ex Serm. 60. eiusdem*; tamen non est ille Sermo S. Ambrosij, qui *Serm. 61. c. Scire. eadem Distinct.* negat hoc ieiunium. cum quo concordat *S. Hieron. Epist. ad Lucinum, cap. Vtinam. eadem Distinct.* Verisimile autem est, ritum mutatum fuisse post tempora etiam S. Isidori, vt ex *cap. Post Pascha. Dist. cit. dicitur, nimirum ex eiusdem c. 42. lib. 1. de Officijs Eccles.* Nunc verò temporis huius ieiunii præceptum est de consuetudi-

ne, aiunt Summistæ, & asserunt Rubricæ Breuiarij titulo 6. *num. 5.* & Missalis de *Color. parament. tit. 18. num. 5.*

18 Benedictionem Fontis habet, & Baptismum, vt in Sabbato sancto, *idem Ordo.* & dicta Nona, quia eadem hora Cornelius à S. Petro baptizatus fuit, *Amalar. lib. 4. c. 28.* & quia eadem hora Christus expirauit. Baptismus enim significat mortem Christi, & sepulturam eiusdem, *Rom. 6.* vnde & in Sabbato sancto, & in hodierno Baptismus solemniter habetur. Hæc *idem Amalar. ibidem cap. 29.* vide supra in Sabbato sancto. Adde, aduentum Spiritus sancti vocari à Christo Baptismum. *Bapiz. abimini, ait, Spiritu sancto non post multos hos dies, Act. 1.* & baptizati à Spiritu sancto Apostoli, baptizauerunt aqua ter mille in die Pentecostes. quare meritò sub Pentecoste Baptismus solemniter celebratur, *Rupert. lib. 10. cap. 2.* Postremò duo Sabbata tantum, Paschatis & Pentecostes, Baptismate coluntur solemniter, ex *Leone Epist. 4. cap. 5. & habetur Distinct. 4. de Consecr. Duo tempora. imò ex Siricio eadem Distinct. Non ratione.* nimirum, vt primum sit Filij, alterum Spiritus sancti; ne videatur differentia inter Filium & Spiritum sanctum, quorum est æquè mundare animas à peccato, ait *Raban. lib. 2. c. 41.*

19 Ritus autem in ijs tantum est diuersus à ritu Sabbati sancti; quia in Vigilia Pentecostes ad instructionem Catechumenorum sex tantum leguntur Lectiones, quarum antiqui, vsque ad *Durandum* inclusiue, quatuor tantum meminerunt. in *Sacramentar. Gregor.* aliæ legebantur, & quatuor tantum. quare ritus noster est posterior. Aliæ item Orationes, excepta quinta, dicebantur. Tractus *Sicut ceruus*, cum Oratione sequenti, est in *Sacramen-*

tario eodem. Item non dicitur, *Flectamus genua*, quia sumus in tempore Paschali. Color albus vsque ad Nonam, violaceus vsque ad Missam, rubeus deinceps adhibetur, qui & in priuatis Missis huius diei, quoad vestes Celebrantium, licet celebrent ante Nonam.

20 Ceterum Missa est cum Tractu post vnum *Alleluia* pro Catechumenis, quorum lætitia luctu adhuc miscetur, vt aliàs diximus. Luminaria non deferuntur ad Euangelium, quia eorundem fides subobscura, & recens; qua de causa neque *Credo* dicitur post Euangelium. De *Præfatione*, *Communicantes*, & *Hanc igitur*, vide in *Rubric. gener.* Officium verò huius Missæ totum, excepta Secreta, est in *Antiph. & Sacrament. Gregor.* De Simplici non fit commemoratio in hac Missa, licet in Officio facta sit, vt habetur supra *par. 1. tit. 7. n. 1. pag. 15.*

21 Introitus pro Missis priuatis additus fuit à Pio V. vsitatus tamen antea in Missis votiuus de Spiritu sancto. Reliqua ex prædictis patent.

22 Pentecostes, de qua *S. Clemens lib. 5. Constit. cap. 21.* hoc est, quinque decem, ex vi Græcanicæ vocis, ait *Durand. lib. 6. cap. 107.* dies quinquagesimus, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 147.* idèd figura quietis, ex *August. Epist. ad Ianuar.* qui numeratur ab ipso die Paschatis, nimirum cum Hebræis à Prima Sabbati Paschæ Azymorum, quæ nobis Dominica fuit Resurrectionis, vt egregiè notat *Rupert. lib. 10. cap. 12.* non tamen explicat, quomodo eo anno Resurrectionis Christi accidere potuit Pentecostes in Dominica. Explicat autem acutissimè *Bellarmin. lib. 3. de Cultu Sanctorum cap. 13.* quia nimirum numerus dierum Pentecostes sumitur à die 2. Azy-

morum, in qua meti poterat fasciculus spicarum offerendus eadem die Domino, *Deuteron. 16. vers. 9.* quæ secunda dies eo anno fuit Sabbatum, in quo meti non poterat: sequenti ergo die messuerunt, & obtulerunt, in quo præcisè Christus resurrexit, quæ fuit Dominica dies. Inde ergo, numerans quinquaginta diebus, eodem die, quo Pentecosten celebrabant Hebræi, descendit in Apostolos Spiritus sanctus, imò super 120. discipulos, ætati Moyses, qui 120. annos vixit, congruentes, vt ait *Raban. lib. 2. cap. 41.* Et sicut quinquagesimus annus Iubileus erat apud Iudæos, ita quinquagesimus hic dies fuit Iubileus Christi discipulis, & Iubilationis dies, celebrandus cum præcedentibus 49. & sequentibus 7. cum omni lætitia, nempe Paschali, *Ordo Romanus.* In Iubileo namque dabatur omnibus libertas: & *vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, ait sanctus Paulus.

23 Septem verò Hebdomadæ quæ præcedunt, & septem dies qui sequuntur, septiformem sancti Spiritus designant gratiam, ex *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 147.* quod à *Beda in Homil. de Septem hebdom.* fuerat adnotatum, & ab *Alcuino de Septem diebus.*

24 Missa habetur in *Antiphon. & Sacrament. Gregor.* sicut etiam Festarum sequentium, præter quintam, *Epistolæ*, & *Euangelia*, vt in *Lectionariis S. Hieron.* Auctorem Sequentiæ videt in *Rubric. gener. 1. par. tit. 10. num. 3. pag. 33.* Octauam habet hoc Festum ex institutione Apostolorum, *Baron. anno Domini 58.* Et licet tempore sancti Isidori, *lib. 1. cap. 37.* quinquaginta diebus Paschale tempus concluderetur; nobis tamen tota hæc Octaua vna dies est, ex *Regula Radulphi Propos. 23.* & eandem ob causam dicitur per

per Octauam totam *Gloria in excelsis*, cum Symbolo, vt in Festis.

25 Ieiunium autem Quatuor Temporū fit ad imitationem Apostolorum, qui, absente iam Sponso Christo, ieiunio se dederunt, & Spiritus sancti aduentu carnis delicias ablegauerunt, *Isid. lib. 1. cap. 37. & Amal. lib. 2. c. 1.* Festiuum tamen ieiunium est, cum in eo non dicatur *Flectamus genua*, ratione temporis adhuc Paschalis, *ex Ordine Romano*. Quod si fiat de Simplicii commemoratio, non tamen dicitur tertia Oratio in Missa.

26 Feria quinta habet in Missa quamplura, quæ desumpta sunt à Dominica Pentecostes: *Ordo Romanus* desumit omnia. *Honor. in Gemma li. 4. cap. 38.* subobscurè indicat Epistolam & Euangelium diuersa à Dominica Pentecostes; & ea causa esse potest, *ex Durando lib. 6. cap. 111.* quia septem sunt Officia Spiritus sancti, sepiusformis munere, à Sabbato ad Sabbatum; vel quia sicut Dominus ascendit Feria quinta, & per Spiritum sanctum descendit die Dominica, ita voluit Ecclesia in vtroque die communem Missæ Introitum; cum suis accessorijs, post

Epistolam, Versibus, Offertorio, & Communionem. Docet etiam *Durand. lib. 4. c. 6. n. 21.* solitam dici diem Iouis cognatam Dominicæ, & in vtroque die prohibitū fuisse quandoque ieiunium.

27 An verò dies Octaua Pentecostes dici debeat Sabbatum sequens, vel Dominica, disputat *Berno de Quibusdam ad Missam spect. cap. 3.* & concludit cum Catholica Ecclesia, Octauam dici Dominicam sequentem, quam nos Festum Trinitatis: sed tamen tempus Paschale terminatur in Nona Sabbati, *ex Ord. Roman. Beda & Alcuino locis citatis.* Cuius Sabbati Missa est plenissima, quia omnia quæ dici possunt in Missa, in ea vna continentur, Hymnus Angelicus, Prophetiæ, Sequentia, Symbolum, Præfatio, Communicantes, Hanc igitur.

28 Cur in hoc Sabbato Quatuor Temporū omittitur Canticum trium puerorum post quintam Lectionem? arbitror ego, quia dicitur statim Hymnus Angelicus nobilior Hymno trium puerorum. quod deinde adnotatum legi ab Auctore Antiquit. Liturgicarum. adde, ne duo Hymni immediatè cantentur à Choro.

De Festo Trinitatis, & Dom. post Pentecosten. XII.

IN Octaua Pentecostes fieri Festum sanctissimæ Trinitatis, docet *Microlog. cap. 6.* ab aliquibus, quos reprehendit, quia propria auctoritate celebrabant; Missamque de eadem Trinitate ab *Alcuino* compositā asserit, sicut & Officiū à *Stephano Leodensi*: Præfationem tamen à *Pelagio* approbatam & ipse recipit. *Berno* meminit Festi libro de *Quibusdam ad Missam spect. cap. 6.* deinde *Rupert. lib. 11. cap. 1.* tradit, & laudat idem

Festum, eò quod post aduentum Spiritus sancti cæpit statim prædicari & credi mysterium sanctissimæ Trinitatis, in cuius nomine dabatur Baptismus. Tandem testatur *Radulph. Propos. 16.* à sancta Romana Ecclesia indictum fuisse tale Festum, & communiter celebratum. Congruentem addit causam *Duran. lib. 6. c. 114.* quia Natalis Domini fuit Festum Patris, cui natus est Filius; Pascha fuit Festum Filij, Pentecostes Spiritus sancti. Celebrat-

lebratur ergo statim trium simul personarum Festum, sanctissimæ Trinitatis. Dicitur auctor Festi Trinitatis Gregorius IV. *ab auctore Ligni vite lib. 5. Pisanella facit auctorem Ioannem XXII. ver. Feria. §. 3. & Missæ Orationes omnes cū Præfatione propria habentur in Sacramentario Gregoriano, in nocte Dom. Pentecostes.*

2 Feria quinta proximè sequenti occurrit Festum Corporis Christi cum Octaua, ex instituto Urbani IV. 1262. ab Eugenio IV. 1433. confirmatum, ob causam quam reddit S. Thomas in *Officio eiusdem Festi*; cuius Officij & ipse fuit auctor, *ut in eiusdem Opusculo 57. Leodienles primò celebrarunt hoc Festum, Bzovius anno 1230. n. 16.*

3 Fit Processio solemnissima in paramentis albis. & in Cathedralibus quidem Ecclesijs seruentur ea, quæ in *Carim. Episc. lib. 2. cap. 33.* habentur; in minoribus autem Ecclesijs ea item quæ in *Rituale Rom. Pauli V.* In Missa verò cantanda ne omittantur genuflexiones, quæ suprâ sunt præscriptæ pag. 186. & in *Feria quinta in Cæna Domini, pag. 247.* Finita Missa, deponuntur Manipuli, induit Celebrans Pluuiæ extra cornu Epistolæ, imponit stans incensum sine benedictione, & genuflexus in supremo gradu, ex *Rituale Rom.* ter incensat Sacramentum in Tabernaculo ostensorio positum, ea ratione prorsus qua diximus in *Feria quinta in Cæna Domini.* Postest cantari interim, dum incensatur, *O sacrum conuiuium, vel, Tantum ergo Sacramentum, ut in Instructione Roma edita pro Oratione quadraginta horarum dicitur.*

4 Non deferatur Tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ Sacerdotum humeris, sed manibus tantum Cele-

brantis, non obstante quavis contraria consuetudine, quam ab usum esse declarauit sacra Rituum Congregatio die 2. Junij 1618. Imago verò, quæ est in Hostia, debet terga vertere Celebranti, ut de imagine Crucifixi alias docuimus. & ita accidit, dum ab Altari Diaconus Tabernaculum accipit, & stans genuflexo Celebranti immediate tradit.

5 In Processione Clerus immediate præcedat Celebrantem cum cereis accensis; ceteri, siue Confratres siue Regulares, ante Clerum procedant, cereosque gestent omnes ea manu quæ extrema cuique est, altera posteriori admota. Hymni decantentur alternatim; qui à Celebrante cum ministris dici poterunt submissa voce. Qui Crucem defert, congruit ut veste Subdiaconali sit indutus, & procedat medius inter Acolythos cum Candelabris & cereis accensis, ut alias dictum est, in honorem Crucis & Crucifixi; sicuti fit in Altari.

6 De baldachino & hastarum distributione diximus in *Feria quinta in Cæna Domini pag. 249.* De circulo, & viâ procedendi, standum erit locorum consuetudini. Rectius à latere Epistolæ proceditur ad latem Evangelij.

7 In fine Processionis Subdiaconus deponit Crucem in loco decenti, Ceroferarij candelabra in Credentia, & cum Clero genuflectunt. Deposito Sacramento super Altari cum ministerio Diaconi, ut in *Cæna Domini,* imponitur à stante Celebrante sine benedictione incensum in thuribulo: fit incensatio trina de more, cantante interim Clero genuflexo ante & circum Altare vltimos duodecim Versus Hymni, *Pange lingua gloriosi, Tantum ergo, &c.* quibus dictis, cauitur Ver-

ſus à duobus Clericis, *Panem de ca-*
lo, &c. & à Celebrate ſtante, miniſtriſ-
que genuflexis, & librum ſuſtinenti-
bus hinc inde, dicitur *Dominus vobis-*
cum, cū Oratione, *Deus qui nobis, &c.*
nihilque aliud addens, aſcendit ad Al-
tare, genuſcctit, & ipſemet, nullo Dia-
coni miniſterio, accipit velatis mani-
bus, vt priùs, Tabernaculum, benedi-
cit cum eo populum, facie Hoſtiæ ad
eundem verſa, in modum Crucis ſem-
mel, nihil dicens, & gyrum perficiens
reuerenter reponit. Hæc ferè omnia
ex Rituali Rom.

8 Tum, genuflexione facta, deſcen-
dit ad gradus, vt priùs, & amoto velo
à Subdiacono, Diaconus aſcendit, ge-
nuſcctit, & reponit vel in locum altio-
rem, vt eo die colatur à populo pro lo-
corum cōſuetudine, vel contactum ve-
lo in locū ſuum. Corporale, ſeu Palla
Tabernaculo ſemper ſit ſubſtrata; &
velum longum eidem Tabernaculo,
quod hinc inde aprè cadat verſus Al-
taris latera, & à poſteriori parte Taber-
naculi, ſeu vmbellula ſuperaddatur.
emineat quoque locus ſupra locū Re-
liquiarū; quod aliàs monuimus. Scri-
plere quidam, & gratis, quòd præter
Corporale ſupponi debet Tabernacu-
lo Ara lapidea cum tribus mappulis;
ſed hæc neceſſaria ſunt ad conficien-
dam Euchariftiam, non autem ad eam
collocandā, ſeu exponendam: alioquin
& in turri lignea, & cū ad ægrotos
deſertur, eadem forent adhibenda.

9 Parietes viarū, per quas eſt tranſ-
eundum, ornari debēt, *ex prædicto Ri-*
tuali, tapetibus, & auleis, & ſacris ima-
ginibus, non profanis. Actus autem
ſcenici, vel ludicri, vel indecori pro-
hibentur *in Cerimon. Epiſc. loco cit.*

10 Ardebunt candelæ vſq; ad datam
benedictionem incluſiue: & Diaconus

nihil oſculabitur coram Sacramento.

11 Si cantantur Veſperæ coram Sa-
cramēto in Altari expoſito, in die hac,
& per Octauam, conueniret, vt omnes
ſtarent aperto capite, numquam ſede-
rent: quòd ſi ſedeant, caput tamen
non tegant, quod etiam obſeruandum
erit in diſceſſu, ne intra cancellos coo-
perietur caput.

12 Officium Dominicæ infra Octa-
uam quadrat Octauæ cum Euangelio
de Cœna magna, quod legebatur
etiam antiquitus *in Comite S. Hieron.*
& *ex Ruſer. lib. 12. cap. 2.* Oratio Do-
minicæ eſt Ambroſ. *ex Pamelio.*

13 In ſequentibus Dominicis poſt
Pentecosten aliqua eſt varietas Euan-
geliorum reſpectu antiquorum, non
modò quoad ordinem, quia in primis
Dominicis mutatus eſt ordo Euan-
geliorū, verū etiam quoad ſedem Do-
minicalem: quia Euangelium, quod le-
gebatur Dominica quinta poſt Pente-
costen, de captura piſcium miraculoſa,
hodie legitur Dominica quarta; quod
aliàs Dominica ſexta, nunc Dominica
quinta, & ſic deinceps vſque ad Do-
minicam primam vltra vigefimam.

14 Numerus autem Dominicarum
poſt Pentecosten non erat antiquitus
vltra viginti tres, & ſequens ſpectabat
ad Aduentum, quod in idem recidit.

15 Circa verò Miſſas, Orationes, &
Euangelia per Dominicas diſtributa à
ſanctis Hieronymo & Gregorio, quos
vt plurimū ſecutus eſt Pius V. *vt in*
Lectionario S. Hieron. Antiphonario,
& *Sacramentario S. Gregory* videmus;
cur potiùs hanc vel illam, hoc vel il-
lud, huic vel illi Dominicæ assignaue-
rint, difficile eſt cauſam inuenire: nam
in Aduentu & Feſtis Domini aliqua
ſemper eſt proportio inter Orationes,
Euangolia, & Feſta; in Quadrageſima

N a verò,

verò, & in Dominicis 4. 5. & 6. post Epiphaniam, & in secunda, tertia, quarta & quinta post Pascha, & in reliquis Dominicis post Pentecosten, sufficere debet auctoritas tantorū Patrū, quibus (nec puto sine ratione) ita visum est opportunius fore, & vtilius.

16 Vnius Euangelij, quod nos legimus Dominica 9. post Pentecosten de Ierosolymorum destructione, causam reddit *Honor. in Gemma lib. 4. cap. 64.* quia, inquit, in eo mense, quo legi solet, accidit ipsamet destructio facta à Romanis.

17 Ceterū, posito Euāgelio, quod ex *Ruper. lib. 1. cap. 37.* cit in Missa quasi caput omnium post Canonem, reliquæ partes non discordant: & olim concordabant omnes cum Euangelio, quod videre est apud *Ruper. toto li. 12. de Dominicis post Pentecost. & apud Honor. in Gemma lib. 4. toto, & apud Durand. toto lib. 6.* arbitrarijs tamen coniecturis, & ad eorū libitum rationabilibus, nobis hodie parū vtilibus, post mutationem, seu potiùs restitutionem à Pio V. factam, quam paulò antè memoravi, Euangeliorum.

18 Quòd si non omnia consonant, audi *Augustinum citatum in hanc rem à Bernone, libello de Quibusdā ad Missam spect. cap. 6.* Non sanè omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quæ aliquid significant, adduntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed, vt hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria; & soli nerui in citharis aptantur ad cantum, sed, vt aptari possint, insunt & cetera in compagibus organorum, quæ non percipiuntur à canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur. Hæc ille.

19 Quando verò plures Dominice occurrunt post Pentecosten ultra viginti quatuor, eo casu differtur vigesima quarta in vltimum locum, cuius Euangelium est de fine mundi, legendum idcirco in fine anni Ecclesiastici, qui incipit ab Aduentu, & desinit ante Aduentum.

20 Post vigesimam tertiam ponuntur Missæ Dominicarum quæ super fuerunt post Epiphaniam, dato eisdem Introitu cum suis accessorijs, & mutatis à Dominica 23. & 24. vt eisdem rationis tunc esse videantur, lege quæ diximus suprā de Dominicis post Epiphaniam. Cur autem plures, quove numero variari eas contingat, attinet hoc ad Rubricas Breuiarij, vbi & nos opportuna dicemus.

21 Hoc loco libet indicare, quanti fecere antiqui diem Dominicum, quem appellauere Apostoli Dominicam diem, id est Domini, *Apocal. 1. Reginam & Principem omnium dierum, Ignat. Epist. ad Magnesians. Diem panis, & Diem lucis, Chrysostom. de Resurrectione Homil. 5. Primam Feriā antiquiores Siluestro, apud Baron. anno 58. num. 87. Diem remissionis, Concil. Carth. IV. can. 82. Diem solis, S. Max. Homil. 3. Pentecost. ex communiori, ait, vsu loquendi. Diem sanctum, Alcuin. cap. de Die sancto; nimirū, ex Synodo 6. cap. 8. quia eo die, primo mundi, creati sunt Angeli, & elemēta mundi, Alcuin loco cit. Manna primū pluit, Christus est natus (si natus, ergo & circumcissus) eiusdē Stella Magis apparuit, baptizatus est, satiavit quinque millia quinque panibus, resurrexit à mortuis. Hæc Synodus. Deniq; Spiritus sanctus eadē die descendit. lege *August. Serm. 251. de Tempore, & S. Leon. Epi. 81. cap. 1.**

22 Indefl, quòd Miffæ Domini-
carum per annum numquam omit-
tantur, quin faltem aut de ijsdem com-
memoratio fiat, aut præcedenti die
non impedita celebrentur, aut à tem-
pore ad tempus transferantur, puta,
ab Epiphania ad extremum tempus
Pentecoftees.

23 Inter has Dominicas à Pente-
cofte dictas occurrit autumnale ieiun-
ium Quatuor Temporum, quod Leo
decreuit in menfe feptimo fieri debe-
re, *Microl. cap. 26.* qui & tradit, nulli
certæ hebdomadæ fuiffe assignatum,
vt reliqua ieiunia: fed tamen Ecclefia-
ftica confuetudine factum efle, vt in
tertio Sabbato Septembris ieiunetur.
efl autem Urbani II. Decretum *Di-
finit. 76. Statuimus, ex Concil. Pla-
centin. cap. 15.*

24 Ex quo intelliges, Cur in Mif-
fali huius ieiunij Miffæ fub titulo Se-
ptembris politæ fuerint, poft Miffam
Dominicæ 17. poft Pentecofteen, non
quòd hæc illi fedes certa fit, fed quali
fedes media inter Dominicam 14. an-
te quam tale ieiunium non accidit, &
Dominicam 19. vltra quam illud idem
non occurrit.

25 Citiùs autem vel tardiùs inter
vtramque dictam Dominicam cele-
bratur, prout citiùs vel tardiùs cele-
bratur Pentecoftees: fed femper poft
eam Dominicam, quæ in Breuiario
vocatur tertia Septembris; à quo id-
circo titulum portant hæ Miffæ in
Miffali. Vide quæ diximus in Qua-
tuor Temporibus Aduentus, tum cir-
ca numerum Lectionum, tum circa
alios Quatuor Temporum ritus.

26 Si contingat Feflum in his Tem-
poribus Septembris, tamen erit ieiun-
andum, *Ordo Romanus.* Officia ve-
rò Miffarum horum Temporum funt

ferè eadem quæ in *Antiphonario, &
Sacrament. Gregoriano.*

27 Atque in his Quatuor Tempo-
ribus Stationum finis efl, quarum
initium in prima Dominica Aduen-
tus conftituit fanctus Gregorius ea-
rumdem inftitutor, *ex Rupert. lib. 3.
cap. 4.* faltem magna ex parte, vt ait
Platina. feu, vt veriùs loquamur, non-
nullarum inftitutor, & omnium or-
dinator: nam, teftè Sixto V. *Conftit. 23.
edita die 13. February 1586.* vetus
admodum efl ab Apoftolicis vſque
temporibus ducta facrarum Statio-
num confuetudo, in quibus fidelium
multitudo ad Apoftolorum fepulchra
& fortiffimorum Martyrum memo-
rias conueniens, Hymnis & Canti-
cis fpiritualibus Deum in Sanctis fuis
mirabilem laudabat, & falutaribus
immaculatæ Hoftiæ Sacrificijs pla-
cabat, & aduerfus multiplices anti-
qui hostis oppugnationes, tamquam
in caflris Dei, ftatione tutiffima con-
fiftebat. Hæc ille.

28 Ex quibus patet Primò, nomen
Stationis Ecclefiafticæ tranflatum eflè
à caflris & ftatione militari, quæ locus
erat militibus assignatus. Quæ etymo-
logia folidior efl quàm alia, ex diebus
ftatutis, quod docuit *S. Ifidorus*, vel ex
eo, quia ftabant fideles cum Papa, &
aliquando tota die in Ecclefia ftatio-
nali. Vide alias minùs probabiles apud
*Pompeium Vgonium de Historia Sta-
tionum Romæ.*

29 Deinde patet origo Apoftolica:
cuius etiam meminit *Tertullianus in
pluribus locis*, vt mox dicemus.

30 Tertiò patet ritus Stationis, qui
nimirum erat potiffimus in Miffis ce-
lebrandis. vnde & fingulis Miffis ftatio-
nalibus præfigitur in Miffali locus
Stationis. Addebatur & Miffæ Con-
cio,

cio, vt videre est in Homilijs sanctorum Leonis I. & Gregorij Magni.

31 Ieiunium quoque cum statione coniungebatur, ex *Tertulliano semel & iterum contra Psychicos*, & in *lib. 2. ad Vxorem*. quod & nos retinemus in plerisque Stationibus, hoc est in Quadragesima, & Quatuor Temporibus.

32 Processionis itē mentio est apud *Tertull. loco cit. ad Vxorem*. & à viciniore Ecclesia, vel non admodum remota, ibat Papa cum Clero ad Ecclesiam stationalem. Atque hinc fortasse *Belethus cap. 6. & cum eo Dur.* definire Stationem, hoc est Processionem: sed erat terminus Processionis.

33 Significat Sixtus V. in prædictis verbis, diuersa fuisse loca stationalia, & hodie sunt quinque supra quadraginta, licet stationales dies Quadragesimales sint 54. & alij per annum 31. omnes 85. quia ad eundem locum sæpius itur; non tamen scire possumus, quæ antiquiora, quæ sint posteriora. Ea verò omnia ordinavit S. Gregorius, vt apertè scribit *Io. Diaconus in*

eius Vita lib. 2. c. 6. idemque concessit Indulgentias stationarias, quod hæc iisdem verbis refert *Bonifacius VIII. in Bulla 13. Aprilis anno 3. Pontificatus*, in qua confirmat Indulgentias à Prædecessoribus concessas, & præterea concedit & ipse contritis & confessis visitantibus Ecclesias stationales annum vnum, & dies 40. de vera Indulgentia: sed immensæ in vnaquaque conijciuntur esse Indulgentiæ.

34 Post obitum S. Gregorij nonnullæ stationales Ecclesiæ fuerunt mutatae. qua de re lege *Pompeium Vgonium loco citat.* Illud ego obseruo, de titulis Ecclesiarum stationalium Urbis fieri Officium seu commemorationem in Breuiario Romano, exceptis S. Onaphrio, S. Balbina, & S. Quirico: & in illius quidē Ecclesia fuisse Stationem credimus tēpore S. Gregorij; in huius autem instituta fuit seu trāslata aliunde a Sixto IV. lege *Vgonium supra.*

Et hæc de Stationibus quæ habentur in Romano Missali, ne quid illius præmittamus in hæc Commentarijs.

De Rubricis Proprij Missarum de Sanctis. XIII.

1 **A** Vigiliam sancti Andreae sumunt exordium, quæ est Aduentus Domini proxima, à quo fit initium, vt diximus, Proprij de tempore.

2 Illud autē est certum, tria de Sanctis fieri solita, Vigiliæ, Festa, & Octauas. Vigiliæ à Pastoribus cœperunt, qui vigiliis nascente Christo custodierunt. Et tota nocte ante quædam Festa vigilabatur à populis nostris; sed ob scandala noctu contingentia, ieiunio & Vigiliarum nomine retentis, Vigiliæ fuerunt interdictæ, ait *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 6.*

3 A S. Ambrosio vulgo dicuntur

interdictæ, sed *Baron. in Notis Martyrologij ad 5. diem Ianuarij*, probat fuisse potiùs auctas Vigilias tempore S. Ambrosij; neque tunc scandala fuisse, de quibus cum opinione vulgi loquitur Honorius; neque vñquam fuisse verum, S. Ambrosium interdixisse Vigiliarum vsum.

4 Indictæ verò sunt Vigiliæ Sanctorum, tum vt Festum præueniendo sit solemnius, ex *Radul. Prop. 19.* tum, vt temporali eorum angustia compatiamur, & per pridianam purificationis abstinentiam dignius celebremus sequentis Festi lætitiā, *Alcuin. de Parasceve.*

5 Festa

5 Festa Sanctorum Natalitia dicuntur à *Tertull. lib. 6. de Coron. milit.* quia cetero hinc emigrantes nascuntur, *Alcum. de Divin. Offic.* Festa, quia ius in eis factum, hoc est dicitur, *Raban. lib. 2. c. 46.* Festiuitates, quasi fasti diuinitates, quia annuatim illis diebus ius diuinitatis persoluitur, *Honor. in Gemma lib. 3. cap. 7.* Celebritates, quasi Caelibum, id est castrorum ritus; quia in illis ritus caelestium tanquam à castris agitur, *idem ibidem.* Solemnitates, quia fieri solent in anno, *Beleth. cap. 3.*

6 Porro ex Apostolica traditione manant, ex *Baron. anno 58. nu. 93.* qui citat *Clem. lib. 8. Constit. c. 39.* & probat, primum Festum S. Stephano dicatum fuisse: neque Martyrum solum, sed etiã Pastorum & Doctorem Festa celebrata docet, ex *Gregorio Nysseno Orat. in laudem Basily,* & ex *Naxianz. Orat. in laudem Athan.* Festa tamen Confessorum in Concilio Maguntiaco statuta sunt, ait *Bellarmin. li. 2. de Missa cap. 20. anno 813.* ad excitandam, inquit *August. lib. 20. contra Faustum cap. 21.* imitationem Sanctorum, vel ut meritis eorum confociemur, & orationibus adiuuemur. alias adfert causas *Io. Dam. lib. 4. cap. 7.* quæ in eisdem ferè recidunt.

7 De Festis autem Sanctorum illud posset hoc loco quæri, quando in Missali habuere locum singula Festa, & apud quos, seu à quibus paulatim ad generalem consuetudinem transiere; sed hac de re fusiùs & commodiùs in

Commentarijs ad Rubricas Breuiary Romani, ubi etiam de Auctoribus Officiorum cuiusque Missæ agemus.

8 Octauæ Sanctorum fiunt ad proganda eorundem Festa, ut celebriora sint, tum ad compensanda ea quæ in Festis negliguntur, ut ait *Radulph. Propos. 19.* & quorundam fiunt, ut Octauarum mysteria pateant, non autem omnium Festorum, ne vilescant, *Durand. lib. 7. cap. 1.*

9 Mysteria verò sunt; nimirum, quia per Octauas Sanctorum consummatio doctrinæ, ex *S. Hilario in Psal. 118.* solida eorum virtutis forma, ex *Clem. Alex. Strom. 6.* æterna animarum & corporum glorificatio, ex *Amb. Enarrat. 2. ad Horontianum,* & *August. lib. 2. Serm. in monte cap. 3.* significantur. quæ fusiùs explicauimus in *Prefatione nostra ad Octauarium Romanum, editum & approbatum à sacra Rituum Congreg. die 19. Febr. 1622.* à Moysè, Salomone, Apostolis, & eorum successoribus eas deduximus. Ritum etiam *ibidem* significauimus, qui partim à Moysè est, ut dies Octaua æquè ac prima colenda sit, *Leu. 23.* partim ex consuetudine antiqua Ecclesiæ, quæ inter medios dies celebrat, ac si essent temporis Paschalis, id est cum lætitiâ, ait *Radulph. loco citato.*

10 Duo supersunt. Alterum ad Benedictionem candelarum spectat, & Processionem in Festo Purificationis B. Virginis. Alterum, quado plures Missæ in diebus Sanctorum Festis sint cantandæ.

De Benedictione candelarum, & Processione in Festo Purificationis B. Virginis. XIV.

Purificatio beatæ Virginis dicta est Festum Simeonis, & Annæ, Præsentationis, Occursus, à Græcis, Hy-

pante, seu Hypapante, hoc est, Obuiatio, Occursus; & cæpta est coli Constantinopoli sub Iustiniano Imperatore,

tore, ex Niceph. lib. 17. cap. 28. Romana Ecclesia recepit anno 542. ex Sigeberto. at sub Gelasio, aut Baron. qui abstulit Lupercalia circa annum 496. imò etiam ante: nam habetur in Comite S. Hieron. lege Baron. anno 554. certè ante sanctum Gregorium, in cuius quoque Sacramentario legitur. Sergius Papa addidit Litanias, seu Processionem cum cereis benedictis, ex Ordine Roman. sed ante Sergium S. Eligio tribuit hunc cereorum ritum Baron. in Martyrolog. qui obiit circa annum 665. ex Sigeberto; habuitque de his cereis benedictis Sermonem. Beda

in lib. de Tempor. affert causam: Vicitur, ait, lustrationis, quæ in secundo mensis Plutoni fiebat, acceduntur cerei, quasi lucentes bonorum operum lampades, ut obuiam Christo cum Virginibus eamus. aliam habet Rupert. lib. 3. c. 25. ut cum Simeone gestemus Christum velunt in vlnis, quem cereus designat genitus ex ape opere virginali, vna cum melle diuinitatis.

2 Nunc Rubricas huius Festi proprias explanemus. Primò, vestiendum erit Altare pallio violaceo super album, ita, ut facile quoque ante Missam dimoueri queat.

3 Si hoc Festum a venerit in Dominicis Septuagesima, Sexagesima, vel Quinquagesima, fit tantum benedictio & distributio candelarum, & Processio, & Missa dicitur de Dominica: b Missa verò Festi transfertur in sequentem diem. c Finita Tertia, Sacerdos indutus Pluiali violaceo, vel sine Casula, cum ministris similiter indutus, procedit ad benedicendum candelas in medio ante Altare, vel d ad cornu Epistola positas, e & ipse ibidem stans versus ad Altare, f dicit in tono Orationis Missa Ferialis, Dominus vobiscum.

a Venerit in Dominicis.] Fit aspersio aquæ ratione Dominicæ ante benedictionem candelarum, nempe, antequam ascendatur ad Altare.

b Missa verò Festi.] Fit benedictio cum Processione, dilato Officio de Festo in sequentem diem, ex Decreto Clementis VI. nisi Ecclesia dicata sit in honorem beatæ Virginis, de qua eo casu erit Missa, Carim. Episcop. lib. 2. cap. 16. cantata altera de Dominica, quæ respondet Officio. Sed ego cenfeo, sensum Cerimonialis esse de Ecclesia sub titulo Purificationis beatæ Virginis: qua ratione, sicuti dicitur Officium de ea ibidem, ita dici debet & Missa. Quòd si vrgeas, de quacunque Ecclesia B. Virginis intelligi tex-

tum illum, duæ Missæ erunt cantandæ iuxta Rubr. de Translatione Festerum suprâ par. 1. tit. 6. pag. 14.

c Finita Tertia.] Ob rationem allatam in prima parte Rubric. tit. 15. num. 2. pag. 49.

d Ad cornu Epistola.] Est aptior locus ad ritum, in Cerim. Episc. lib. 2. c. 17. ibidem etiam paretur vas Aquæ benedictæ, & Thuribulum cum nauicula in ipso verò cornu Altaris collocetur Missale apertum.

e Eripse.] Osculato prius Altari in medio, ex Ordin. Rom. Ministri verò stabunt hinc inde. Si quid omittimus hoc loco, repete ea quæ diximus in Dominica Palmarum communia huius benedictioni & Processioni.

f Di-

f Dicit.] Manibus iunctis. Benedi- conus eleuet fimbriam Pluuiialis ante-
cturo Celebranti candelas manu Dia- riorem, vt aliàs diximus.

4 Finitis Orationibus, Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit candelas Aqua benedicta, dicendo Antiphonam, Asperges me, sine cantu, & sine Psalmo, & ter adolet incenso; tum dignior ex Clero accedit ad Altare, & ab eo Celebrans ꝑ accipit candelam non genuflectens, nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante Altare, versus ad populum distribuit candelas, primùm digniori, à quo ipse acceperat, deinde Diacono & Subdiacono paratis, & alijs Clericis singulatim per ordinem, ultimò laicis; omnibus genuflectentibus, candelam & manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælati, si adsint. Et cum inceperit distribuere candelas, à Choro cantatur Antiphona.

De incenso imponendo, aspersione aquæ, incensatione, & distributione, Ord. Roman. quo autem ritu, vide supra in benedictione Cinerum & Palmarum. est enim eadem ratio.

g Accipit candelam.] Ordo Rom. accendi iubet, & distribui. Toleratur tamen alicubi, vt accendantur tantum initio Processionis, ob longiorē distributionem, vel tenuitatem candelarum; & ne ob concursum accidat macula ex

fluenti cera supra vestes Celebrantis.

Quo habitu dignior ex Clero accedat, diximus in benedictione Cinerum, & Palmarum; eodemque modo quo palma traditur, tradatur & candelam, Ministris, vt ibidem, ministrantibus, tum Prælati, & Canonicis, qui manum Canonici Celebrantis non osculantur. Antiphona & Canticum repeti possunt vsque ad finem distributionis.

5 His expletis, cantatur Antiphona, Exurge Domine, & repetitur, Exurge Domine. Deinde Sacerdos dicit, Oremus, & Diaconus, Flectamus genua. R. Leuate, si tamen ^h post Septuagesimam venerit, & ⁱ non in die Dominica.

h Post Septuagesimam.] Habet Ordo Roman.

i Non in die Dominica.] Quæ resurrectionem Christi designat, & tempus

Paschale, in quo non genuflectimus. Celebrans autem numquam genuflectit, vt in 1. part. Rubr. tit. 17. numero 3. pag. 54.

6 Deinde fit Processio. Et primò Celebrans imponit incensum in thuribulum; postea Diaconus vertens se ad populum, dicit, Procedamus in pace; & Chorus respondet, In nomine Christi, Amen. Præcedit Thuriferarius cū thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis; sequitur Clerus.

Clerus per ordinem, ultimò Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus: & cantatur¹ Antiphona sequentes.

Eadem omniino sunt obseruanda quæ notauimus in Processione Palmarum. neque duo Subdiaconi adesse debent, quod aliqui scripsere.

¹ *Antiphona sequentes.*] Habentur

in Ordine Romano, sicut & quinque Orationes pro benedictione. Prima quoque Antiphona cum initio sequentis habetur in Sacramentario Gregoriano.

7 *Finita Processione, Celebrans & ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa: & candelæ tenentur in manibus accensæ dum legitur Euangelium, & iterum ad eleuationem Sacramenti usque ad Communionem.*

Causæ deduci possunt eadem quæ supra par. 2. tit. 13. nu. 3. pag. 182. sed à ministris candelæ non tenentur in Missa; à Celebrante ad Euangelium tantum, ab alijs ad eleuationem quoque: standum tamen erit, etiam cum candelis, post eleuationem, non genuflectendum.

8 Si ob pluuiam non itur extra Ecclesiam, fiat idem, quod in simili casu diximus in Processione Palmarum.

9 Amouetur pallium violaceum, si Missa dicenda sit de Festo beatæ Virginis, in qua Præfatio erit de Natiuitate Domini, ex Decreto Gelasij, teste *Pamelio tom. 2. Liturg.* à qua Natiuitate dies hæc 40. est, & terminus quidam legalis. vnde & Collecta est de Christo præsentato principaliter, de Purificatione accessorie: *purificatis* (ait Ecclesia) *mentibus præsentari.*

10 An verò in Missa de Dom. Septuages. sicut tenendæ candelæ accensæ ad Euangelium, &c. ex verbis Rubricæ,

*fit tantum benedictio & distributio candelarum, & Processio, & Missa dicitur de Dominica. & infra: Accipiunt paramenta alba pro Missa: & candelæ tenentur in manibus accensæ dum legitur Euangelium, &c. videtur inferri, candelas accensas teneri in honorem beatæ Virginis, & consequenter in eadem tantum Missa. Marcellus in Cerimon. Papa lib. 2. c. 28. meminit earumdem trium, vt fiant. Missa autem, inquit, fit de Dominica: in qua, vt in *Diario Cerimon. Cappella* legitur, non ardebant candelæ benedictæ: neque Romæ in Ecclesijs Patriarchalibus sancti Petri, sancti Ioannis, sanctæ Mariæ Maioris accenduntur in prædicta Missa. Nora, quòd in Cappella Papæ nunquam semper accenduntur; quia hodie semper ibi Missa fit de beata Virgine, cuius nomine dicata est Cappella, ex Decreto Clementis VIII. licet occurrat in Septuagesima.*

De Festis, in quibus cantandæ sunt duæ Missæ in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis. XV.

DE obligatione cantandi duas Missas in Festis, quæ occurrunt in Ferijs maioribus, extat aperta

Rubrica in prima par. tit. 3. nu. 1. pag. 4 & fusius hac de re nos diximus in par. tit. 11. à num. 7. ad 12.

2 Hoc

2 Hoc igitur loco enumerabimus sigillatim Festa, in quibus eæ cantari debent, ordine mensium seruato, alijs additis opportunis Notis.

3 Et in Decembri quidem non occurrit casus in Ecclesia vniuersali, neque in mense Ianuario: in sequenti verò Febuario contingere potest casus (si in eundem mensem incidat initium Quadragesimæ) in Festis SS. Agathæ & Romualdi, in Antiochena Cathedrali sancti Petri, & in Festo sancti Matthiæ Apostoli, & item, si in eiusdem Vigilia occurrat Antiochena Cathedrali extra Quadragesimam.

4 In Martio accedit sapius. In Festis sancti Casimiri, Thomæ Aquinatis, & in Missa solemnè de his Festis fiet commemoratio sancti Lucij & SS. Perpetuæ & Felicitatis, Quadragesima Martyrum, Gregorij Papæ, Iosephi, Ioachim, Benedicti, & Annuntiationis beatæ Virginis: in Missa verò de Festo Semiduplex secunda Oratio & tertia erunt eadem quæ in Missa de Feria.

5 Quòd si Festum Annuntiationis beatæ Virginis in eos dies incidat, qui occurrunt à Feria 5. in Cæna Domini vsque ad Feriam 3. Paschatis inclusiuè, quamuis in Rubricis generalibus par. 1. de Translat. Festorum tit. 6. pag. 14. ratione tituli Ecclesiæ, vel concursus populi concedatur, posse cantari aliam Missam de Festo, vltra Missam correspondentem Officio; tamen decreuit sacra Rituum Congregatio die 9. May 1606, quòd in prædictis diebus non dicatur Missa de beata Virgine, neque etiam in Æde sacra Lauretana: poterit autem cantari in primo triduo maioris Hebdomadæ, sine commemoratione Feriæ, & in eius fine dicetur Euange-

lium S. Ioannis, quod semper obserua in Missa de Festo distincta à Missa de Feria maiori, quando ambæ cantantur eodem die, vt aliàs docuimus.

6 In Aprili, si intra Quadragesimam venerint Festa sancti Francisci de Paula, & sancti Leonis Papæ, duæ cantantur Missæ: si verò alicubi accidat Festum Semiduplex, à Dominica Passionis ad Dominicam Palmarum, in Missa de Festo dicuntur duæ tantum Orationes, nempe secunda Ecclesiæ, vel pro Papa; sicut etiam in Missa de Feria.

7 In Festo sancti Marci Missa Litaniarum maiorum cantatur sine Gloria, Credo, & cum Præfatione Paschali, cum Orationibus tribus, vt in Litanijis minoribus; nisi terminetur Processio ad Ecclesiam sancti Marci, quia cantabitur de Festo, ex Dœreto sacre Rituum Congregationis 23. May 1603. si verò incidat in diem Paschæ, vide quæ diximus par. hac tit. 11. numero 10. pag. 275.

8 In minoribus Litanijis, si occurrat Festum Semiduplex, aut Duplex, cantantur duæ Missæ, de Festo, & de Rogationibus.

9 In Vigilia Ascensionis Domini cantantur duæ, de Vigilia, & Rogationibus; illa post Sextam, hæc post Nonam. Quòd si occurrat Festum nouem Lectionum, cantari debent tres, Missa de Festo post Tertiam, reliquæ, vt dictum est. vide quæ diximus tit. 11. num. 14. pag. 276. Et Vigilia Missa post Sextam dicitur, contra Alcocer, quia non ieiunatur hæc Vigilia. & indicatur hic ritus par. 1. tit. 15. num. 2. pag. 50. vbi Hora Nona tribuitur Missæ de Vigilia, quæ ieiunatur; ergo non illi quæ non ieiunatur, præsertim in concursu duarum Missarum, inter quas

aliqua debet mediare Hora, ex *Francol.* quod aliàs diximus. & hic est sensus Rubricæ Missalis, quæ alioqui est obscurior.

10 Mense Iunio accidere potest Vigilia S. Ioannis & SS. Apostolorum infra Octauam, ex nouo Decreto, & in Octaua die Corporis Christi; & tunc duæ cantantur Missæ: in Missa verò Vigiliæ Præfatio communis dicitur, vt supra pag. 42. In festo item S. Leonis, nisi transferatur, cantantur duæ, de Festo, & de Vigilia Apostolorum: in illa fit commemoratio de Octaua S. Ioannis, & tertia Oratio est de B. Virgine, in hac verò de B. Virgine, & Ecclesiæ vel pro Papa; quia Festum & dies infra Octauam sunt similia. congruit illis color albus, & Hymnus Angelicus. In Ecclesia tamen S. Ioannis Baptistæ non dicitur *Credo* in Missa huius Vigiliæ; sicuti neque dicitur in Missa Rogationum maiorum, vt docuimus supra num. 7. in Festo S. Marci. eadem enim est ratio.

11 Mense Iulio occurrit casus cantandi duas Missas, quando anticipatur Vigilia sancti Iacobi in Sabbato; vel transfertur Festum sancti Appollinaris in Feriam secundam: & in his casibus Missæ duæ cantantur, de Festo, & de Vigilia.

12 Mense Augusto, si Vigilia sancti Laurentij fiat in Sabbato anticipatè in festo SS. Cyriaci, &c. vel Festum SS. Cyriaci, &c. transferatur in Feriam 2. duæ Missæ cantantur.

13 In Vigilia Assumptionis B. Virginis Missa de Vigilia non admittit *Gloria*, neque *Credo*, etiam in Ecclesia S. Laurentij; eadem ratione quam attulimus paulò supra num. 10.

14 Extra Romam contingere potest Vigilia S. Bartholomæi in die Octa-

taua Assumptionis B. Virginis occurrente in Sabbato; & eodem modo cantabuntur Missæ, de Octaua die, & de Vigilia, in qua neque *Gloria*, neque *Credo*, neque *Præfatio* de B. Virgine, pari ratione qua decreuit sacra Rituum Congregatio in casu, de quo numero sequenti.

15 Mense Septembri occurrere potest FERIA Quatuor Temporum quarta in die Octaua Natiuitatis beate Virginis, & in Missa de FERIA non dicitur *Gloria*, neque *Credo*, neque etiam *Præfatio* de beata Virgine, sed communis dicitur, ex simili Rubrica, de qua supra num. 7. quæ habetur in Missali in Missa Rogationum. & ita decreuit S. Rituum Congregatio die 12. Decemb. 1626. me petente: & anno 1627, casus occurrit.

16 In Festis SS. Cornelij & Cypriani, Stigmatum S. Francisci, SS. Ianuarij, &c. SS. Eustachij, &c. & sancti Lini, occurrere possunt Quatuor Tempora Septembris, &c. tunc duæ cantantur Missæ.

17 Vigilia S. Matthæi semper habet duas Missas, alteram de SS. Eustachio & socijs, alteram de Vigilia. Si accidit in Ferijs Quatuor Temporum, in altera Missa de FERIA Quatuor Temporum fit commemoratio de Vigilia, & tertia Oratio erit *A cunctis*: in Missa verò de Sanctis, secunda Oratio, *A cunctis*, tertia ad libitum. sed Euangelium Vigiliæ non legitur in fine; quia non fuit lectum in Officio.

18 Mense Octobri non accidit casus. In Nouembri duæ Missæ cantantur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, ex noua Rubrica Missali addita, altera de die infra Octauam post Terriam, altera de Requiem post Nonam, seu post
Vigi-

Vigilias Mortuorum, quia in Missâ de Requiem fieri non potest Commemoratio illius de quo fit Officium. Hoc loco monentur Sacerdotes, Sacrificium Missæ Defunctorum hac die applicandum esse omnibus Defunctis, ex intentione Ecclesiæ: neque idem fit iniuria ijs, pro quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ. præualet enim lex tacita rationabilis Ecclesiæ priuatæ legi testatorum.

19 In Absolutione solemnî Defunctorum hac eadem die, quia solent multi circuire sepulchra, illud obseruare debent, quòd vltima Absolutio facienda erit ad lecticam mortuorum, cum *32. Libera me* longiori, & Oratione, *Absolue*, in numero plurali: quæ habetur inter Psalmos Graduales. Eadem autem hîc militat ratio, qua *Burchardus supra pag. 13.* nos monuit, vltimo semper loco recitandam esse in Missa orationem *Fidelium*, quæ est Generalis pro Defunctis, post Collectas speciales, vt hæc vltima ceteras colligat. Ad alia verò sepulchra posunt distribui Responsoria Nocturnorum, addendo singulis *3. Requiem*, vt fit in tertio & sexto. Fiat aspersio & incensatio ter, in medio, à dextris, & à sinistris, cum Orationibus, vt in Missali, de pluribus, omissis Secretis. Post Orationem non dicitur *Requiem*, &c. nisi post vltimam Absolutionem, quæ fit in medio Ecclesiæ; cui additur per

Cantores, *Requiescant in pace. Amen.*

20 Vbi fiunt aliæ solemnes Missæ pro Episcopis, Canonicis, & alijs, ne tamen omittatur Missa de die infra Octauam omnium Sanctorum: argumento à fortiori sumpto ab ijs quæ diximus *num. 18.* etenim Missa hæc de Requiem vicem gerit Anniuersarij; quod non excludit Missam concordantem cum Officio. Vide *pag. 10.*

21 Addam hoc loco, quòd initio Aprilis, & in fine Maij, seu initio Iunij, aliqua Sanctorum Festa mutant ritum à tempore non Paschali ad Paschale, & è conuerso, Missæque Officia, si propria defint, sumenda erunt de Communi: sed Missa S. Barnabæ dicitur vt in Festo S. Marci, præter Orationes, Epistolam, & Euangelium.

22 Denique, vbi celebratur Festum sanctissimi Rosarij ex Decreto Gregorij XIII. de quo dicemus in Commentarijs Breuiarij, ne tamen dicatur ea Missa, quæ nomine Rosarij circumfertur, concessa tantùm Ordini Prædicatorum à sacra Rituum Congregatione *die 25. Iunij 1622.* & prohibita fuit alijs eodem die, & rursus *die 8. April. 1628.* sed fiat Missa vt in Festo sanctæ Mariæ ad Niues, quod obseruatur in Æde Lauretana, *ex Synodo Diocesana 1626.* vel vt in Natiuitate, mutato nomine in Festiuitatis, quod fit Bononiæ: sed illud prius magis placet.

De Rubricis Missarum Communis Sanctorum. XVI.

1 Communes Missæ inseruiunt tum celebrandis Sanctorum aliorum Festis quæ habentur in Calendario, & nihil habent proprium, vel non habent omnia, vt videre est in Proprio Sanctorum; tum celebrandis co-

rum Festiuitatibus qui extra Calendarium occurrunt in pluribus locis, præsertim verò Patronis locorum, & Titularibus Ecclesiarum, qui omnino nihil habent proprium in Missali.

2 Est autem libetum cuiuscumque recitare

citare Missam quam maluerit ex eodem Communi, ubi sunt plures Missæ, & multò magis Epistolam, & Evangelium, ex ibidem assignatis, ut habetur in *Rubricis ante Commune unius Mart. non Pontificis, & ante Missam de pluribus Martyribus tempore Paschali*. Maximè verò decet illud Evangelium legere, quod in Officio habet Homiliam in Breuiario approbatam, ut concordet Missa cum Officio; quamquam in Octauario nostro Homiliæ nunc habentur de quouis Evangelio quod in Missali legitur.

3 Et quidem de Festo Patroni loci, seu Titularis Ecclesiæ meminit *Microl. c.43.* & ex generali fieri consuetudine, docet *Radulph. Prop. 17.* Ad quod Festum, scilicet Patroni loci, tenentur etiam Regulares eiusdem loci, non autem ad Octauam celebrandam, ex Decreto S. Rituum Congregationis, ad populorum excitandam pietatem erga Sanctos eorumdem Patronos locorum.

4 Porro Missæ Communes de Sanctis numero 24. ad sex titulos reducuntur, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Mulierum sanctarum, & Dedicacionis Ecclesiæ: Apostolorum autè Missa de Vigilia tantum est communis. Martyrum Missæ sunt, vel plurium, vel Pontificis & Martyris, vel non Pontificis, vel extra tempus Paschale, vel tempore Paschali. Quo tempore, ut ait *S. Ambros. Sermono 74.* dignum & congruum est, ut post lætitiâ Paschæ, quam in Eccle-

sia celebramus, gaudia nostra cum SS. Martyribus conferamus, qui consortes fuerunt Dominicæ passionis, & idè de his Missæ Paschales habentur, non de alijs; in quorum Missis communibus additio sit solummodo cantici Paschalis *Alleluia*, ut dicitur in *Rubrica ante Commune plurimorum Martyrum extra tempus Paschale*.

5 Confessores autem: quam vocem non accipimus ut apud antiquos, pro ijs qui Christi fidem interpellati coram fidei hostibus confessi sunt, vel experti aliquod tormentum, non tamen occubuerunt (lege *Cyprianum Epistol. 7. & 9. cum Schol. Pamelij*) sed accipimus, ex hodierno vsu, pro ijs qui sanctè vixerunt, qui vel sunt Pontifices, vel Doctores, vel non Pontifices, vel Abbates.

6 Virgines item vel vna, vel plures, vel Martyres etiam, vel non Martyres. Mulieres denique sanctæ vel sunt Martyres, non Virgines; vel neque Virgines, neque Martyres.

7 De quibus Missis, Evangelijs & Epistolis mentio est apud *Durand. lib. 7. à cap. 43. ad 47.* Ante S. Gregorium nulla est mentio Missarum de Communi Sanctorum: in cuius *Sacramentario* adsunt Missæ de Communi Martyris, & plurium; vnius Confessoris, & plurium; Virginum, & Martyrum. *Pamelius in tertio libro Sacrament.* facit earum auctorem maiori ex parte *Alcuinum*.

8 Rubrica illa, videlicet,

Commune Martyrum tempore Paschali, scilicet à Dominica in Octaua Paschæ, vsque ad Vigiliam Pentecostes,

Causam apertam habet: quia infra Octauam Paschatis, & à Vigilia Pentecostes vsque ad Trinitatem, neque

etiam de Patrono fit Officium sine privilegio. Quòd si ijs diebus cantada sit Missa ob concursum populi, quod

conceditur in 1. par. Rubr. tit. 6. absque dubio Missa erit vt in tempore Paschali; quia tempus Paschale terminatur in Sabbato ante Trinitatem, vt supra docuimus: quod etiam nota pro Votiuus solemnibus pro re graui, de aliquo Sancto, aut pluribus, per eos dies celebrandis, quæ non prohibentur in Rubricis generalibus.

9 Dedicatio Ecclesiæ anniuersaria celebratur; cuius nomina sunt multa, & varia. Nam Ecclesia vox Græca est, & concionem significat, *Act. 19.* seu conuocationem, *ex Cyrillo Catech. 18.* dicta etiam est Cœnaculum, à cœna Domini, apud *Baron. anno 57. & 59.* Domus Dei, Orationis; Dominicum, quasi relictum amplum; Basilica Regis regum, Martyrium, Confessio, & Oratorium. lege *Durand. lib. 1. de Ritibus cap. 1.* iure igitur Dedicatio celebratur. Ex auctoritate Apostolica, inquit *Radulph. Propos. 17.* Constantinus edixit, *ex Eusebio lib. 4.* Athan. docuit *Apolog. 2.* S. August. habuit in eadem Sermone 252. de Tempore, & alios. Extant *Canones Felicis IV. & Gregory I. de Consecr. Dist. 1. cap. 17. Solemnitates.* vbi affertur exemplum Christi concurrentis ad Encœnia, id est, Dedicacionem Templi Ierosolymitani, *Ioannis 10.* Dedicantur autem, ait *Alcuinus de Cœna Domini*, vt in eis inuitetur aduentus Angelorum, & homines in eas intrantes etiam ab exili cogitatione se contineant. *Soluo calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* hæc ille. *S. Thom. 3. part. quest. 85. art. 3. ad quartum.* Ideo, ait, consecratur Ecclesia, quia sancta est Ecclesia sponsa Christi, & cum Octaua celebratur, *de Consecr. Distinct. prædicta*, ad notandam gloriosam Resur-

rectionem futuram eiusdem. Hæc ibi.

10 Nota parenthesis in Oracione Secreta huius Missæ: ea enim verba, quæ parenthesis clauduntur, omitti debent, cum dicitur Missa de Dedicacione alicuius Ecclesiæ, quæ non est eadem ipsa, in qua celebratur; vt in Dedicacione Basilicarum Saluatoris & Apostolorum Petri & Pauli, quæ ab vniuersis celebrantur, extra eadem Ecclesias; & in Dedicacionibus Cathedralium Ecclesiarum, quæ iubentur celebrari ab omnibus diœcesanis. Me præsentem, ad hunc finem facta est parenthesis, quam ferè omnes ad hanc fortè diem ignorauerunt. Collecta & Secreta habentur in *Sacramentar. Gregor.*

In Dedicacione Ecclesiæ Cathedralis, quæ (vt innuimus, & in secundo Tomo docemus) celebrari debet à Clero ciuitatis, & Diœcesis, dicitur *Credo*, etiam extra propriam Ecclesiam; sicuti fit in Dedicacionibus Basilicarum Saluatoris & Apostolorum Petri & Pauli, etiam extra eorum Basilicas, ob rationem allatam, cum de Symbolo ageremus *pag. 38.* quia & eodem modo quo totus Orbis veneratur Basilicas, Cathedrali alteram Urbis, hoc est, Saluatoris, alteram quasi Cathedrali, nempe SS. Apostolorum; debet vnaquæque ciuitas & Diœcesis magis minusve suam venerari Cathedrali: & extra eandem, in eiusdem gratiam, recitare Symbolum in Missa. Ratio verò eorum, qui dicunt, ideò recitari Symbolum in Dedicacione Cathedralis Ecclesiæ, quia etiam extra eandem est primæ classis, non sufficit: quia Festum sancti Ioannis Baptistæ est primæ classis vbique, & tamen extra propriam Ecclesiam non dicitur *Credo*. Neque item alia ratio satisfac-

cit integrè; quòd nimirum Cathedralis Ecclesia est propria cuiusque, & potest dici Dedicatio propria Ecclesiae, de qua in *Rubr. de Symbolo*: quia verè non est ita propria eo sensu quo loquuntur Rubricæ Missalis & Breuiarij de Dedicacione propria Ecclesiae.

11 In ipsa die Dedicacionis Ecclesiae Missa dicitur vt supra.

Ordo Roman. in Dedicacione Eccles. consecrationis Ecclesiae. lege interim Non est huius loci explicare ritum *Tobiam nostrum par. 1. cap. 27. 28. 29.*

12 In ipsa die Dedicacionis Altaris dicitur Missa vt supra.

Antiquitus fiebat annua Dedicatio Altaris, ex *August. Serm. 252. 255. de Tempore*, Nam vniciuique Altari consecrato assistere Angelum Dei, probant exempla in *Prato spir. Sophronij cap. 4. & 10.* Epist. 50. vbi agit de tredecim Altaribus dedicandis, quiddam garrant Hæretici.

13 Plura quoque Altaria consecrari in Ecclesia docet *S. Gregorius libro 5.*

14 Demum consecratur Altare, ad indicandam sanctitatem Christi, *S. Thom. 3. par. quest. 83. artic. 3. ad 4.* Plura lege de Altaribus apud *Tobiam nostrum par. 1. cap. 7.*

De Rubricis Missarum Votiuarum in fine Missalis.

XVII.

1 **S**equentes Missæ Votiuæ, licet pro Sacerdotis deuotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando Festum Duplex non occurrit: hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet, sed, quoad fieri potest, Missa cum Officio conueniat. Cuique autem diei propria Missa potest assignari, vt Feria secunda, nisi dicatur pro Defunctis, Missa de sancta Trinitate, Feria tertia de Angelis, Feria quarta de Apostolis, Feria quinta de Spiritu sancto, vel de sanctissimo Eucharistia Sacramento, Feria sexta de Cruce, vel de Passione Domini, Sabbato de sancta Maria. In ipsis non dicitur Gloria in excelsis, nec Credo, nisi pro publica Ecclesia causa. In Missa autem beatae Mariae in Sabbato, & in Missa Angelorum, dicitur tantum Gloria in excelsis.

2 Tempore Paschali in fine Introitus dicuntur duo Alleluia, & in fine Offertorij & Communionis additur Alleluia, vbi non habetur.

3 Missarum Votiuarum de Trinitate, de Angelis, de Spiritu sancto, de Cruce, & de sancta Maria, auctorem aliquo modo diximus supra in *Rubric. gener. 1. par. tit. 4. num. 3. pag. 9.* fuisse Alcuinum. Docuimus etiam *ibidem*, Cur Feriæ secundæ tributa fuerit Missa de Trinitate, Feriæ tertiæ de Angelis, Feriæ

Feria quinta de Spiritu sancto, & de sanctissimo Sacramento, quæ in recognitione Missalis, Clementis Octavi auctoritate, fuit hoc loco collocata, pro solemnibus quadraginta horarum, quam vocant, Oratione; & pro quolibet die per annum, & alijs de causis extra eiusdem Festum & Octauam occurrentibus; cui nihil addi debet, neque *Sequentia*, incõsulta Sede Apostolica. item Feria sexta de Cruce, cui addita Missa de Passione, similem habet causam. Denique, cur Sabbato Missa de beata Virgine assignata sit; vbi docuimus etiam, non posse dici Votiuas Missas ijs diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo Duplici.

4 Missa de Angelis, *Benedicite*, &c. citatur in *Concilio Constantiensi Sessione 9.*

5 Feria quarta dicitur Missa de Apostolis, quæ non ante Pium V. eiusdem fuit assignata; vel quia successit Missa Votiuæ de charitate, quam eidem Feriæ *Alcuinus* inter Votiuas assignauerat; vel quia hac die creati fuere Sol & Luna: Petrus autem fuit Sol Hebræis, Paulus Luna Gentibus, prima Ecclesiæ luminaria; vel quia occupatis alijs Ferijs, ex causis suprâ allatis, hæc Apostolis debebatur, tamquam Patronis totius Ecclesiæ; vel quia die Mercurij obierunt, ex *Ciaconio in Vista S. Petri*, aliam causam vide loco citato num. 3. Collectæ verò de Apostolis auctor est, vel Leo II. ex *Durand. lib. 7. cap. 15.* vel Leo IV. ex *Ligno vite lib. 5. Arnoldi VVion.*

6 Quæsitum est, An in Votiuâ Conuersionis sancti Pauli faciendâ sit Commemoratio sancti Petri, qui numquam separatur à S. Paulo. Respondeo, nisi vice illius dicatur Votiuâ communis utriusque Apostolo, cum

intentione ad venerandam Conuersionem sancti Pauli, quod mihi arripet; omnino numquam separandi erunt ij quos Ecclesia coniunxit: & licet in Sexagesima videatur eosdem separare in Collecta solius sancti Pauli, latenter id facit ob stationem in Ecclesia sancti Pauli, quem, tacito nomine proprio, Doctorem Gentium appellat.

7 In Sabbato de beata Virgine quinque Missæ positæ sunt, pro diuersitate temporum accommodatæ, vt consideranti satis apertè patet. Oratio *Concede* cum duabus sequentibus habetur in *Sacramentario Gregoriano*, vbi etiam Orationes de Cruce, Paschalis, & non Paschalis.

8 Sed quid agendum, quando Missa Votiuâ exigitur de Assumptione beatæ Virginis, de Natiuitate eiusdem, & eiusmodi dici potest Missa de beata Virgine ex his quinque Votiuis, cum intentione ad honorem Assumptionis beatæ Virginis, &c. aliàs enim dedecet, vel dicere, *Gaudeamus omnes in Domino diem Festum*, &c. vel immutare tunc verba *diem Festum*, in *commemorationem*; tum alia sequentur incongrua: neque laicorum causa violandæ sunt Rubricæ.

9 Missa *sanctissimi Rosarij* non conceditur omnibus, vt dictum est suprâ, à sacra Rituum Congregat. pag. 291. Quod si quis habeat onus celebrandi Missam de Rosario, consulat sacram Congregat. Rituum, quæ concedere solet, vt dicat Missam de beata Virgine Votiuam vt in Missali, & satisfaciatur, ex Decreto eiusdem sacre Congregat. die 6. Maij 1623. 7. Augusti, & 30. Septembris 1628. eodem modo decreuit sacra Rituum Congregatio de *Missâ sanctæ Mariæ*
de

de Carmelo die 8. Aprilis 1628. vt ne sit communis omnibus, sed tantum Carmelitis.

10. De Apostolis alijs, quando Votiuā occurrit dicenda, si quid ratione temporis desit, puta Tractus, seu *Versus* cum *Alleluia*, tempore Paschali, *Tractus* quidem desumi poterit ex Missa Votiuā sanctorum Petri & Pauli; *Versus* autem cum *Alleluia* tempore Paschali, imò verò etiam Introitus cum accessorijs, ex Festo S. Marci, vt in simili casu iubetur in fine Missæ Votiuæ Apostolorum Petri & Pauli. est enim eadem ratio.

11. Dubitatum est, An in Ferijs Aduentus, in quibus post *Graduale* omittitur *Alleluia*, si Missæ dicantur Votiuæ, & præsertim pro peccatis, & de passione Domini, omittendus sit *Versus* cum suo *Alleluia*; sed verè non sunt Missæ de Tempore, vt Feriæ Aduentus, Quatuor Temporum, & Vigiliarum quæ ieiunantur, in quibus *Graduale* tantum dicitur. Et sicut Votiuæ participant de Festis quorum sunt Votiuæ, ita decet post *Graduale*, id est lamentum, audiri *Alleluia* extra Septuagesimam, ad aliqualem lætitiā exprimendam, vt in Rubricis gener. enarrauimus. Vide Missam Votiuam de beata Virgine, ab Aduentu ad Natiuitatem Domini, in qua reperies *Alleluia* vt in Festis. Omnes autem Votiuæ institutæ sunt in eodem gradu, licet aliqua minus solemnitate visâ sit habere quàm aliæ, vt de passione, pro peccatis, infirmis, & eiusmodi; optima igitur Missalis Rubrica.

12. Obseruandum verò est infra Octau. Paschæ, si Votiuā canretur pro re graui, in ea non dici *Graduale*; quod conuenit illi Octauæ, non Voti-

uæ Paschali, ita Ruiz in suo *Carmonali*; & benè: neque dici *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluia*; quod proprium est Paschalis Missæ de Octaua, vt supra diximus *parte tit. 11. num. 3.*

13. In alijs Votiujs Sanctorum vel dicitur Missa propria Sancti, si habet, mutato in Collecta verbo *Natalitia*, *Festa*, & eiusmodi, in *Commemorationem*; desumptis item vel *Tractu*, vel *Versibus* cum *Alleluia*, vel etiam *Graduali*, si opus est, ex Missa de Comuni; vel certè tota Missa dicatur de Comuni, prout ratio temporis siue Paschalis siue non Paschalis requirit. Paschale verò tempus durat, vt diximus, vsque ad Sabbatum post Pentecosten inclusiue.

14. Missa de *quindecim Auxiliarijs*, quæ impressa est Venetijs, reiecta est à sacra Rituum Congregatione die 16. Ianuar. 1617. ita, vt neque retineri possit in calce Missalis, sub pœnis librorum prohibitorum: eodemque modo reiecta est Missa de *Patre aeterno* Madriti edita, & Missa de *S. Gregorio pro Vinis* Venetijs impressa. extant Decreta prælo data die 8. Aprilis 1628.

15. In Votiujs pro gratiarum actione additur Oratio propria, quæ habetur post Votiuam de sancta Trinitate, cum conclusione distincta à conclusione primæ Collectæ, seu Orationis, vt in *Rubric. gener. 1. part. tit. 7. num. 7. pag. 19.* diximus, ita, vt in Missa solemnibus tantum Orationes dicantur cum distinctis conclusionibus; quod non minuit solemnitate, sicut neque Festum S. Petri diminuitur, addita Oratione tantum S. Pauli in Missis autem priuatis secunda erit de Officio, vt ex supradictis patet. *1. part. Rubric.*

Rubric. tit. 4. num. 3. pag. 9. tertia de gratiarum actione.

16 In Missa ad postulandam gratiam Spiritus sancti, quæ est eadem ac de Spiritu sancto, mutantur Orationes; & dicuntur eæ quæ habentur in fine eiusdem Missæ Votiuæ de Spiritu sancto, & leguntur in *Sacramentario Gregoriano*.

17 Aliæ Missæ Votiuæ pro diuersis rebus dici possunt quacumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium Duplex, sed tamen passim non dicantur, nisi vrgenti de causa, vt supra dictum est de alijs Missis Votiuis.

18 Additæ sunt enim tredecim aliæ Missæ Votiuæ prædictis, pro alijs necessitatibus, de quibus aliqua notatu digna nunc enarrabimus. Et quidem quæ ad Summum Pontificem creandum, creatum, coronatum attinent, qui est caput Ecclesiæ, nemo eas vocabit in dubium; cum pro eodem in Canone semper orandum sit distinctè: in Collectis etiam Oratio pro Papa est satis frequens, & in solemnioribus anni temporibus. Patebit adhuc multò magis ex ritu mox laudando circa Episcopos locorum proprios. Sanctus Leo in suæ assumptionis anniuersario Sermones habuit; imò Romanam conueniebant eo die alij Episcopi, vt videre est in *Epistola Hilary Papæ ad Ascanium*. Prima ergo vice poterit hæc Missa dici, etiam in Dominica, seu Festo Duplici, id est, Missa vt in Cathedra sancti Petri, tam in creatione Papæ quam in coronatione, mutata Collecta, cum *Credo*, vt in Missali dicitur. in Anniuersario eadem dici debet.

19 De Anniuersario Electionis seu Consecrationis Episcopi extat Canon *Felicis de Consec. Dist. 1. Solemnista-*

tes. dicebatur autem Natalis dies Episcopi, ex sancto Ambrosio lib. 8. Epist. 60. ad Felicem, edit. Rom. Paulin. Epist. 16. ad Delphinum, & ex Hilario prædicta Epistola ad Ascanium. Nota in Rubrica particulam seu; nam sonat &, vt patet apertè in *Rubrica de Symbolo circa finem, & in Rubric. de Coloribus parament. num. 2. circa finem.* quare vtraque celebrari potest. Apud Græcos in Menologijs notantur dies Ordinationum sancti Basilij, sancti Ioannis Chrysostomi, & aliorum. Apud Romanos vide quæ scribit *sanctus Ambrosius de Felice Comensi Episcopo lib. 8. Epistola 60. cit. S. August. de Aurelio Carthag. Serm. 32. de Verb. Domini, & de suamet Ordinatione anniuersaria Homil. 24. & 25.* Ex quibus patet, si altera tantum celebretur, consecratio potius quam electio celebranda erit.

20 Si igitur venerit in die Festiuo, Missa erit de Festo, cum commemoratione pro Episcopo, *Carimon. Episc. lib. 2. cap. 35.* In Oratione autem nominatur Episcopus, & ciuitas; quia Ecclesia sine additamento significat vniuersalem Ecclesiam: si verò in die non festiuo Missa dicitur vt in *Missali, & emendato Cerimoniali*, cum vnica Oratione, *Gloria, Credo*, & *Prefatione* communi, siue de tempore, vel habente rationem temporis; quia forte infra Octauam occurrat.

21 In sequentibus Missis nulla est difficultas: ante Pium V. erant in vlu; & in *Sacramentario Gregoriano* leguntur Orationes *pro iter agentibus, pro quacumque necessitate, remissione peccatorum, tempore belli, pace, vitanda mortalitate* (cuius Missæ dicitur auctor Clemens VI. in *Ligno vite lib. 5.*) & *pro infirmis*, sed & Missæ *pro infirmis*

P p

memi-

meminit *Chrysof. Homil. 77. in Ioan. Missam pro moribundo innuit Ioan. Diac. lib. 4. de Vita S. Gregor. cap. 86.*

22 Missa pro sponso & sponsa dicenda est extra diem Festum de præcepto, *ex propria ante eandem Missam Rubrica*, quæ Missam Dominicæ seu Festi celebrari iubet cum commemoratione benedictionis: si vidua sponsa est, non benedicitur cum hac Missa, etiam si vir numquam nupserit; si vero nupserit vir, & virginem ducat, ubi

ea viget consuetudo, poterunt nuptiæ benedici cum hac Missa, vt habetur expressè in *Rituali Rom. Pauli V. Ceterum Missæ Sacrificium offerri iustum in nuptiis*, docet apertè *Tertullian. ad Vxor. lib. 2. in fine. Vnde sufficiam*, inquit, ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblationis autem nomine intelligitur Missam *Baron. anno 57. num. 49. Videamus Rubricas.*

23 *Dicto Pater noster, Sacerdos, antequam dicat, Libera nos, quæ sumus Domine, stans in cornu Epistolæ versus sponsum & sponsam ante Altare genuflexos, dicit super eos sequentes Orationes.*

Tenente librum ministro ante eum, & dum recedit à medio, seu accedit ad medium, genuflectat semper Sacramento: verum congruè post septem petitiones Orationis Dominicalis, petit confestim Sacerdos quæ sunt vtilia sponso coram eodem Sacramento, vt

efficaciùs obtineat, & iterum reuertitur ad Preces Ecclesiæ pro iisdem sponso, dicens: *Libera nos, &c.* Orationes autem pro sponso sunt Ordinis Romani. Poterit suo loco dari Patrum cum instrumento osculato à Sacerdote per ministrum sponso & sponsa,

24 *Postquam sumpserit Sanguinem, communicet sponso.*

Ex Tertulliano de Monogamia c. 11. Illi (Sacerdotes) sic dabunt viros & vxores, quomodo buccellas; quas su-

præ docuimus esse particulas cum *Baron. supra citato num. 49. licet Albaspin. aliud ibi intelligat.*

25 *Sacerdos, antequam populo benedicat, conuersus ad sponsum & sponsam dicat, &c.*

Hoc est, in cornu Epistolæ, vt supra, & vt de vicino libro commodè legat.

Benedictio specialis danda est ante generalem, quasi ante partem aliorum.

26 Aspersio sponso, quæ fit cum Aqua benedicta in fine, fiat cum aspergillo & aqua, & cum signo Crucis super eos, eo modo quo dicitur in *Rituali Romano, in benedictione mulieris post partum, &*

aliarum personarum. Benedictio vero hæc sponso firmata fuit Eusebii Decreto *Epistola 1. ad Episcopos Africanos.*

27 Ultimo loco ponuntur Orationes diuersæ ad libitum dicende, quando non est Festum Duplex. Cuius quas hæc occurrunt notanda, & Primò, Regulam illam, *De eodem non fit in Missa bis per modum principalis, siue sit Festum, siue sit Votum, &c.*

modum simul Commemorationis, veram esse, & habere locum in sensu formali Commemorationis, quæ dicit ordinem ad Officium; quod accidit in Collectis ordinariè, non ultra tertiam in Missa: non autem locum habet illa Regula in Collectis purè accessorijs, remotioribus à prima; nec in ijs, quæ addi possunt vsque ad quinque, seu septem, vt supra dictum est in prima par. Rubr. iii. 9. de Orationibus num. 12. pag. 27. Prima pars probatur ex eodem tit. 9. num. 15. vbi idè in Missis de beata Maria dicitur Oratio de Spiritu sancto, & in Votiuæ de Apostolis, pro *A cunctis* dicitur, *Concede*, de beata Virgine, vt ibidem adnotauimus. Altera pars manifestè patet; quia alioquin sequeretur, quòd, quando plures dici possunt Orationes (inter quas certum est, fieri semper mentionem de beata Virgine in Oratione *A cunctis*, vel, *Concede*) numquam in Missa posset dici Oratio ad poscenda Suffragia Sanctorum, *Concede quasumus*, &c. neque alia, pro Congregatione, & familia, in quibus fit expressa mentio de beata Virgine; & essent frustrà in Missali, quod non debet dici. Item in Missa de Spiritu sancto Votiuæ cum quinque Orationibus non posset vmquam dici Oratio ad postulandam continentiam, *Vre igne sancti Spiritus*; neque, pro *Deuotis amicis*, in qua etiam nominatur Spiritus sanctus. Item in Votiuæ de Apostolis, & in alijs Missis, in quibus dicitur *A cunctis*, & tertia est ad libitum, non posset vmquam dici Oratio pro *constituto in carcere*, in qua nominatur beatus Petrus. Ergo ultra vicinioriam accessoriã, quæ Commemorationem sapit, & debet esse diuersa à prima Collecta, nihil refert, an

in alijs purè accessorijs, & remotioribus à prima, mentio de nouo fiat eorum qui in prima vel altera Collecta fuere nominati: qua concessa distinctione, certè nihil erit frustrà positum in Missali Romano.

28 Prima tamen Oratio ex his Votiuis, nimirum *ad poscenda Suffragia Sanctorum*, non debet dici, quando dicitur *A cunctis*, quia eadem sunt, vt ex titulo earundem patet: poterit autem illa prima, *Concede*, dici in ea Missa, quæ habet secundã, *Concede*, de B. Virgine, & admittit quinque vel septem Orationes suo loco congruo post Orationem tertiam, si propria sit assignata: vel poterit & à Maioribus quandoque iuberi, vt dicatur etiam in Duplicibus pro re graui & publica causa, sicut alia, *Deus refugium nostrum*, & *virtus*, &c. & his modis non erit superflua in Missali; qua de re acutè dubitauerunt nonnulli. Auctor eiusdem primæ Orationis nescitur; sed meminit *Abbas Grimoldus in libro Sacramentorum apud Pamelium in Tomo 2. Liturgicon Eccles. Latina.*

29 Orationis *A cunctis* iam dedimus auctorem, & declarauimus N. quod in ea habetur pag. 25. Addimus hoc loco, pro dignitate Patroni nominandi in illo N. ante Apostolos quandoque nominationem fieri, vt S. Michaelis, vel S. Ioannis Baptista, ex Decreto sacre Rituum Congregationis die 22. Augusti 1620.

30 Oratio pro seipso *Sacerdote* (quod supra docuimus pag. 25.) dici non debet in Missa, cui interest proprius Episcopus, vel eo maior, vel Princeps magnus, ex *Burchar. in Ord. celebrat. Missæ*; potiùs orandum est pro Prelato seu Principe præsentè, quod fit ob reuerentiam eorumdem Maiorum.

Habetur autem Collecta hæc in libro Sacramentorum Abb. Grimoldi cit.

31 Idem Abbas Grimoldus meminit ibidem Orationum pro nauigantibus & ad humilitatem postulandam: reliquæ, pro Papa, Imperatore, Rege, Prælati, contra persecutores Ecclesiæ, contra male agentes, ad pluiam, serenitatem, repellendas tempestates, pro peste animalium, petitione lacrymarum, tentatis & tribulatis, ad malas cogitationes repellendas, ad continentiam postu-

landam, pro deuotis amicis, pro saluatiuorum, habentur in Sacramentario Gregoriano. At in Oratione pro Imperatore adde electo, si nondum est coronatus, ut dictum est in Benedictione cerei Paschalis. est enim eadem utrobique ratio.

32 Ultima pro uiuis & defunctis cum duabus sequentibus tribuitur Augustino tamquam auctori à Durando libro 4. cap. 15. & idem affirmatur in Sacramentario Gregoriano.

De Rubricis Missarum pro Defunctis. XVIII.

1 Missæ mortuorum imitantur triduanam Christi sepulturam: sicut enim in illo triduo, ita & in his Missis omnia laudis cantica subtrahuntur, & solemnitates omnes subtrahuntur, Durand. lib. 7. cap. 35. & nos iam multa diximus supra in Rubric. gener. par. 1. tit. 5. toto pag. 10. & par. 2. tit. 13. toto pag. 180.

2 Introitus constat duobus Versibus, quod aliàs non fit, nimirum *Te decet*, & *Exaudi orationem*: vel quia secundus succedit in locum *Gloria Patri*; vel quia optamus Defunctis stolam binam, animæ & corporis, Durand. lib. 6. cap. 52.

3 Offertorium habet *Versum* ad modum Responsorij; eiusmodi erant antiqua omnia Offertoria, ex Durand. lib. 4. cap. 27. in quo explicatur illud verbum *inferni*, id est Purgatorij, qui est locus inferior, & non differt ignis utriusque loci, nisi in duratione: cetera conueniunt, & significant, ne Deus obliuiscatur animarum.

4 *Communio* etiam est vnica in toto Missali cum repetitione & *Ps. Requiem*, ut in Responsorijs, ad instar antiqui ritus Ordinis Romani, in quo,

communicante populo, Versus *Communio* cantabatur cum additione Versus *Gloria Patri*, &c. Microl. cap. 18.

5 Quis auctor Sequentiæ? ex Auctore *Ligni vite* lib. 1. cap. 70. sanctus Gregorius est; ex Stephano Proythino lib. 1. de *Quatuor nouiss.* cap. 5. S. Bernardus, cuius initium est, inquit ille:

*Cum recordor moriturus,
Quid post mortem sim futurus,
Terror terret me uenturus,
Quem expecto non securus.
Terret dies me terroris,
Dies ira ac furoris,
Dies luctus ac mororis,
Dies ultrix peccatoris.
Dies ira, dies illa, &c.*

At hi quaterni sunt versus, reliqui termini. Sed Bzouius anno 1294. num. 37. & 38. ex Leandro Alberto, eam tribuit Latino Cardinali Vrsino, seu Frangipanio, & idem est. Alij tribuunt alijs; Augustino de Biella Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui erat in humanis anno 1491. *Joseph Pamphilus* in *Chronicis August.* ex *Anna* tamen: qui etiam se legisse ait in *Annal. Predicatorum*, r. Humbert.

tum quintum Generalem Magistrum auctorem dici, qui obiit anno 1174. *Angelus Ellius in Speculo spirituali* facit auctorem innominatum ex ordine sancti Francisci: nominatus autem Thomas de Celano (qui vivebat anno 1250.) à *Barthol. Pisano in conformitatibus D. Franc. lib. 1. fructu 11.* cui ergo credam, nescio. Mentio Sibyllæ in 3. Versu indicat recentiore esse hanc Profam sancto Gregorio, qui in suo Sacramentorum libro nihil prorsus gentilitatis habet.

6 In die depositionis & anniuersario Summi Pontificis dicitur prima Missa: quia, quæ raro adhibentur, pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescunt consuetudine, *Amalar. lib. 3. cap. 40.* & ideo Missa semel in anno constituta in Commemoratione omnium Defunctorum dici iubetur in exequijs Summi Pontificis, & Episcoporum.

7 Pro defuncto Cardinali eadem prima Missa dicenda est, mutatis Orationibus. Rubrica quidem non præscribit, sed vsus ita declarat Rubricam, quia sunt Episcopis maiores. Pro Diacono tamen Cardinali Oratio *Inclina*, vt in Missali.

8 Quid pro Sacerdote defuncto? licet de eo Rubrica meminerit inter defunctum Episcopum, & Cardinalem; non tamen isdem æqualem eum facit. Et rationabilis consuetudo est in plerisque Ecclesijs maioribus Verbis, vt dicatur Missa secunda, mutata Oratione, ratione cuius videtur in Rubrica prius de Sacerdote quàm de Cardinali mentio facta fuisse: si tamen dicatur Missa prima, fauet Rubrica in fine Missarum pro Defunctis, quæ concedit, Epistolas & Euangelia vt vsus Missæ dici posse in alia

quacumque Missa pro Defunctis,

9 Oratio in tertio vel septimo dicenda, ex *Amalar. lib. 3. cap. 44.* dicitur ad celebritatem quamdam in proprijs diebus, 3. 7. 30. vnde non debet dici in ijs diebus qui occurrunt inter tertium & septimum, neque post septimum vsque ad trigésimum, in quibus dicitur Missa vt in quotidianis: aliàs esset mendacium in Collecta. Qui dies, sicut etiam anniuersarius, numerari debent à die obitus, seu depositionis, vt patet ex Collectis, in quibus fit mentio depositionis: nam S. Ambrosius Serm. 70. accepit depositionis vocabulum tam pro sepultura quàm pro obitu, licet Ecclesia videatur distinguere inter obitum & depositionem, in titulo *secundæ Missæ Defunctorum*. Si contendas distingui, numerabis hos dies à die sepulture, qua potiori iure subiacet defunctus Ecclesiasticæ curæ: vel sequere locorum consuetudinem, nisi Tertiaris verba aliud sonent.

10 Missa in die nono non est amplius in vsu: & *Augustin. in Genesim* nouemdiale pro defunctis redarguit. Quadragenarium diem coluit S. *Ambrosius in obitu Theodosij, Orat. de eodem.* Alij alios dies, quos, non probante Romana Ecclesia, non obseruamus amplius, exceptis exequijs Papalibus.

11 Sed pro prædictis Ecclesiasticis in tertio, septimo, trigésimo, & anniuersario, quæ Missa, quæ Oratio dicenda erit? in his diebus repetenda est Missa, quæ dicta est in die depositionis, sicut fit pro laicis in ijsdem diebus 3. 7. & 30. ex propria Rubrica. Oratio verò semper erit propria Episcopi, vel Sacerdotis. Neque refert, in ea non fieri mentionem de 3. 7. & 30.

& anniuersario : nam eadem Oratio pro Papa dicitur in obitu & in anniuersario, nulla facta in ea anniuersarij mentione.

12 Missa quoque est eadem in obitu & anniuersario Papæ, cur non etiam erit Episcopi? Cardinales autem eodem priuilegio mortis gaudent quo Episcopi, & in huiusmodi functionibus post mortem sunt æquales. Extra prædictos dies, Missæ dicuntur ut in quotidianis Defunctorum, cum proprijs Orationibus.

13 In titulo *Pro patre & matre* addita est vox *Sacerdotis*: nam aliàs de Patre cuiusque non conuenit Oratio in ore Sacerdotis, ut patet audienti.

14 Missæ, quæ circumferuntur *sancti Gregorij pro uinis & defunctis*, neque sunt sancti Gregorij, neque sunt approbatæ à sancta Sede Apostolica, imò reiectæ, ita ut neque in calce Missalis retineri possint, ex Decreto sacre Rituum Congregationis die 8. Aprilis 1628.

15 Pro eo qui proximè obiit, longè tamen à nobis; prima uice potest dici Missa ut in die tertio, omisso uerbo *tertium*.

16 N. exigit nomen Defuncti, si nomen est nobilis, vel consuetudo sit nominandi omnes in Collecta & Orationibus.

17 Habentur in *Sacramen. Gregoriano* Orationes, *Fidelium Deum*, cum *Secreta*, & *Postcommunio*: in anniuersario, pro Episcopo, *Deum omnium fidelium*; pro Sacerdote, *Presta*; pro Defuncto, *Inclina*, & *Absolue*; pro fratribus, *Secreta*; pro ijs qui in cœmeterio, tres consuetæ; pro pluribus defunctis, *Deum*, cui *proprium*, &, *Animabus*, cum duabus seqq. reliquæ sunt recentiores: ex quibus illæ duæ, quæ pro Episcopo vel Sacerdote additæ sunt, post eam uenque communem, *Deum qui inter Apostolicos*, &c. conuenientiùs dicuntur in ijs Missis, in quibus per modum commemorationis dici debet Oratio pro prædictis ijsdem; vel certè positæ sunt ad uarietatem.

De Rubricis Benedictionum. XIX.

Benedictio hæc sumitur pro prece, qua Ecclesiastico more rebus ipsis specialis sanctitas impertitur, ita ut in usus profanos illæ deinde transferri non possint; & aliæ quidem sunt constitutiua benedictiones, aliæ inuocatiua, ex *Caiet. 2. 2. quest. 88. artic. 11.* illæ quidem, per quas siue res siue personæ diuino cultui destinantur; hæc uero sunt, per quas à Deo, vel rebus, vel personis imploratur auxilium diuinum. Primi generis sunt Benedictiones aquæ, vestium Sacerdotalium, mapparum Altaris, Corpo-

ralium, & Vasculi pro sacrosancta Eucharistia, de quibus in Missali agitur, quia communes esse possunt simplici Sacerdoti priuilegiato, seu delegato, nedum Episcopo, seu Abbati. Secundi generis aliæ sunt, *Agni in Paschate*, *onorum*, *panis*, *nonorum fructuum*, *cuiuscumque comestibilis*, *candelarum*, *loci*, *domus nouæ*, *thalami*, & *noûe nauis*, quæ in Missali descriptæ sunt extra præiudicium aliarum, quæ in Rituali Romano habentur, quia hæc à quocumque Sacerdote fieri possunt, & fieri sæpiùs contingunt, neque Ri-

tuale Romanum, sicuti Missale, cui-
cumque facile suppetere solet.

2 Origo harum Benedictionum,
quæ sunt per verba Sacerdotis addito
signo Crucis, absque vlllo dubio ab
Apostolis est: neque desunt, qui in
hanc causam illud Apostoli Pauli ex-
plicant, 1. *Tim. 4. Formã habe sanorum
verborum quæ à me didicisti. Sanorum,*
hoc est, quæ sanare possunt creaturas,
siue insensibiles siue sensibiles.

3 Habitus benedictori Sacerdotis
erit Superpelliceum, & Stola regula-
riter alba, aliquando violacea, vt in-
frã. Nam color albus designat puri-
tatem communicandam rebus bene-
dicendis; violaceus autem adhibetur
congrue in benedictione coniuncta

cum exorcismis, ad effugandos dæ-
mones; vnde ad aquam benedicen-
dam eo colore vtimur: potest tamen
adhiberi Stola coloris temporis con-
uenientis, vt dicitur in *Rubricis Ritua-
lis Romani.*

4 Stando semper benedicat Sacer-
dos, & aperto capite; manuque formet
Crucis signũ versus rẽ, vbi est nota ✝,
& item ipsam aspergat in fine ter, hoc
est, in medio, à dextris, & à sinistris rei.

5 Super Altare quidem benedicen-
da res collocari poterunt, non autem
esculenta, quæ omnino super mensam
ponenda erunt, non in Altari.

*De Aqua benedicta hæc sunt Ru-
bricæ in Missali.*

6 ^a Die Dominica, in sacristia preparato sale & aqua benedicenda,
^b Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, Ab-
ba vel Superpelliceo indutus cum Stola circa collum, primò dicit
✝. Aditorium.

^a Die Dominica.] Numquã omitti-
tur in Dominicis aspersio Aquæ bene-
dictæ, *Microlog. 41.* in memoriã Bap-
tismi, qui in Dominica Paschæ solem-
niter celebratur, *Rupert. lib. 7. cap. 20.*

^b Sacerdos celebraturus Missam.]

Sacerdotis est hæc benedictio, ex *Con-
cilio Nannetensi.* si celebraturus est
Missam, induat super Albam Stolam
Missæ conuenientem: si alius est, adhi-
beat super cottam Stolam violaceam,
vt in *Rituale Romano Pauli V.*

7 Deinde absolutè incipit exercisium ^c salis.

^c Salis.] Miscenda est Aqua bene-
dicta cum sale, ex *Clemente lib. 8. Con-
stit. cap. 29.* vbi meminit benedictionis
aquæ, & virtutis eius ad morbos pel-
lendos, & dæmones fugandos: delentur
etiam venialia, ex *sancto Thoma
3. par. quest. 65. artic. 1. ad 6.* Quod
an fiat ex opere operantis, vt asserant
cum *sancto Thoma Alensis & Abulen-
sis, citati à Suar. 3. par. disput. 12. Se-
ctione 2.* an verò ex opere operato,

quod significant *Victoria, Sotus, & Le-
desma apud Gregor. de Valent. Tom. 4.
disput. 7. quest. 4.* non est quòd hoc lo-
co minùs vtiliter disputemus. Valet
etiam Aqua benedicta ad pellendos
corporis morbos, vt *Tobias noster
par. 1. cap. 72.* fusiùs probat, vbi multa
de hoc effectu affert exempla non
communia. Lege *Baronium Tomo se-
cundo anno 152. Tomo quarto 362. &
389. Tomo octauo 598. & Tomo de-
cimo.*

cimo 944. Illud est præcipuum in hoc ritu: quod sicut in ingressu Ecclesiæ aspergimur statim Aqua benedicta; ita mundari à Deo tacite petimus, ut maiori cum puritate vel sacrificemus, vel oremus, & præsertim Clerus hoc intendere debet, iuxta illud *Isaie 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

8 Prius autem quam à Clemente, nimirum à sanctis Apostolis, & præsertim à sancto Matthæo, qui, ex *Marsilio Columna*, fuit auctor benedictionis aquæ, hunc ritum effluxisse certum est, desumpto ritu ab Eliseo Propheta 4. *Regum 2.* qui sale fugavit sterilitatem aquæ. vnde *Raban.*

lib. 2. cap. 55. Aqua à sordibus mundat, sal putredinem fugat; aqua nitorem præbet, sal sinceritatem adhibet: aqua potum sapientiæ significat, & sal gustum prudentiæ indicat.

9 Sed quare sal ante aquam benedicitur? quia benedicenda est aqua cum eius mixtione. Per salem intellige amaritudinem penitentiæ, per aquam Baptismum. Quia ergo precedere debet cordis compunctio, ideo sal prius benedicitur, *Duran. lib. 4. cap. 4.* Alexander Papa ritum hunc confirmavit Decreto, *de Consec. cum Aquam Distinct. 3. Valafrid. capite 19.* testatur cum *Microlog. cap. 41. 46. & alys.*

10 Ter mittit sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel.

Ordo Romanus: Ut in virtute Trinitatis fiat benedictio & mixtio Christi cum populo. *Aqua multa, populi multi.* Quia Christus sal est, à quo Apostoli sal terræ dicti sunt. Miscenda quoque est amaritudo cum

penitentiæ & Baptismo, ex *Durando loco citato*, ad sanctificationem, quam *Cyprianus Papa*, id est *Episcopus, citatus à Eurand. ibidem*, docet esse proprium effectum Aquæ benedictæ.

11 Finita benedictione, Sacerdos celebraturus, indutus ^d Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare; & ^e ibi ad gradus cum ministris genuflexus, accipit à Diacono aspersorium, & primo ^f ter aspergit Altare, deinde se, & ^g erectus ministros, ^h incipiens Antiphonam, *Asperges me*, & Chorus prosequitur, *Domine hyssopo*, & ut infra. Interim Celebrans ⁱ aspergit Clerum, deinde populum, faciens submissa voce ^l cum ministris ^m Psalmum *Miserere.*

12 Ante Tertiam, *Rupert. ait lib. 9. cap. 10.* sed post Tertiam, *Ordo Roman. in die sancto Pascha*, & indicat *Carimon. Episcop. lib. 2. cap. 31.* vbi præscribitur, quod in fine aspersio- nis capit Planetam, & facit Sacerdos confessionem: ergo, dicta Tertia, fit aspersio; sed & ante benedictionem

palmarum, seu candelarum, si hæc occurrat in Dominica, fit aspersio, ut supra in proprijs locis dictum est.

[^d Pluviali.] Hoc est, post Amictum, Albam, Cingulum, & Stolum, ut in prædicto *Carimoniali*: neque procedit postremus, ut aliqui scripserunt, sed medius inter ministros paratos, *ibidem.*

ibidem; nempe, si cum iisdem can-
tanda sit Missa.

e *Ibi ad gradus.*] Hoc est, in infi-
mo eius gradu, *Carimon. ibidem*; &
ibidem, aut Rubr. genuflexus: ergo
etiam genuflectit tempore Paschali,
cui Dominica æquiparatur. Aspergit
autem genuflexus Altare, ob maiorem
reuerentiam; & se ipsum item, ad in-
dicandam humilitatem: sicuti genu-
flexus etiam sibi ipsi cineres imponit,
vt suo loco diximus.

f *Ter aspergit Altare.*] In medio,
versus cornu Euangelij, tum Episto-
læ. Altare verò aspergitur ob reue-
rentiam Sacramenti in eo conficien-
di, vt inde arceantur hostes, *Duran.*
ubi supra; & ob memoriam Baptismi
Christi, à quo vim habet Bapti-
smus noster.

g Quòd si in Altari sit exposita
sanctissima Eucharistia, abstinendum
est ab aspersione Altaris, ea ratione qua
non signatur Altare ad *In principio*, vt
dictum est in *Feria quinta in Cæna*
Domini; & hoc expressè habetur in
Ambrosiano Missali proxime edito an-
no 1618. Diaconus quoque tunc simi-
liter debet abstinere ab osculis asper-
sionij & manuum.

h *Et erectus ministros.*] Id est, ad-
huc genuflexos, primò Diaconum,
deinde Subdiaconum.

i *Incipiens Antiphonam.*] Debet ex
prædicto Carimon. incipere Antipho-
nam ante aspersionem Altaris; eodem-
que modo intellige Rubricam Missa-
lis, quamuis postponere videatur An-
tiphonam. Conuenit enim vt dicatur
Asperges, futuri temporis, ante asper-
sionem actualem. Neque nouum vi-
deri debet, quòd inchoatur Antipho-

na genibus flexis: nam idem præscri-
bitur Episcopo in principio Synodi
in Pontificali Romano, & in qualibet
sessione. Est autem hæc Antiphona
de fide Baptismi prophætia; nam hyf-
sopus significat humilitatem & passio-
nem Christi, à qua pendet Baptismi
virtus, *Ruper. lib. 7. cap. 20.*

k *Aspergit Clerum.*] Aspergens non
inclinat caput; at Clerum stare decet
detecto capite, & aspergenti reueren-
ter caput inclinare, *Carimon. Episcop.*
lib. 2. cap. 31. neque tamen aspersione
singulorum fieri debet, sed plurium
simul, tam Cleri quàm populi, &
iuxta locorum consuetudinem fiat
aspersione laicorum. Canonici singilla-
tim aspergi poterunt, ad maiorem
eorundem venerationem; quibus &
Celebrans aliquam honoris signifi-
cationem adhibebit ante & post to-
tam eorum aspersionem: quod ne
fiat incongruè à maiori Celebrante,
statuit Gregorius XIII. 30. Decem-
bris 1573. teste *Genuesi in Praxi*
Archiepiscop. cap. 65. Roma edi-
ta 1616. ne in Ecclesijs Hispaniarum
Antistes, vel alia persona principalis
aspergat Clerum in Dominicis ante
Missam; sed eius loco simplex Sacer-
dos cum Superpelliceo, & Stola, &
cum Acolythis tantum.

l *Cum ministris.*] Comitantur eum
ministri, Diaconusque eleuat à dex-
tris fimbriam Pluuiialis. Quòd si, in
prædicto Carimon. procedit solus Ce-
lebrans, hoc ibi iubetur ob reue-
rentiam Episcopi præsentis, vt co-
ram eo cum minori pompa Celebrans
procedat.

m *Psalium.*] Id est, rotum Psal-
mum alternatim cum ministris.

14 *Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad asperſionem Aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum; excepta Dominica de Paſſione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur n̄ Gloria Patri, ſed poſt Pſalmum Miſerere repetitur immediatè Antiphona, Aſperges me. Excepto etiam tempore Paſchali, ſcilicet à Dominica Paſchæ uſque ad Pentecoſten, quo tempore cantatur Antiphona, o Vidi aquam; Dominica verò Trinitatis reſumitur Aſperges.*

n̄ Gloria Patri.] Omittitur ijs diebus, quibus in Miſſa dici prohibetur. hæc enim aſperſio eſt quaſi initium Miſſæ.

o Vidi aquam.] Habet Ordo Romanus in die Paſchæ Antiphonam, Vidi aquam, ubi etiam habes eodem exorcifmos ſalis & aquæ cum Orationibus prædictis; quando nimirum agitur de

Conſecrat. Eccleſ. habentur etiam in Sacramentario ſancti Gregor. Verùm hæc Antiphona deſumpta eſt ab Ezechiele 47. & ſignificat fontem ſacri Baptiſmatis de templo corporis Chriſti, de cuius latere quidem læuo humanitatis, dextro autem diuinitatis, exiit ſanguis & aqua Baptiſmalis, Rupertus loco citato.

15 *In die ſancto Paſchæ & Pentecoſtes, ubi eſt fons Baptiſmalis, fit aſperſio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptiſmi, & ante inſuſionem olei & chriſmatis accepta.*

Hæc eadem Ordo Romanus, & in cap. Sabbatho, de Conſec. Diſtinct. 4.

16 *Finita Antiphona ſupradicto modo, Sacerdos qui aſperſit aquam, p̄ reuerſus ad Altare, ſtans ante gradus Altaris iunctis manibus, dicat ꝑ. Oſtende, &c. Tempore Paſchali additur Alleluia.*

Nota, quòd in Oratione vltima petitur, mitti Angelum de cælis, non niſi poſt purificationem per aſperſionem Aquæ benedictæ.

p̄ Reuerſus ad Altare.] Hoc eſt, ad inſimum eiſdem gradum, Cerimonial. Episc. loco citato.

17 *Tenent autem miniſtri librum ante Celebrantem, ibidem, dum dicit Verſus & Orationem. Poſt Orationem Exaudi deponitur Pluuiale, aſſumitur Manipulus cum Caſula pro Miſſa, Cerimon. ibidem.*

18 *Reliquæ Orationes quæ ſequuntur pro benedictione Agni, ouo-*

rum, panis, nonorum fructuum, rerum comestibilium, candelarum, loci, domus nouæ, thalami, nouæ nauis, Sacerdotalium indumentorum, mapparum, Corporalium, Vaſculi Sacramenti, quæ ſine vnctione fiunt, habentur partim in Ordine Romano, partim in Pontificali, partim in Ritualibus antiquis.

19 *Benedictio Agni ad communem mensam fit ex vſu Romano, Microlog. cap. 54. Panis, à ſancto Petro, ex Abdia lib. 2. Hiſtor. Apoſtol. & Oratione eſt in Sacramentario Gregoriano; ubi etiam habetur Oratione rerum comestibilium.*

estibulum. Frugum verò habet originem à sancto Clemente *Constitut. li. 8. cap. 4. seu, ex Baronio anno 283. à Decreto Eutychiani Papæ.*

20 Quæ traditur hoc loco *candelarum benedictio*, ea est, quæ fieri contingit extra diem Purificationis beatæ Virginis, quod expressè notatur in *Rituale Romano Pauli V.* Item ea loci est, quæ fit extra diem Sabbati sancti, in quo maiori ritu domorum fit benedictio, & à Parocho, cuius proprius habetur ritus in *prædicto Rituali*: nam, ut diximus, in Missali positæ sunt tantùm ea benedictiones, quæ citra præiudiciam iurium Parochialium à quocumque Sacerdote, & quandocumque, fieri possunt.

21 Pro benedictione *vestium Sacerdotalium* Orationes habentur in *Sacramentario Gregoriano*. Reprehendit *Possennus de Officio Curati cap. 2. num. 30.* eos, & meritò, qui assuunt vestem Sacerdotalem non benedictam vesti Sacerdotali benedictæ, & eam dissuunt post Missam, putantes hoc sufficere vice benedictionis propriæ; quod nullatenus est permitendum.

22 Quæritur autem: Quis benedicere potest has vestes præter Episcopum? Abbates, & alij Regularium Superiores ex Privilegio benedicere possunt; non tamen benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum, neque Abbates, ex Decreto sacræ Rituum Congregationis die 24. *Augusti 1609.* & renouato in fauorem Episcopi Spoletani die 30. *Septemb. 1628.* Neque obstat consuetudo allegata à *Tamburino de Iure Abb. Tom. 1. disp. 22. quæst. 2. num. 2.* quam abrogauit, & non ob stare declarauit ea-

dem S. Congregatio 18. *Augusti 1629.* Nullo modo Sacerdotes simplices benedicere possunt proprias vestes, ex *Nauar. cons. 2. de consecr. Eccles.* neque Protonotarij, ex Decreto sacræ Rituum Cōgregationis 17. *Iulij 1627.*

23 Quæritur postremò: An Episcopi hanc facultatem possint alijs Sacerdotibus delegare. *Tabien. v. Abbas. num. 12. Vgolin. de Episc. cap. 32. num. 5.* negant: & in praxi sacra Rituum Congregatio sapius requisita fuit ab Episcopis insignioribus, & S. R. E. Cardinalibus, eiusdemque sacræ Rituum Congregationis Præfectis, iustis de causis apud Ecclesias proprias non residentibus, pro facultate delegandi, & eam pluribus concessit, aliquando limitando personas in dignitate constitutas, 14. *Novembris 1615.* aliquando tempus ad sex menses, 14. *Martij 1616.* & sapius tandem sine limitatione, 2. *Maij 1619.* & deinceps alijs eodem modo. Ratio est, quia de potestate ordinis est hæc benedictio: ea verò non potest ab Episcopo delegari, sicuti potestas iurisdictionis, quæ delegari potest.

24 Hactenus de Benedictionibus. In calce Missalis additas inuenies Orationes dicendas in consecratione Episcopi, & in collatione Ordinum, excerptas à Pontificali: at, inquires, Cur in Missali positæ sunt? Respondeo, ad maiorem commoditatem consecrantis & consecratorum, ut quique eas dicere possit statim in suo Missali in Missa consecrationis. Prima verò harum Orationum legitur in *Sacramentario sancti Gregorij*, titulum ea quæ pro Episcopi consecratione dicitur.

Et hic finis totius Missalis.

A P P E N D I C E S
A D R U B R I C A S
M I S S A L I S R O M A N I .

P A R S Q U I N T A .



D pleniorē Rubricarum tractationem quatuor adhuc videntur desiderari posse in hisce Commentarijs: & Primò, circa illam Rubricam de hora celebrandi ab Aurora usque ad Meridiem, dari debent Tabule ad Auroram dignoscendam, & Meridiem. Deinde circa aliam, ut ieiunus à media nocte Sacerdos celebret; qua item hora Media noctis limes constituatur. Tertiò, exoptant multi breuem aliquam & probatam methodum formandæ ritè totius sacræ suppellectilis ad Missam necessariæ, seu congruentis: quibus aliquid suppeditandum quoque erit de nitore & munditia eiusdem sacræ suppellectilis. Et quidem primis duobus sufficiunt eæ Tabule quàm brevissimæ, quas olim edidit in Mathematicis peritissimus Theodosius Rubens Priuernas; & ut Clero præstò sint, statim eas subiiciemus, additis quibusdam locorum nominibus vbi Nostri degunt, in quorum gratiam hæc Commentaria præcipuè scripsimus. Pro reliquis duobus insudavit sanctus Carolus Borromæus, ex cuius Actis necessaria decerpemus, & vtilia ad rem nostram ordine faciliori describemus.

TABVLÆ LOCORVM
PRO VSV TABELLARVM SEQVENTIVM.

Loca Italiae sunt in triplici differentia, inquit Theodorus noster; quaedam sub eleuato Polo per gradus 39. alia per gradus 42. alia per gradus 45. ea vero quae extra hos gradus dicuntur esse, reduci possunt ad vnam ex his classibus, ad quam nimirum propius accedunt. Itaque

P E R G R A D V S 39.

B arium,	Cosentia,	Sardinia,
Brundisium,	Istria,	Sicilia,
Corcyrae,	Regium Calabriae,	Tarentum, & eiusmodi.

P E R G R A D V S 42.

A ncona,	Lauretum,	Regium Estensium,
Aquila,	Luca,	Roma,
Arpinum,	Macerata,	Septempeda,
Corsica,	Neapolis,	Spoletum,
Florentia,	Perusia,	Viterbium,
Forosempronium,	Pisa,	Vrbium,
Fulgina,	Piscia,	Zagarolum, & alia.
Imola,	Rauenna,	

P E R G R A D V S 45.

A naetium,	Genua,	Placentia,
Aqua,	Mantua,	Pompeia laus,
Aquileia,	Mediolanum,	Sauona,
Alta,	Modoetia,	Taurinum,
Bononia,	Mons acutus,	Tononum,
Brixia,	Nouaria,	Tridentum,
Casale S. Euasij,	Orta,	Venetia,
Casale maius,	Papia,	Vercella,
Comum,	Parma,	Verona,
Cremona,	Patauium,	Vigleuanum, & alia.
Derthona,		

Tabellæ Auroræ, Meridici, & Mediæ noctis.

TABELLA I. PER GRADVS 39.

Principium crepusculi Marut.

Meridies.

Medium noctis.

MENSE IANVARIO.						
Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
3	12	59.	19	20.	7	20.
9	12	54.	19	17.	7	17.
15	12	49.	19	14.	7	14.
21	12	40.	19	9.	7	9.
26	12	31.	19	4.	7	4.
MENSE FEBRVARIO.						
1	12	20.	18	58.	6	58.
7	12	9.	18	52.	6	52.
13	11	56.	18	45.	6	45.
19	11	42.	18	38.	6	38.
25	11	29.	18	31.	6	31.
MENSE MARTIO.						
3	11	13.	18	23.	6	23.
9	10	57.	18	15.	6	15.
15	10	43.	18	8.	6	8.
21	10	26.	18	0.	6	0.
27	10	9.	17	52.	5	52.
MENSE APRILI.						
2	9	54.	17	45.	5	45.
9	9	37.	17	37.	5	37.
15	9	19.	17	29.	5	29.
21	9	3.	17	26.	5	26.
27	8	46.	17	15.	5	15.
MENSE MAIO.						
3	8	29.	17	8.	5	8.
9	8	15.	17	2.	5	2.
15	8	0.	16	56.	4	56.
21	7	47.	16	51.	4	51.
28	7	34.	16	46.	4	46.
MENSE IVNIO.						
3	7	26.	16	43.	4	43.
9	7	17.	16	40.	4	40.
16	7	12.	16	38.	4	38.
22	7	12.	16	38.	4	38.
28	7	12.	16	38.	4	38.

MEN

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis.

TABELLA I. PER GRADVS 39.

Principium crepusculi Matut. Meridies. Medium noctis.

MENSE IVLIO.						
Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
5	7	17.	16	40.	4	40.
11	7	26.	16	43.	4	43.
17	7	34.	16	46.	4	46.
24	7	47.	16	51.	4	51.
30	8	0.	16	56.	4	56.

MENSE AVGVSTO.

5	8	15.	17	2.	5	2.
11	8	29.	17	8.	5	8.
18	8	46.	17	15.	5	15.
24	9	3.	17	26.	5	26.
30	9	19.	17	29.	5	29.

MENSE SEPTEMBRI.

5	9	37.	17	37.	5	37.
11	9	54.	17	45.	5	45.
18	10	9.	17	52.	5	52.
24	10	26.	18	0.	6	0.
30	10	43.	18	8.	6	8.

MENSE OCTOBRI.

6	10	57.	18	15.	6	15.
12	11	13.	18	23.	6	23.
18	11	29.	18	31.	6	31.
24	11	42.	18	38.	6	38.
30	11	56.	18	45.	6	45.

MENSE NOVEMBRI.

5	12	9.	18	52.	6	52.
11	12	20.	18	58.	6	58.
17	12	31.	19	4.	7	4.
23	12	40.	19	9.	7	9.
29	12	49.	19	14.	7	14.

MENSE DECEMBRI.

5	12	54.	19	17.	7	17.
11	12	59.	19	20.	7	20.
17	13	3.	19	22.	7	22.
22	13	3.	19	22.	7	22.
28	13	3.	19	22.	7	22.

Ta-

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis.

TABELLA II. PER GRADVS 42.

Principium crepusculi Matut.

Meridies.

Medium noctis

MENSE IANVARIO.

Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
3	13	14.	19	30.	7	30.
9	13	9.	19	27.	7	27.
15	13	2.	19	23.	7	23.
21	12	51.	19	17.	7	17.
26	12	42.	19	11.	7	11.

MENSE FEBRVARIO.

1	12	29.	19	5.	7	5.
7	12	16.	18	58.	6	58.
13	12	1.	18	50.	6	50.
19	11	46.	18	42.	6	42.
25	11	30.	18	34.	6	34.

MENSE MARTIO.

3	11	15.	18	26.	6	26.
9	10	57.	18	17.	6	17.
15	10	40.	18	9.	6	9.
21	10	22.	18	0.	6	0.
27	10	2.	17	51.	5	51.

MENSE APRILI.

2	9	45.	17	43.	5	43.
9	9	25.	17	34.	5	34.
15	9	7.	17	26.	5	26.
21	8	49.	17	18.	5	18.
27	8	30.	17	10.	5	10.

MENSE MAIO.

3	8	10.	17	2.	5	2.
9	7	53.	16	55.	4	55.
15	7	34.	16	49.	4	49.
21	7	20.	16	43.	4	43.
28	7	4.	16	37.	4	37.

MENSE IVNIO.

3	6	53.	16	33.	4	33.
9	6	44.	16	30.	4	30.
16	6	38.	16	28.	4	28.
22	6	38.	16	28.	4	28.
28	6	38.	16	28.	4	28.

MEN-

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis.

TABELLA II. PER GRADVS 42.

Principium crepusculi Matut. Meridies. Medium noctis,

M E N S E I V L I O .

Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
5	6	44.	16	30.	4	30.
11	6	53.	16	33.	4	33.
17	7	4.	16	37.	4	37.
24	7	20.	16	43.	4	43.
30	7	34.	16	49.	4	49.

M E N S E A V G V S T O .

5	7	53.	16	55.	4	55.
11	8	10.	17	2.	5	2.
18	8	30.	17	10.	5	10.
24	8	49.	17	18.	5	18.
30	9	7.	17	26.	5	26.

M E N S E S E P T E M B R I .

5	9	25.	17	34.	5	34.
11	9	45.	17	43.	5	43.
18	10	2.	17	51.	5	51.
24	10	22.	18	0.	6	0.
30	10	40.	18	9.	6	9.

M E N S E O C T O B R I .

6	10	57.	18	17.	6	17.
12	11	15.	18	26.	6	26.
18	11	30.	18	34.	6	34.
24	11	46.	18	42.	6	42.
30	12	1.	18	50.	6	50.

M E N S E N O V E M B R I .

5	12	16.	18	58.	6	58.
11	12	29.	19	5.	7	5.
17	12	42.	19	11.	7	11.
23	12	51.	19	17.	7	17.
29	13	2.	19	23.	7	23.

M E N S E D E C E M B R I .

5	13	9.	19	27.	7	27.
11	13	14.	19	30.	7	30.
17	13	18.	19	32.	7	32.
22	13	18.	19	32.	7	32.
28	13	18.	19	32.	7	32.

R r

T A

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis.

TABELLA III. PER GRADVS 45.

Principium crepusculi Matut.

Meridies.

Medium noctis.

MENSE IANVARIO.						
Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
3	13	28.	19	40.	7	40.
9	13	23.	19	37.	7	37.
15	13	14.	19	32.	7	32.
21	13	3.	19	26.	7	26.
26	12	52.	19	20.	7	20.
MENSE FEBRVARIO.						
3	12	38.	19	12.	7	12.
7	12	23.	19	4.	7	4.
13	12	8.	18	56.	6	56.
19	11	51.	18	47.	6	47.
25	11	33.	18	38.	6	38.
MENSE MARTIO.						
3	11	16.	18	29.	6	29.
9	10	56.	18	19.	6	19.
15	10	37.	18	10.	6	10.
21	10	16.	18	0.	6	0.
27	9	55.	17	50.	5	50.
MENSE APRILI.						
2	9	35.	17	41.	5	41.
9	9	13.	17	31.	5	31.
15	8	52.	17	22.	5	22.
21	8	31.	17	13.	5	13.
27	8	9.	17	4.	5	4.
MENSE MAIO.						
3	7	49.	16	56.	4	56.
9	7	28.	16	48.	4	48.
15	7	6.	16	40.	4	40.
21	6	49.	16	34.	4	34.
28	6	31.	16	28.	4	28.
MENSE IUNIO.						
3	6	15.	16	23.	4	23.
9	6	5.	16	20.	4	20.
16	5	58.	16	18.	4	18.
22	5	55.	16	17.	4	17.
28	5	58.	16	18.	4	18.

MEN

Tabellæ Auroræ, Meridiei, & Mediæ noctis.

TABELLA III. PER GRADVS 45.

Principium crepusculi Matut. Meridies. Medium noctis.

M E N S E I V L I O.

Dies	Hora	Min.	Hora	Min.	Hora	Min.
5	6	5.	16	20.	4	20.
11	6	15.	16	23.	4	23.
17	6	31.	16	28.	4	28.
24	6	49.	16	34.	4	34.
30	7	6.	16	40.	4	40.

M E N S E A V G V S T O.

5	7	28.	16	48.	4	48.
11	7	49.	16	56.	4	56.
18	8	9.	17	4.	5	4.
24	8	31.	17	13.	5	13.
30	8	52.	17	22.	5	22.

M E N S E S E P T E M B R I.

5	9	13.	17	31.	5	31.
11	9	35.	17	41.	5	41.
18	9	55.	17	50.	5	50.
24	10	16.	18	0.	6	0.
30	10	37.	18	10.	6	10.

M E N S E O C T O B R I.

6	10	56.	18	19.	6	19.
12	11	16.	18	29.	6	29.
18	11	33.	18	38.	6	38.
24	11	51.	18	47.	6	47.
30	12	8.	18	56.	6	56.

M E N S E N O V E M B R I.

5	12	23.	19	4.	7	4.
11	12	38.	19	12.	7	12.
17	12	52.	19	20.	7	20.
23	13	3.	19	26.	7	26.
29	13	14.	19	32.	7	32.

M E N S E D E C E M B R I.

5	13	23.	19	37.	7	37.
11	13	28.	19	40.	7	40.
17	13	32.	19	42.	7	42.
22	13	33.	19	43.	7	43.
28	13	32.	19	42.	7	42.

R r 2 Monet

Monet idem Theodosius, quòd Horologia Italiæ sonant Horas tardiùs quàm indicent Horologia Solaria, quandoque per quadrantem

Horæ, quandoque per dimidiam Horam; & ideò detrahenda erit illa quantitas Horæ. Hora verò constat minutis 60.

De mensuris proprijs sacræ supellectilis ad Missam congruentioribus.

DAmus hoc loco formas & modulus efformandæ cuiusque sacræ supellectilis in ordine ad Missam, siue solemnem siue priuatam, ex *Actis Mediolan. Ecclesia*, præsertim ex libro primo & secundo *Instructionum fabricæ & supellectilis Ecclesiastica*, probatarum in Concilio Provinciali Mediolan. III. à sancta Sede Apostolica confirmato, & laudato: in quibus singillatim tradendis ordo placuit Alphabeticus, vt cuiusque rei formam statim inuenias.

Abacus, seu *Credentia*, fit è tabulis populæ abiegnisve, longè patens circa cubitos tres, pro Ecclesiæ magnitudine, Chorive seu presbyterij ratione, latè cubitis duobus; alteque item extruatur, vt non vltra duos cubitos & uncias duodecim eleuetur à terra.

Acerra, siue *Nanicula* incensi, ex argento, vel aurichalco, cum cochleari eiusdem materiæ, fieri debet; ita capax, vt capiat quantitatem thuris vltra quàm sit necessarium in Missa.

Alba è tela linea sit, longè producta cubitos quatuor, latè sexdecim, ac paulò ampliùs circumquaque pateat. Manicas habeat longitudine sesquicubitali, hoc est, cubito cum dimidio, latitudine ab humeris pænè cubitali, quæ vsque ad manus sensim angustius ducantur. In summa veste, & in extremis manicis aliquid dumtaxat sit acu paululum ac tenuiter

elaboratum: nimius enim labor in his ornandis vanitatem sapit & leuitatem.

Altare maius eo loco constitui deberet, vt ab ipsius Altaris gradu infimo (tres autem gradus esse debent) vsque ad cancellos spatium saltem interlit cubitorum octo, vel ad minimum quatuor, in Ecclesijs non Collegiatis. Sit autem à scabelli solo altitudine cubitorum duorum, & unciarum octo, & ad summum decem, longitudine cubitorum quinque, ac plurius, pro Ecclesiæ magnitudine; altitudine verò cubitorum saltem duorum & unciarum duodecim. Tres autem inter gradus bradella lignea numeretur, quæ à fronte Altaris cubitos duos producta, uncias sexdecim lateat, altitudo verò singulorum graduum sit uncias octo.

Altare minus eleuetur cubitis duobus, & uncias octo, longè pateat cubitis quatuor & dimidio, nec minus quatuor saltem cubitis; latum sit cubitis duobus. Scabellum è tabulis ligneis, latitudine cubitorum duorum, altitudine unciarum octo: sed & longiùs pateat quàm Altare, non cubito longiùs, sed uncias circiter sexdecim. Nullum foramen neque fenestella ibi sit, vbi quidquam afferri recondiue possit.

Amictus è tenui tela sit, longitudine cubitorum circiter duorum, latitudine autem sesquicubitali: in duobus

bus eius angulis anterioribus assuantur funiculi commodè longi, vt reuocari ante pectus queant, & cum ijs fieri nodus possit: in medio Crux acu pingatur vnciarum duarum, longè ab extremitate digitis duobus in parte superiori: extremitates illius, præterquam ex ea parte quæ collum ambit, aliquo modesto opere ornari possunt.

Ara ex lapide longè pateat vncias viginti, latè sexdecim, præter capsæ dimensionem, cui inserta est. Quæ capsæ è nucea omnino tabula sit, crassitudine vnciarum circiter duarum, aut plurium, pro lapidis crassitudine: non distet à fronte Altaris spatio longius vnciarum octo. ita verò inserta sit, vt è mensæ Altaris superficie paululum extet, quò Sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit: tela denique cerata tegatur, clauiculis prædictæ capsæ confixa.

Bursa Corporalium à fronte sit Cruce vel alia sacra imagine in medio inserta, à tergo etiam ex eadem materia & colore; intrinsecus autem subserico, aut tela candida circumuestiatur: latè verò vndique pateat circiter dimidio cubito, vel paulo amplius, & forma quadrata.

Calix ita efformetur, vt cuppa aliquantulum in fundo sit angusta, sensim vsque ad summum labrum latior fiat. Labrum nullo modo reflectatur: nodus ita ornatus, vt, dum Calix capitur, non incommodè capiatur, præsertim quando indices & pollices disungi non possunt. Minorve ne sit totus Calix, amplitudine in orbem ducta, vnciarum quatuordecim, altitudine duodecim.

Candelabra basim habeant vel rotundam, vel potiùs triangularem, &

Crucis basi conformem: quæ ab Acolythis portantur, minora sint, quàm ea quæ in Altari collocantur.

Cingulum ex candido lino vel cannabi tenui conficiatur, longitudine cubitorum circiter septem: capita eiusdem globulis eiusdem materiæ inferantur, filamentorum manipulis appendis, quos floccos dicunt. Non prohibetur è serico, iuxta varios colores paramentorum more moderno; sed illud est antiquioris vsus, & mysticæ causæ congruentius, de qua supra pag. 97.

Non placet ea forma cinguli (vt pro veritate loquar) quæ cingulo ipsi, vt hinc inde pendeant flocci à lateribus Sacerdotis, duas addit lineas, quibus re ipsa cingitur Alba: est enim eiusdem omnino formæ cum succinctorio Papali, quod adhibetur (addito Manipulo) ad cingendum Albam Papæ, & non nisi in eiusdem Missa Papali; ergo non debet esse communis hæc forma cuiuscumque Celebranti.

Conopæum Tabernaculi maioris sanctissimæ Eucharistiæ è materia nobiliori, vel alba semper, vel iuxta colorem varium Festorum, à summa parte crispatum: in simbrijs non angustè, sed longè latius respondeat, & totum Tabernaculum tegat; in extremis oris habeat de more ornatum laciniarum decorè contextarum.

Corporale è tela linea & candida sit, ac simplex item, ab oris autem, acus opere simplici, punctim solùm retortum sit: longè autem vncias triginta ad minus pateat, latè totidem; ita verò complicatum, vt nulla eius extremitas appareat. Crux acu pingi potest in anteriori parte.

Crux in Altari collocanda imaginem

nem Crucifixi habeat, & præalta emineat candelabris, vt supra dictum est *prima par. tit. 20. pag. 74.*

Dalmatica non recisis manicis, sed ad manum vsque protensis, iisdemque latè patentibus conficiatur. Longa esse potest cubitis duobus, & vncijs sexdecim; lata verò ab humeris cubito vno, & vncijs circiter quatuor; ab extremis oris vndique patens cubitis circiter quinque.

Gradus in Altari maiori ne fiant, nisi duobus cubitis tantum minùsve à pariete posteriori illud distet: tuncque eiusmodi gradus vnus pluresve decenter adhiberi poterunt; ita tamen, vt circuitus Altaris non impediatur, neque candelabra super ijs posita extra Altare videantur esse, quod esset contra Rubricam de Altaris incensatione. In Altari minori vnus sit, isque ligneus; ea longitudine quæ Altare æquet, latitudine vnciarum octo, altitudine totidem, in quo candelabra cum Cruce locanda erunt.

Hamula non ex argento, stanno, aurichalco, aliòve metalli genere, sed è vitro, seu crystallo pellucido, cum operculo decenti.

Manipulus tres Cruces habere debet & chordulas ad ligandum solidiores. reliqua vide in *Stola*.

Manutergium pro Missa ex lino tenui contextum, longitudine bicubitali, latitudine sesquicubitali constet: ornetur capita lacinijs & filamentis eiusdem materiæ.

Mappa Altaris superiores è lino, seu cannabi, ea sint longitudine, vt ab vtroque Altaris latere, profundius circiter tribus digitis quàm planum bradellæ, demissæ sint: nullæ ab vlla parte bambacio cærulei, alteriusve coloris elaboratæ sint, latitudine ve-

rò totam Altaris mensam contegerent. Inferiores mappæ totam saltem mensam cooperiant.

Mappa pro Communione adhibendæ non supra scamna, seu cancellos (horum enim longitudinem æquabunt) longè pateant cubitos tres, latè circiter duos: capita earum exornari poterunt.

Missale nihil profani habeat, sed Crucis insigne, aliave Sancti Titularis imago in corio depicta appareat. Signaculum eiusdem constare conuenit funiculis sericis duodenis, longè ita ductis, vt Missalis longitudinem vix quinque vncijs excedant. Eiusdem integumentum ita longè deductum sit, vt ab ima parte octo vncijs superet coriaceum Missalis operimentum; à summa verò nihil omnino extet. Lineæ sericæ circumdent extremitates, laciniæ imam partem exoriant. Subuestiatur tela eiusdem coloris quo est integumentum.

Pallium, quod ante Altare tenditur, paulò longius quàm Altare patere debet; eoque altius, vt ab ima parte paululùm sub coronice scabelli seu bradellæ eiusdem Altaris occultetur. A superiori parte palmum à summo distante lacinijs, quas frangias vocant, ornetur pro qualitate pallij; in exteriori parte Crux, aut imago Sancti, cuius nomine dicatum est Altare, aut alia sacra effigies in medio assuatur: nam Zacharias Pontifex palmam auro intextam Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, imagine ornata beati Petri Apostoli, Altari obtulit. Si fieri potest, telari ligato affigatur extente; sed illa cautio adhibeatur in telaris asserculo suspendere, vt eius angulus inferior, cui pallium adhæret, omnino recidatur, & depi-

deprimatur, vt nullo modo possit acuminem lædere pallium. Velamentum quoque (si pallium pretiosum est) in superiori parte obtendi ei concinnè poterit, Missarum tempore tantùm, ne Sacerdos impediatur, vel adhærendo lædat paramenta: neque tamen vltra frangiam demittatur velamentum.

Patena inaurata vndique esse debet, vel, si argentea sit, saltem in interiori parte; labrum extremum circulare ita tenue admodum, vt adiuumentum inde sit ad sacræ Hostiæ fragmenta facillè colligenda: illam mediam concavitatem habeat, quæ amplitudinem labri Calicis ferè adæquet. Minor patena pateat amplè in orbem vncias triginta duas.

Pellicula hamularum piam speciem exprimat; fundo intrinsecus constet lato & plano, neque ita elaborato, vt minùs firmè hamulæ impostæ hæreant.

Planeta more Romano (nam Ambrosiano eam describunt Acta Mediolan. Ecclesiæ) latè pateat cubitos circiter duos, longè tres. Fascia, quæ vel assui solet, vel distingui in ipsamet Planeta, vt columnæ speciem à tergo & Crucis ante pectus effingat, lata erit vncijs octo ad minimum. Funiculi addantur, seu lineæ sericæ in ea parte qua pectus regitur, ita oblongæ, vt reduci possint ante pectus, ad firmandam Planetam, ne defluat à tergo.

Pluuiale ad imos vsque talos protrahitur, longitudine cubitorum trium & vnciarum circiter sex constans, & pro semicirculi ratione latè patens. A parte anteriori, à summo ad extremum, hinc & inde, auriphrygio decoratur: à posteriori parte caputium ornatu auriphrygia-

to, qui anteriori respondeat, habet. Laciniæ verò, hoc est frangiæ, Romano ritu latiores esse debent circum caputium, breuiiores in oris Pluuiialis extremis. Fibula anteriori connecti debet Pluuiale, additis binis seu ternis vncinis maioribus. Globuli laciniati pendentes à caputio non sunt ampliùs in vsu Romani Cleri sæcularis.

Puluinar pro Missali plenum sit non pluma, neque lana concisa, sed lana solida, pilisve ceruinis: longè pateat cubito, & paulò ampliùs, latè vncijs circiter decem & octo: ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis, & opere simplici consuatur.

Purificatorium è rela neque tenui, neque crassa nimis; & simplici sit acus opere confectum; latitudine vnciarum circiter octodecim ad minimum, longitudine totidem, nec verò minus: in medio Crux paruula acu pingatur.

Pyxis, quæ ad sanctissimam Eucharistiam custodiendam adhibetur, ex argento puro saltem, eoque inaurato, fieri debet in interiori parte: cuius pes, vt manu facillè firmiterque capi queat, altitudine sit sex vnciarum; nodus in medio sit eiusmodi, quò monuimus de Calicis nodo. In fundo medio paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat, ad faciliùs capiendas vltimas particulas. Operculum respondeat Pyxididis formæ: quod in medio instar ferè pyramidis extet; ab vno & altero item latere paruulos tenuesque vncinos habeat, quibus in circulo aptè includatur, & fiat immobile. In summo Crux paruula emineat.

Stola cum Planeta colore congruat & materia, longè cubitis circiter sex,

vt in-

vt infra genua producat, latè autem vncijs sex pateat: laciniæ seu frangiæ vnciarum trium sint; & præterea Cruces tres de more annectantur eidem, in medio, & in extremis partibus. Vnaquæque Crux sit formæ quadratæ, quæ ab omni parte vncijs circiter tribus constet. Stola Sacerdotali nihil appendatur; Diaconali verò ab vtraque media eius parte duo funiculi cum flocculis laciniatis, ad illius rectè connectendæ vsus.

Superpelliceum è tela potiùs tenui, manicis ita oblongis, vt crispatæ vsque ad digitos summos pertingant, quæ esse possunt cubitis circiter duobus, vel circà, latè autem patentibus in orbem circiter cubitis quatuor. In ipso ore potiùs forma sit rotunda quàm quadrata. A pectore nullo modo scissum, aut dissectum. Longè ducatur infra genua, ferè ad media crura. Vide supra pag. 88. Latè pateat ab extremis oris in ambitum cubitis circiter tredecim, ab humeris circiter octo. A nulla parte neque nimis affectata artificiosi operis elegantia elaboratum, ab humeris præsertim non specioso artificij ornatu.

Tabella Pacis gestatoria aliquo pia cælaturæ ornatu sit insignis, puta, imagine Pietatis expressa; latitudineque constet vnciarum octo, longitudine duodecim circiter; à tergo manubrium habeat eiusdem materiæ.

Tabella Secretarum non quænea, non nucæ, neque è ligno subobsuro sit, sed ex abiete, aliave id generis arbore albicanti, ne pagina agglutinata obscurescat: latè aliquanto amplius pateat quàm longè, coronicibus decorè ornata. Pro Festis solemnioribus speciosior esse debet, cum coronicibus auratis, & pagina maius-

culis impressa litteris, auroque splendens.

Tabernaculum sanctissime Eucharistie politè elaboratum, pijs myriorum passionis Christi imaginibus exsculptum esse debet; intrinsecus tabulis populeis circumamictum, quibus ab humiditate sanctissima Eucharistia defendatur. Forma vel octangula, seu sexangula, vel quadrata, vel rotunda. In summo adsit imago Christi resurgentis, vel sacra Vulnera exhibentis: tum benè clauè firmatum, quæ etiam auro liniri deberet. A fronte Altaris summa procul collocatum extet, non minus cubito vno & vncijs sexdecim, ita vt Corporale latè expandi, & Pyxis, si casus accidat, commodè in Altari poni possit. Neque sub eo sit vllam armariolum, neque asseruandis quædam libris supellectilive Ecclesiæ sit locus. Panno serico albi coloris intus ab omni parte vestiatur: ostium habeat ab anteriori parte ornatum sacra imagine Christi Domini crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut alia pia effigie.

Tela stragula Altaris ad illud operiendum finitis Missis, longitudine ac latitudine sit, quæ totam illius mensam contegat vndique, & paulò amplius item; lacinijs breuioribus ab omni parte decorè cincta, colore sit viridi.

Thuribulum cum quadruplici catinula & operculo: catenularum autem longitudo sit cubitorum duorum & vnciarum circiter duodecim.

Tintinnabulum pro eleuatione Sacramenti si appendatur, parieti laterali affixum hæreat, & appenso funiculo tam longo, vt minister genuf-

xus in cornu Epistolae commodè illud pulsare possit.

Tunicella Subdiaconalis similis sit Dalmaticae Diaconali, de qua supra; excepto, quòd angustiores debet habere manicas & longiores, *Cerimon. Episc. lib. 1. cap. 10.*

Vas Hostiarum rotundum sit, & latè pateat uncias quatuor, pluresve, ut Hostiae inde promi commodè possint. Vile quoque erit, laminam plumbeam rotundam serico vestitam Hostijs ipsi superimponere, ut earum curvatura tollatur.

Vas pro abstergendis Calicibus, & lauandis Corporalibus, aeneum patet instar peluis, binis manubrijs constans, atque ab vno labro ad aliud cubito vno, & uncijs octo pluribusve, pro ratione suppellectilis lauandae; oreque eminenti, per quod, quasi per canalem, aqua lotionis inde paulatim in Sacrarium effundi possit: quod vas huic vsui tantùm sit reservatum.

Velum Calicis ab omni parte cubito & uncijs duodecim latè pateat, ab oris vndique opere serico, auro argentoque tenuiter ornatum.

Velum pro portanda sanctissima Eucharistia in Processionibus eiusdem sit longum sex cubitis, latum ut veli tela.

Velum pyxididis sit pretiosum, & quale saltem dedimus Calici.

Velum Subdiaconale longum item cubitis sex, latum sit, quanta est veli propria latitudo.

Umbella, quae super Altare ponitur, vndique latè pateat ita, ut Altare ipsum & Sacerdos ibi celebrans omnino contegantur; qua ille & Altare à pulvere omnique labenti sorde defendantur: ab Altari tamen decorè elata, ut facilè quoque purgari queat.

Umbella alia, quae defertur super sanctissimam Eucharistiam in Processionibus, vndique habere debet ornatum duplicium fasciarum, quae duodecim circiter uncijs longè pendeant, iisque fascijs confutae sint ab omni parte fimbriae cum filamentis satis prolixis. Hastile inseratur inter vtramque fasciam, quod rectè extendat latera Umbellae. Hastilia item picta, paribus inter se spatijs disposita, quibus illa tolli & gestari possit, quatuor plurave, pro eiusdem Umbellae magnitudine, supponantur. Color autem albus convenit huic Umbellae. Et haec de suppellectili sacra seu ministeriali ad communem Missam.

Quia verò supra meminimus Episcopaliū indumentorum, occasione data in Missali, non erit abs re, si hoc loco addamus eorundem indumentorum formam & mensuram, ordine servato quo eadem induit Episcopus.

Caligae ita longae debent esse, ut vsque ad genua protensa, ligulis in ea parte adstringantur.

Sandalia, seu *Calcei*, è solea integra subtus constent, à parte autem superiori ornata, & ex serico panno leuiori, quo & *Caligae*.

Tunicella & Dalmatica amplioribus manicis quam Diaconalis, & ex eadem materia qua *Caligae*, constent: longae & latae sint, ut de Dalmatica Diaconali diximus.

Chirotheca debent esse contextae, & circulo aureo insigniter in extrema parte ornatae.

Subbirretum mitrale formae rotundae sit, non quadratae.

Mitra pretiosior è serico auro intexto, gemmis, & margaritis acusque opere ornata. Altera auriphrygiata sine

ne gemmis, sine laminis aureis, vel argenteis; sed vel aliquibus paruis margaritis composita, vel ex albo serico auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis & margaritis. Tertia sine auro ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam lineae, ex tela alba confecta, rubeis lacinijs, seu frangijs, & vitis pendentibus. In Prouincia Mediolanensi adhibetur simplex è tela lini purissimi, coloris albi; circulo aureo, quem esse notat *Innocen. III. lib. 1. Mist. Mis. se. cap. 59.* circum amicta à parte qua induitur caput, cornua item duò à summo præ se ferens: duas etiam lineas in humeris pendulas habeat, quarum extremitates lacinijs consistent.

Annulus ex auro puro puto solidè conflatus palam habeat cum gemma, in qua nihil sculpti esse debet.

Gremiale longè constet cubitis circiter duobus, latè cubito vno tantum & vncijs item circiter duodecim, vndique cinctum laciniarum auro argentove intextarum ornatu.

Baculus Pastoralis à parte ima acutus, à media totus rectus, à summa retortus esse debet. Oratio aut Sudario non ornatur, si Episcopo palis est. Longitudine recta est cubitorum trium & vnciarum duodecim; pars verò retorta totidem vncijs, aut paulo altiùs eminent. A summa rectitudinis parte est crassitudine orbiculari vnciarum circiter septem, quæ prope ad imam partem descendens paulatim diminutam, vncijs quinque constat: connectitur autem cum illa parte recta aliquo opere cælati argenti, quod sexanguli formam exhibens, scæris ornatur imaginibus.



De nitore & munditia prædictæ sacræ suppellectilis.

Deprompsimus hæc
ex *Actis Ecclesiæ
Mediolan.* Auctore, de
quo supra pag. 80. omif-
sis ijs quæ mouere nos
debent ad procurandam
omnem munditiam in
ministerio Missæ, de
quibus præclarè scri-
psit *Tobias noster par. 1.
cap. 76.*

Igitur Altaria bis sin-
gulis annis, cum sudum
est, à finitis Missis ad ve-
esperum spoliata sint, &
suppedanea item amo-
ta, vt sicci aëris sentiant
beneficium: quo tempo-
re tum Altaria ipsa vn-
dequaque mudentur,
tum suppedaneorū pars
quæ subter est.

Cum mappa mutan-
tur & pallia, *Altaria*
quoque ipsa munden-
tur arundinea scopula,
tela etiam cerata, quæ
sacro lapidi hæret, leui-
ter purgata; siue lapis
sit insertus, siue torum
Altare capiens. Quod
si aliquo casu accideret,
ita tectum non esse, ob
reuerentiam sacri Chri-
smatis ne purgetur tan-
gaturve.

Icones cum ornamen-
tis suis, sanctissimæ Eu-
charistiæ *Tabernaculum*,
& quæcumque huius-
modi picæ vel inaurata adiuncta sunt

Altaribus; item *Vmbella* superim-
pendentes singulis mensibus mun-
dentur caudis vulpinis, aut arundi-
nea scopa.

Suppedaneum Altaris quotidie
mundetur arundinea scopa, si in eo sit
facienda Missa.

Arcula ad sputum excipiendum, de
qua supra, circumfricetur & purgetur
octauo saltem quoque die; item fene-
stellæ vrceolorum eodem tempore be-
nè purgentur.

Candelabra, Cruces, Thuribula, &
reliqua supellex argentea, quantum
fieri possit, manibus nudis ne con-
trectetur; sed adhibito panno, aut ve-
rò parte, quæ argentea non sit, ca-
piatur. Antequam recondatur, ex-
cutiatur, si quid pulueris, ceræ aut
maculæ accesserit; & extergatur leni-
ter, adhibito lineo & molli panno.
Condita autem sit vnaquæque res the-
ca sua, ne quid sordium accipiat.
Cum aliquid tamen purgatione ege-
re visum fuerit, palea combusta ad-
hibita, panno lineo leniter præstabi-
tur. Quod si quid valdè sit denigra-
tum, puta thuribulum ignis causa, aut
etiam multa cera adhæserit, in lixiuia,
cui sal sit admixtum, ebulliente de-
tergendum erit, adhibito penicillo
ex teris suillis confecto: caueatur ta-
men, ne, si quæ pars inaurata sit, au-
rum vi salis deteratur; & consulan-
tur periti.

Calices bini, & Patene binæ, sal-
tem vbi duodecim Sacerdotes Missam
faciunt, quintodecimo quoque
die leui manu aqua tepida lauen-
tur, sexto quoque mense, sapone mol-
liori: tuncque, post quartam horæ

partem, qua maneant in sole, calida lixiua benè abluantur, adhibendo penicillum aliquem ad saponem benè amouendum, præsertim vbi fuerit calatura. Poterit etiã id fieri furfure cocto, & tunc statim aqua munda bis aut ter abluendi essent. Præstetur verò ab eo qui in Sacris sit, & in vase ei vsui, & lanandis Corporalibus, de quo supra, tantum destinato; quod ex ablutione superfuerit, in Sacrarium fundatur. Vbi verò minor sit numerus Sacerdotum, rariùs id fieri poterit, ex proportione numeri Sacerdotum & dierum.

Supellex inaurata aut inargentata eadem cautione tractetur qua argentea: si semper est exposita, octauo quoque die panno lineo tergatur molliiter; si recondenda sit, tergatur tunc. Poterunt etiã inaurata sapone aut furfure purgari, vt dictum est de Calicibus.

Candelabra, & cetera ex aurichalco tractentur adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur: si perpetuo vsu adhibeantur, terno quoque die à puluere & cera, si fortè defluxerit, mudentur; si reponenda sint, tunc etiã id fiat. Præterea quarto quoque mense, nisi numquam fuerint exposita, abstergantur diligenter, puluere pumiceo, aut eo, quem dicunt *tripoli* (quem aestiuæ muscæ fugiunt) adhibito corio bubalino; aut, si vtrumque desit, latere in tenuissimum puluerem redacto, & loco corij panno asperiore, quem dicunt saia; nullo verò modo hac ratione adhibenda erit aqua. Nitidiora fiunt (sed non diu durat nitor) si fricentur malo medico, seu massilico (vulgò, *arancio* ò *limone*) & marmore trito, seu vice malorum,

vel herba acida, dein de aqua benè abluantur; tum siccantur, & soli exponantur: aceto namquam abstergantur. Recondita verò huiusmodi, tubulis crassioris chartæ aut saccis lineis amicta habeantur, qui puluerem arceant, vt nitida & lucida semper habeantur.

Lampades vitreae, quæ sunt quotidiani vsus, quintodecimo quoque die furfure & aqua calida abstergantur.

Vrceoli, præter id quod quotidie fit, singulis mensibus diligenter purgentur, adhibito onorum cortice benè contrito, cum ligneolo aliquo instrumento, ad fordiculas benè eluendas; aut verò alia ratione, si quæ aptior inueniatur. Opercula vrceolorum quotidie, cum reponuntur, benè siccantur, si madeant.

Pelucula eorundem quotidie abstergantur, siccanturque: si stannæ fuerint, tertio quoque mense lixiua feruenti lauentur, & auena, vel farre vestito, seu ouorum cortice benè contrito fricentur; post iterum aqua lotæ, in sole siccantur, & panno lineo mudo abstergantur.

Aenea vasa pro ablutione Calicum, &c. antequam adhibeantur, & post, benè abluantur: bis verò singulis annis abstergantur accuratè, si opus est, latere contrito, vel arena, & aqua. Si stanno sint illita, adhibeantur furfur & aqua.

Instrumentum ad Hostias conficiendas, cum eo vsus fuerit Sacrista, seu alius, oleo perfundat, & vtramque partem, charta interposita, simul iungat: quæ in exteriori parte fuligo hæserit, abradat; postea eandem partem crassiore panno tergat, & in loco decenti reponat.

Lina

Linea omnia, Albæ, Amictus, Superpellicea, mappæ, panni, & si quid aliud est diuini cultus gratiâ paratum, separatim ab indumentis domesticis cuiuscumque lauentur: quæ tamen habentur ad manus faciemque lauandam, & ad nares purgandas, hoc numero ne censeantur.

Ternæ *Altarium mappæ*; superior quidem singulis mensibus, inferiores verò quater in anno mundæ apponantur.

Bina *Corporalia* tertia quaque hebdomada, binæ Albæ decimoquinto quoque die, Cinguli alternis mensibus, manutergia Altarium, bini Amictus, octo dierum spatio mutantur; & hæc saltem, vbi duodecim Sacerdotes Missam faciunt. Vbi autem pauciores sint Sacerdotes, ex defectu numeri Sacerdotum poterit augeti pro rata parte numerus dierum; & è contra, vbi plurimi Sacerdotes, minuendus quoque erit numerus dierum.

Purificatoria singulorum Sacerdotum (conuenit enim cuique suum) spatio octo dierum, vel ad summum quindecim. Superpellicea, quæ vsui vario Sacerdotalium aut Clericalium ministeriorum destinata sunt, ad eandem ferè rationem.

In suppedaneo armarij, seu mensæ, vbi Sacerdos consistit sacra indumenta sumens, perpetuò stratus sit crassior pannus, ne qua parte Alba fœdetur.

Linæa Sacristiæ ad manus extergendas singula hebdomada munda ponantur: tum valdè humido cælo, quod die siccentur admota igni.

Mappæ ad sanctæ Communionis vsum, contractiores quidem alternis Hebdomadis, maiores ve-

rò alternis mensibus mutantur.

Quod autem hæc mutationum interualla præfiniantur, non idèò tamen extraordinariè quoque fieri non poterunt, si oporteat; puta, si ex labe, quæ fortè aspersa sit, aut alia de causa.

Præceptis solemnitatibus munda omnia adhibeantur, & pulchriora.

Mappæ Altarium Missis finitis contegantur stragulis suis: prius verò leuiter purissima scopula, eius generis quod vestimentis domesticis adhibetur, propriè tamen ad eum vsum destinata, purgentur; ipsa stragula singula Hebdomada diligenti agitatione à puluere mudentur, præter id, quod etiam quotidie manè eadem leuius excuti debent: tum aëri tertio quoque mense exponantur.

Corporalia & purificatoria cum remouentur, vt alia adhibeantur, ponantur in arcula, seu canistro ad eum tantum vsum destinato: & antequam dentur foras ad lauandum, ab eo, qui sit in Sacris, lauentur in proprio vase, de quo supra, lixiua & sapone adhibito, & mox bis aqua sola abluantur: quod ex lauatione superest, in Sacrarium fundatur.

Albæ, & superpellicea lauata crispanda dentur: quoties reponuntur, aptè saltem contorqueantur, si non crispentur.

Corporalia item dentur personis peritis, vt amylo inducto ea durefcere faciant, & complacent præscripta ratione: tempus huic operi aptum erit à mense Maio ad Octobrem.

Recondantur autem hæc linea omnia benè sicca & complicata separatim locis suis, vt sint in promptu; apponanturque rosæ sicca, & lauanda,

dula, aut similia, tum ad maiorem munditiam & elegantiam, tum vt à cinis libera sint.

Nullus Sacerdos ad Missam faciendam accedat fœdis calceis aut crepidis: idèd semper habendæ essent in Sacristia crepidæ ad hunc vsum.

Habeatur coràm in Sacristia *scopula*, qua Sacerdotes & Clerici vtantur ad vestimenta communia mundanda, antequam vestiant sacra.

Omnia indumenta distinctis proprijs scrinijs habeantur, & secundùm coloris pretijque varietatem: linea quoque pro genere & pretio sint distincta, appositis schedulis.

Casula recondantur ductilibus capsis, quæ in armaria inseruntur; atque posita crassiore charta, quæ fundum capsæ contegat, appositisque siccis rosarum folijs, & lauandula, aut similibus. Ponatur Casula cum Stola & Manipulo suo; mox alia eiusdem generis pro altitudine capsæ. Addantur bursæ Corporalium, & integumenta, si adsint, Missalium. Recondantur verò Casulæ benè extentæ sine ruga aut plicatura: eodem modo *Dalmatica* & *Tunicella*. supra omnia autem alia charta sit, vt res mundiores seruentur. Quæ sunt ex aureo vel argenteo panno, aut ornamenta habent auro vel argento asperiora, habeant pannum inter vttramque superficiem, ne confricata corrodantur.

Pluuialia, maximè si aurea vel argentea sint, vel recondantur in amplo armario extenta, vel plicata recondantur, ita tamen, vt nullo modo inflectatur quæ pars pensilis à tergo est (vulgò caputium) & interponatur pannus, vt dictum est.

Quandocumque extrahuntur hæc

indumenta, substernatur eis mappa munda, imò & stragulum supersternatur, si aliquo spatio relinquenda sint.

Quæ rarò adhibentur, quandoque in sereno celo explicata exponantur, ne fortè mucescant, vel male oleant; sed non in sole: poterit id fieri mensè Maio & Septembri, & semel in hieme, pro opportunitate temporis.

Pallia Altarium semper habeantur, si fieri possit, suis telaribus extente affixa, vt suprâ diximus; poteruntque vni afferculorum structuræ duo affigi diuersi coloris, vt pro diei conditione necesse non sit, nisi vertere telaris faciem: ita in amplo armario erecta habeantur, deopta linea filamentorum (quam vocant frangiam) quæ assuta non sit. Interponatur autem pannus siue inter duas palliorum facies in armario, siue inter pallij & Altaris faciem, ad vitandam eam, quam suprâ diximus, confricationem. Commodum verò erit, pannum aded esse latum, vt vttramque telaris faciem, & sic pallia ab vtroque parte affixa contegat: & ita in media sui parte affixus telari, nunc quidem hinc inde extendatur, & ab omni latere bagaculis connectatur; nunc verò ad vnâ partem tantùm, prout duas facies telaris aut vnâ contegere oportuerit. Quòd si plicanda fuerint, fiat, vt, si quæ Crucis species aut imago afficta est, non inflectatur, cautioque adhibeatur, si oportet, interpoliti panni.

Tapetia, crassioresque panni ad soli insternendi vsum, cum recondenda sunt, prius purgantur cera, & si quid aliud sordidum inhaerit: aut post exponantur, & diligenter exag-

rentur, ad excutiendum pulverem, scopula bene mündentur; & ita complicata suis locis recondantur.

Sacristiæ fenestræ sæpè pateant, sereno siccoque cælo; tum capsulæ ductiles paulum educantur, ut etiam quæ intus sunt sentiant aëris beneficium.

Ceterum ea debet esse reuerentia erga factam supellectilem, tamquam divino seruitio mancipatam, imò tamquam sanctimoniam participem, quæ nimirum est sanctitatis instrumentum; unde & sancta ea vocatur sæpè in Scripturis sacris, Pontificijs legibus, Patrumque monumentis, ut nihil eiusdem non modò negligatur, verum etiam exquisita cura & diligentia colatur. Non enim, ut ait *sanctus Hieronymus Epistola ad Theophil. Alexandr.* inania ea sunt, & quæ quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicuntur; sed ex confortio Corporis & Sanguinis Domini sublimi maiestate sunt veneranda. Lege, quæso, quæ *Tobias noster in hanc causam collegit cap. 77.*

de Sacris templis parte prima, ubi docet, idè prohiberi plurima circa eandem: videlicet,

Primò, non omnem supellectilem tangi posse à quocumque.

Secundò, neque à quocumque quamcumque ablui posse, aquamque lotionis in Sacrarium projiciendam esse.

Tertiò, quæ vsui amplius esse non possunt, ea nequaquam in profanos vsus detorquenda esse; sed ea comburenda esse, & cineres in Sacrarium inferendos, quæ nos etiam suis locis indicauimus supra.

Quartò, nec alienari posse, vendi oppignerariue, exceptis quibusdam casibus, de quibus *sanctus Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 41.* & habentur in *Breniario quarta die infra Octauam sancti Laurentij.* Vide ibi.

Addit ille exempla multa piorum hominum, & è conuerso indignationis omnipotentis Dei contra sacrilegos, impios & desides in hoc genere; ad quem Lectorem remittimus, ne instituti nostri metas transeamus.



PROSODIA VERBORVM
IN MISSALI ROMANO.



Abstinet in prima Editione à notanda Prosodia Verborum eorum quæ dubiam in Missali habere possunt pronuntiationem; tum quia solent imprimi Missalia additis accentibus; tum quia eadem fere verba, quæ in Missali leguntur, communia sunt etiam Breuiario, cuius Prosodiam difficiliorem in eiusdem Commentariorum calce adnotaueram. Verum, quia Typographorum incuria malè positi sunt accentus, & aliquando omissi, me impulerunt insignes Episcopi, ut, in gratiam minus peritorum Sacerdotum, ea quoque separatim colligerem quæ Missalis sunt propria, ne contingat vllus error in legenda Missa.

Habent igitur penultimam longam,

Abscide,
Accersito,
Aduenit, *in Introitu Epiphaniæ.*
Allidit,
Anathema,
Appare,
Appetitor,
Arcopagi,
Barabbas,
Brauium,
Cæsaream,
Candelabrum,
Circumfodit,
Comedi,
Commiscere,

Habent penultimam breuem,

Abscidit,
Abutere,
Achillei,
Aduocans,
Alleua,
Amodo,
Barfabas,
Benepiacens,
Byssino,
Caligas,
Circumdabat,
Circumdabunt,
Circumdatus,
Circumdedit,
Circumuolet,
Coccinum,

Con-

Com-

Longam habent penultimam,

Concidet,
 Condolere,
 Confige,
 Consentitis,
 Contorquere,
 Conuenit multitudo,
 Decoris regnum,
 Delibor,
 Demolitur,
 Depromat,
 Eadem, *casus ablatiui.*
 Elamita,
 Eleazar,
 Elide,
 Eruditur,
 Esuritis,
 Exemit,
 Exite,
 Expetita,
 Fulciri,
 Fulgoris,
 Grabatum,
 Hostili,
 Hyssopo,
 Idola,
 Immuta,
 Impertire,
 Indicens,
 Innotesceris,
 Institoris,
 Intuere,
 Libamen,
 Lorica,
 Lucia,
 Melotis,
 Mendicans,

Muni-

Breuem eandem habent,

Commori,
 Computat,
 Concuti,
 Condolens,
 Congeres,
 Damaris,
 Decidet,
 Didymus,
 Dyscolis,
 Eadem, *casus nominatiui vel
 accusatiui.*
 Eloqui,
 Ephpheta,
 Esurit,
 Excolens,
 Fodere,
 Galea,
 Genesareth,
 Haceldama,
 Iacerent in eum,
 Inito,
 Innoua,
 Inuenit, abscondit, &
 vadit,
 Inuidet,
 Lapidas,
 Lecytho,
 Manahen,
 Multimodis,
 Nerei,
 Obluisceris, *in presenti tem-
 pore; in Sexagesima.*
 Occidat Sol,
 Paraclitus,
 Paropside,
 Peragat,

Tt Perfodi,

Longam,

Munimen,
 Myrica,
 Parasceue,
 Perimus,
 Peripsema,
 Perseueret,
 Posticum,
 Prædico, sicut prædixi,
 Præsumit,
 Præuenimus,
 Profugit nudus,
 Recensita,
 Redundabunt,
 Salubris,
 Subiacere,
 Subiacete,
 Subrepar,
 Succide,
 Sunamitis,
 Tiaris,
 Tritura,
 Tuere,
 Venimus & nos tecum,
 Vouete.

Breuem,

Perfodi,
 Pollicens,
 Præcauens,
 Præueni nos,
 Profelyti,
 Prosequere,
 Quamdiu,
 Reditum,
 Refoue,
 Renoua,
 Repetitis,
 • Sabbaçtani,
 Sedulis,
 Serotinus,
 Smigmata,
 Sublequi,
 Suppetunt,
 • Sycomorum,
 Syntychen,
 Tibicines,
 Timotheo,
 Tristega,
 Venumdari,
 Videris tu, *de Iuda.*
 Venimus adorare,
 Vtraque crescere.

DEO OPTIMO MAXIMO,
 ET BEATÆ VIRGINI
 LAVS OMNIS ET GLORIA.

RESO.

RESOLVTIO DVBITATIONIS
DE MISSIS
PRO DEFVNCTIS;

An Sacerdos , qui tenetur Missam dicere pro
Defunctis , possit celebrare de Sanctis,
aut de Ferijs occurrentibus ;

A. R. P. Magistri F. Pauli Fraxinelli , Ordinis Eremita-
rum S. Augustini , publici in patria Bononiensi Vni-
uersitate S. Theologiae Professoris , & S. Officij Con-
sultoris.

DECISIO.

*Sacerdos ad dicendam Missam pro Defunctis obligatus , potest
celebrare de Sancto , aut de Feria occurrente , praecipue
quando Festum Sancti est Duplex.*

§. I.



ACROSANCTVM Sa-
crificium Missae duo-
bus modis considera-
ri potest ; vel ex par-
te Sacrificij , vel ex
parte Sacerdotis.

1 Ex parte Sacrificij , id est , con-
secrationis , oblationis , & sumptio-
nis , seu ex parte representationis Sa-
crificij Christi in Cruce , quod ap-
pellatur Valor essentialis Missae ex

parte operis operati ; omnes Missae ,
sive de Sancto , sive de Dominica ,
aut de Feria , aut de Requiem , sunt
aequalis valoris , cum in qualibet ea-
rum idem sit Sacrificium & Sacra-
mentum : quamobrem a Sacerdote
ad celebrandum pro Defunctis obli-
gato , aequè satisfieri potest , si dicat
Missam de Sancto , vel de Domini-
ca , vel de Feria , ac si Missam diceret
de Requiem.

2 Ex parte autem Sacerdotis cele-
brantis , & verba ac Orationes in
Missae recitantis , quod appellatur Va-
lor

Tr 2

50.

lor Missæ accidentalis ex parte operis operantis; valor Missæ potest esse æqualis pro Defunctis in Missa de Sancto, aut de Feria, sicut in Missa de Requiem.

3 Nam deuotione Sacerdotis, qui ut plurimum libentius, & inde maiori attentione & affectu Missam de Sancto aut de Feria celebrat, quam de Requiem, Orationes particulares pro Defunctis in Missa de Requiem compensari possunt.

4 Præterea, memoria Sancti, eiusque virtutum ac meritorum consideratio, Sacerdotis deuotionem in Missa excitat, & adauget.

5 Amplius, Missa de Requiem breuior est sæpenumero quam Missa de Sancto aut de Feria; ideo Orationes etiam Missæ breuioris temporis sunt & fructus minoris.

6 Ad hæc, Missa de Requiem, cum à Sacerdotibus dicatur frequentius, maiori celeritate, ac minori etiam attentione & deuotione quam alia Missæ, quandoque celebratur.

7 Ex aduerso autem, nouitas Officij in Missa de Sancto, aut de Feria, promouet attentionem, & auget Sacerdotis deuotionem, à qua augmentum valoris accidentalis Missæ ex parte operis operantis dependet.

8 Intercessio etiam Sancti, de quo dicitur Missa, prodest animæ in Purgatorio existenti, pro qua celebratur, loco particularium Orationum quæ in Missa de Requiem reperiuntur.

9 Et magna profectò quidem & inopportuna animæ ac deuotionis perturbatio euenit Sacerdoti, si, postquam Officium de Sancto occurrente recitauit, atque affectu & meditatione ad Missam de eodem Sancto celebrandam se disposuit, maxime si

Sanctus magnæ solemnitatis sit in Ecclesia, aut in eum Sacerdos particulari deuotione feratur (quamuis à populo solemniter non celebretur, vt frequenter accidere consuevit) cum iam iam est celebraturus, & interdum etiam cum indumentis Sacerdotalibus debiti coloris indutus est, superueniat aliquis, qui Missam de Requiem pro aliquo Defuncto elemosyna exquirat; & ipse Sacerdos priores sacras vestes deponere, & paramenta nigra induere & Missam de Defunctis dicere cogatur. Licet enim Sacerdos ex charitate, vel obligatione, si subditus est, tunc Missam dicat de Requiem, non mediocri tamen molestia, ac minori attentione & deuotione Sacrificium offerat, quam si Missam de Sancto pro eodem Defuncto dixisset: & ita & Sacerdos, & Defunctus aliquam partem fructus Missæ, eam videlicet, quæ ex maiori attentione & deuotione Sacerdotis, & ex Sancti intercessione habetur, inanerit amittit; cum Defuncto prodesse possit tam Missa de Sancto quam de Requiem, vt dictum est.

§. I I.

Videtur etiam sensus esse sanctæ Ecclesiæ, vt Missa respondens Officio occurrenti possit pro Defunctis celebrari.

1 Quoniam ritus & ordo est sanctæ Ecclesiæ, vt Missæ Votiuæ aut particulares dici possint, quando Officium non est Duplex; & tunc etiam (quædo scilicet Officium non est Duplex) Missa, quantum fieri potest, Officio respondeat. dicitur enim in Missali Romano in principio Rubricarum generalium: *Missæ quotidiæ dicuntur*

dicitur secundum ordinem Officij. & in eisdem Rubricis generalibus titulo, de Missis votiuus, numero 3. habetur: *Que tamen Missa, & omnes alie Votiuæ, in Missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est Duplex, &c. & clarius in titulo de Missis Defunctorum, numero 2. statuitur: Missa autem priuata pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus, & Dominicis diebus. & in Rubrica de Missis Votiuus, quæ legitur ante Missam Votiuam de S. Trinitate, similiter dicitur: Sequentes Missa Votiuæ, licet pro Sacerdotis deuotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando Festum Duplex non occurrit: hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet; sed, quoad fieri potest, Missa cum Officio conueniat.* Non est autem existimandum, quòd Ecclesia, quæ pijsissima mater est, Missam pro Defunctis celebrari prohibeat in Festis Duplicibus, quæ quidem frequenter occurrunt: quare sensus videtur Ecclesiæ, quòd Missa respondens Officio, præcipuè Duplici, pro Defunctis dici possit.

2 Et idè, licet, qui stipendium exhibet pro Missa, petat Missam Defunctorum, eius verba non sunt ita amarè intelligenda, vt sic omnino Sacerdos celebrare teneatur, sed ciuili modo & morali: neque enim præuolare debet voluntas Missam petentis ordini ac ritui Ecclesiastico, sed mentem suam institutioni Ecclesiæ debet aptare, vt eius petitio ac deuotio sit rationabilis atque conueniens.

§. III.

Videtur insuper de mente esse Summorum Pontificum, quòd Sacerdos pro Defunctis Missam respondètem Officio dicere valeat. Nā Gregorius XIII. sanctæ memoriæ, dum priuilegium vniuersale ac perpetuū pro Defunctis elargitur Altari Cappellæ S. Augustini in Ecclesia S. Iacobi Bononiæ, Patrum Ordinis S. Augustini, concedit, vt quoties quicumque Sacerdos, siue secularis siue regularis, Missam ad dictum Altare, pro liberatione vnius animæ in Purgatorio existentis, suo vel alieno arbitrio celebrauerit, ipsa anima per huiusmodi celebrationem easdem Indulgentias & peccatorum remissiones consequatur, & ad ipsius liberationem, pro qua celebrabitur, dicta Missa operetur, quas consequeretur & operaretur, si prædictus Sacerdos hac de causa Missam ad Altare situm in Ecclesia sancti Gregorij de Vrbe, ad id deputatum, celebraret. Et fortasse Priuilegia aliorum quoque Altarium pro Defunctis eiusdem sunt tenoris. At in eiusmodi Priuilegio non præcipitur, vt Missa de Defunctis, siue de Requiem, pro anima in Purgatorio existente celebraretur; sed absolutè indulgetur, quòd dicatur Missa: idè sensus Summorum Pontificum esse videtur, vt tantum valere possit pro Defunctis Missa de Sancto, de Dominica, aut de Feria, quantum ipsa Missa de Requiem.

§. IV.

Accedit, quòd populus communiter Missam libentiùs audit respondentem Officio, maximè

Tt 3 de

de Sanctis, quàm de Requiem, in qua benedictio populi præsentis prætermittitur. Quare ad alliciendum magis populum ad Missam audiendam, siue ad eum promouendum, ut maiori voluptate ac deuotione Sacrificio assistat pro Defunctis, Missa dici potest de Sancto, aut de Feria.

§. V.

Quando autem Missa de Sancto aut de Feria celebratur pro Defunctis, necesse non est Collectam dicere pro mortuis.

1 Nam applicatio Missæ non fit in Collectis, sed in *Memento*; ubi Sacerdos valorem Missæ illi applicat, pro quo Sacrificium offerre tenetur, idcirco necesse non est Collectas pro Defunctis adiungere.

2 Præterea, Pius V. sanctissimæ memoriæ, in Bulla confirmationis Missalis Romani præcipit in virtute sanctæ obedientiæ (& Concilium Tridentinum *Sessione 25. Decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missarum* idem statuerat) ut Sacerdotes iuxta formam, ritum & modum eiusdem Missalis celebrent; & nullo modo alijs cærimonijs & precibus, quàm illis quæ in eo præscribuntur, uti præsumant. At tapè in Missali Collectæ arbitrio Sacerdotis non permittuntur, præcipuè diebus Festis; sed particulares præsignantur, aut vna tantum dicenda est, ut in Duplicibus: idè tunc non erit dicenda Collecta pro Defuncto, pro quo Missa dicitur.

3 Quod quidem præceptum Pij V. non Prælati tantum imponitur, ut aliqui vellent, sed omnibus Sacerdotibus. Tum quia Concilium Tri-

dentinum loco citato (cui S. Pontifex in hære videtur eisdem verbis vti) expressè præcipit Episcopis, ut cuncto & pœnis propositis caueant, ne Sacerdotes, quicumque illi sint, ritus alios, aut alias cærimonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probate fuerint. Tum quia non suppetit ratio, quare sub formali præcepto, obligante sub pœna peccati mortalis, præcipiatur Prælati, etiam S. R. E. Cardinalibus, ut Missam ad præscriptam Missalis noui decantent, & legant, ceteris autem Sacerdotibus non Prælati libera relinquatur facultas, alijs rationibus & ritibus ad cuiusque libitum celebrandi.

§. VI.

Verum qui Missam pro suis Defunctis stipendio petit, nisi viderit Sacerdotem indumentis nigris indutum, & Missam de Requiem, aut saltem Collectam de mortuis non audierit, fortasse non credet, aut dubitabit, Missam pro suis mortuis sic celebrari.

1 Respondetur, eum in hoc falso iudicio grauitè errare: non enim præsumendum est, Sacerdotem in acta celebrationis nolle promissum suum implere, & viuum ac mortuos fructu Missæ, quam ex stipendio accepto & promissione data celebrare debet, velle priuare; & exinde grauissimum peccatum committere, & oneri restitutionis subiacere.

2 Præterquam, quòd si Sacerdos Missam ei, cui promisit, nollet applicare, ipse quidem dicens Missam de Requiem cum Collecta pro vno aut pro pluribus Defunctis, iuxta pe-

tionem

tionē Missam stipendio exquirentis, possēt nihilominus valorem essentialē Missæ sibi ipsi, aut alteri vivo aut defuncto in Purgatorio existenti applicare: applicatio enim Sacrificij, vt superius dictum est §. 5. num. 1. non fit in Orationibus Missæ de Requiem, sed in *Memento*. Quapropter si Missam petens Sacerdoti non credit, aut si Sacerdos velit eum decipere (cuius fides in suspicionem adduci non debet) parum quidem proderit, si Sacerdotem sacris vestibus nigri coloris indutum viderit, aut Missam de Requiem ab eo audierit.

§. VII.

Veram tamen est, quod si Sacerdos maiori deuotione non afficitur in dicenda Missa de Sancto, aut de Feria, quam de Requiem, dicere debet Missam de Requiem pro Defunctis quibus obligatur; dummodò Festum non sit Duplex, aut dies Dominicus, cum excipiantur in Rubrica Missalis superius posita §. 2. num. 1.

1 Quoniam Orationes Ecclesiæ, quæ ordinatur in Missa de Requiem, magis directè petunt, & obtinere possunt desideratum effectum liberationis animarum è Purgatorio; idèo tunc, ceteris paribus, vtilior est Missa de Requiem.

2 Et præterea Orationes, & alia quæ in Missa Defunctorum dicuntur, miserias animarum in Purgatorio existentium clariùs demonstrant; & circumstantes ad orandum etiam pro Defunctis magis excitare possunt.

3 Hinc in die obitus, maximè præsentē corpore Defuncti, aut in die tertio, vel septimo, vel trigesimo, aut in Annuario solemnī, vtilior po-

terit esse Missa de Requiem quam alia.

4 Quamuis eiusmodi vtilitates facile compensari possint in Missa occurrente de Feria, aut de Sancto, ex maiori Sacerdotis deuotione, aut ex intercessionē Sancti, de quo celebratur, vt dictum est §. 1. num. 3. & seqq.

§. VIII.

SI verò Sacerdos, stipendio accepto, expressè Missam de Requiem promisit, eam quidem dicere debet.

1 Nam tenetur implere promissum, ne virtus fidelitatis violetur; alioquin grauissimè peccaret: præcipuè si promissum iuramento esset obfirmatum, vt euenit in legatis, aut alijs obligationibus Missarum in forma stipulationis acceptis.

2 At Sacerdos promittere deberet, se dicturum Missam pro Defunctis eo modo quo magis potest eis prodesse, aut Missa de Requiem, aut Missa de Feria, aut de Sancto, iuxta maiorem suam dispositionem ac deuotionem.

3 Et populus pariter pro suis Defunctis à Sacerdotibus eas Missas exquirere deberet; quæ maiori beneficio illis esse possunt, siue de Sancto, siue de Requiem; vt multi iam piè quidem consueuerunt. Maximè autem vtilissimum esset, pro Defuncto Missam de illo Sacto occurrente procurare, quem ipse Defunctus, dum viveret, Patronum sibi delegerat, vel cui animo erat propensior; & eò amplius, si ille qui Missam petit, eundem Sanctum sibi Aduocatum selegit: sic enim, præter valorem Sacrificij, qui essentialiter in omnibus Mis-

sis æqualis est, valor eiusdem Missæ accidentalis ex parte operis operantis, ex deuotione Sacerdotis, & Missam procurantis, & ex intercessione Sancti, cui Defunctus inter viuos propensius obsequabatur, augeri potest.

4 Et hac de re passim admonendi & instruendi sunt populi, ne scandalo afficiantur, dum petentes Missam pro mortuis, non audiunt Missam de Requiem; & ne Sacerdotibus nimium molesti sint in exquirendis quotidie Missis de Defunctis.

§. I X.

VNiuersam hanc doctrinam sustinent ac docent omnes Doctores, & grauissimi quidem, qui nunc citantur; quos diligenter & singillatim in fonte videre & animaduertere libuit.

1 *D. Thomas Aquinas* 4. dist. 45. quest. 2. art. 3. quest. 1. ad 5. & in *Addit.* 3. par. quest. 71. art. 9. ad 5. *Sanctus Antoninus* par. 1. tit. 10. cap. 2. §. 3. *Hostiensis* lib. 3. de *Consecr. Eccles. vel Altar.* num. 15. *Summa Angelica* verbo *Missæ* num. 33. & 34. *Rosella* §. 21. *Pisanella* num. 14. *Armillæ* num. 32. *Tubicinæ* num. 49. *Siluestrina* *Missæ* 1. §. 4. & melius verbo *Suffragium*. §. 5. *Coronæ* par. 3. de *Sacrific. Missæ* tit. *Sequitur Canon* *Missæ*. num. 18. *Dominicus Sotus* 4. dist. 45. quest. 2. art. 3. conc. 1. ad finem. *Antonius Honcala* *Opusc. de Valore* *Missæ* art. 17. proposit. 2. *Sanctus Carolus Borromeus* *Act. Eccles. Mediol.* par. 1. *Concil. Prouinc. VI.* tit. *Quæ ad Missam pertinent.* *Martinus Nasarrus* tom. 2. *Consil.* lib. 5. de *Pœnit.* & *remiss.* conf. 37. num. 2. *Franciscus Victoria* de *Euchar.* num. 95.

Beia par. 1. *Respons. casu* 23. *Græffus* *Decis. aur.* par. 2. lib. 3. cap. 15. numero 41. & tom. 1. *Consil.* lib. 3. de *Celeb. Missæ* conf. 3. *Henriquez* lib. 9. de *Missæ* cap. 23. num. 6. *Rodericus* tom. 1. *Question. regular.* quest. 45. art. 8. & 10. & *Sum. par.* 1. cap. 247. num. 9. & par. 4. cap. 51. num. 1. *Miranda Manual. Pralat.* tom. 1. quest. 41. art. 21. *Conc.* 1. & 2. *Azarius* *Instit. moral.* par. 1. lib. 10. cap. 32. quest. 5. *Emanuel Sa Aphor.* verbo *Missæ* num. 48. *Suarez* tom. 7. in 3. par. disp. 83. sect. 3. vers. In quo est magna. *Bernardus Parentinus* in *Lilio* *Missæ* §. de *Collat. gloria pro mortuis* quest. 9. *Bartholomæus de Angelis* *Dial.* 5. de *Missæ*, § 740. & 806. *Timotheus de Sacrific. Missæ* tract. 3. quest. 43. *Benzonus Specul. Episcop. & Curat.* lib. 1. disp. 2. questione 2. v. *Mitigantur.* *Simon Maiolus* de *Irregular.* lib. 3. cap. 24. in fine. *Consaluis Durandus* in *Not.* ad lib. 4. cap. 9. *Reuelat. S. Birgit.* *Julius Caluus Synax.* lib. 3. quest. 36. numer. 7. *Sebastianus Catanus* *Summal.* verbo *Missæ* vers. *Obligatus.* *Alphonsus Madrigal.* tract. de *Sacerd.* confid. ult. *Marcus Antonius Genuesis* *Manual. Past.* cap. 72. num. 6. *Festus de Regim. Eccles.* lib. 1. cap. 20. numero 36. *Antonius Literatus* *Summ. compend.* par. 5. cap. 2. num. 6. *Antonius Manchettus* *Flor. aur.* pag. 43. *Possennus* de *Offic. curat.* cap. 14. numero 13. *Angelus Hallensis* *Rosar. Sacerd.* de *Suffrag.* num. 98. *Petrus Ledesma* *Sum. par.* 1. de *Sacram. Euchar.* cap. 17. conc. 7. *Hieronymus Gratianus* de *Suffrag.* anim. *Purg.* cap. 4. *Reginaldus* lib. 29. num. 208. *Bonacina* de *Sacramentis* disp. 4. quest. ult. punc. 7. §. 3. num. 1. *Antonius Naldus*

Naldus Sum. verbo Missa. numero 21.
 Molfesius Sum. tom. 1. tract. 3. cap. 15.
 num. 26. Filiucius Moral. quæstion.
 tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 154. Homo-
 bonus de Exam. Eccles. par. 1. trac. 4.
 cap. 14. quæst. 126. Martinus Roa
 de Statu animar. in Purgat. cap. 11.
 Barbosa de Offic. & potest. Episcop.
 par. 2. allegat. 24. numero 32. Ioan-
 nes de la Cruz Direct. conscien. de Sa-
 cris. Mis. q. 4. dubio 2. conc. 1. & 2.
 Alphonsus Vega Sum. par. 2. cap. 28.
 de Missis, casu 14. Henricus Villalo-
 nus Sum. Theol. Mor. & canon. tom. 1.
 tract. 8. difficult. 31. num. 6.
 2. Doctoribus his, eorumq; sententia
 & doctrina fauent sacri Canones, c.
 Et hoc. de Conf. Dist. 1. & c. Quidam.
 & c. Cui creatura. de Celebr. Missar.

3 Et pro doctrina §. 7. sunt Ange-
 lica verbo Missa. numero 34. Toletus
 Instruet. Sacerd. lib. 2. cap. 8. num. 2.
 Philarchus de Offic. Sacerd. tom. 1.
 lib. 2. cap. 11. Joann. Baptista Scortia
 de Sacrific. Missa lib. 2. cap. 17. nu-
 mero 3. & 4. Antonius Fernandes
 Exam. Theol. Moral. par. 3. cap. 5.
 §. 3. num. 5. & etiam Henriquez loco
 supra citato.

4 Et pro doctrina §. 8. num. 1. sunt
 Angelica ubi sup. Richardus 4. dist.
 38. princip. 3. quæstione 3. Valentia
 tom. 3. in Sum. D. Thom. disp. 6.
 quæst. 6. Petrus Aragon. de Just. &
 Iur. quæst. 88. de Vor. art. 3. de Ob-
 ligat. simpl. promiss. Scortia loco
 citato numero 4.



SVM.

Graffu
 15. nu.
 3. de
 2. lib. 9.
 dicitur
 est. 43.
 ap. 247.
 num. 1.
 1. que.
 A. Co.
 10. cap.
 phori.
 tom. 3.
 erf. In
 entinu
 ria pro
 casu ab
 § 740.
 Miss.
 Specul.
 2. que.
 Ma.
 24. is
 Tor. ad
 it. 7.
 36. nu.
 ummal.
 Alphon-
 d. con-
 menci
 Fufeu
 6. nu.
 Summ.
 3. An-
 pag. 43.
 14. nu.
 Car. Se-
 cui Le-
 n. En-
 onymu
 Purg.
 2. 208.
 que.
 vrenas
 Naldus

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, nequis *Theaurus Sacrorum Rituum, seu Commentaria in Rubricas Missalis & Breuiarij Romani, Auctore admodum Reuerendo Patre D. Bartholomæo Gauanto Mediolanensi, Præposito Prouinciali Romani Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, & S. Rom. Rituum Congreg. Consultore,* præter Balthazaris Moreti voluntatem vlllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in Inferioris Germaniæ ditones importet, venaliâve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione Librorum & aliâ graui penâ mulctabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ xxiii Augusti, M. DC. XXXIII.


Signat.


Steenhuyse.



m Rex
argun-
sauro
alis
D. Bar.
Roman
m. R.
volun-
refia in
nabez
i pan
xxiii

Handwritten text on the right edge of the page, likely bleed-through from the reverse side. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized in several lines.









Th
2153

